90

BIBLIOTHECA S. J.
Maison Saint-Augustin
ENGHIEN
S 793/5

AMOR POENITENS,

SIVE

DE DIVINI AMORIS AD POENITENTIAM NECESSITATE,

ET RECTO CLAVIUM USU,

LIBRI DUO.

CUM APPENDICE

In quâ circa quorundam Theologorum Doctrinam de Remiſſione peccatorum nonnullæ difficultates proponuntur: & demonſtratur vera ſententia S. THOMÆ AQUINATIS de Sacramento Pœnitentiæ.

AUCTORE

JOANNE EPISCOPO CASTORIENSI.

COLLEGIUM ANGIENSE SOCIETATIS JESU
IHS

EMBRICÆ,
Apud JOANNEM ARNOLDI & Socios.

Anno MDCLXXXIII.

PRÆFATIO.

§. 1. *Exponitur argumentum operis.*

IN hoc opere, quod in duos libros diſtributum eſt, duo demonſtranda ſuſcepi. In priori quidem libro docere inſtitui, quod nemo alicujus criminis reus cum Deo in gratiam redeat, niſi ab eâ ceſſet injuriâ, quâ Creator ſuæ creaturæ poſthabetur, dum ille minùs quàm hæc amatur; dum minùs Conditoris, quàm rei conditæ offenſa timetur; dumque quis Deo, quàm mundo, mundique bonis carêre minùs reformidat: atque proinde neminem cum Deo, quantumvis ab eo damnari pertimeſcat, reconciliandum etiam in ſacramentis, niſi qui illum magis, quàm ejus diligat creaturam.

Oſtenditur etiam hâc occaſione, nihil perinde ad libertatem, decus & gloriam hominis conducere, quàm ab illecebroſis libidinum vinculis expediri, ut Creatori & Salvatori ſuo caſto ſanctoque amore famuletur: adeoque non in eo eſſe privilegium novæ legis, ut per ſacramenta ſine amore Deo ſuo placere homo queat; ſed privilegium novæ legis in eo potiùs ſitum eſſe, quòd poſt natum Salvatorem, id eſt, tempore revelati novi teſtamenti, abundantiori gratiæ auxilio ad Deum colendum amandumque humanum genus inſtruatur.

Declaratur quoque contra Proteſtantes, meri-

tum, quod Catholici in charitate, quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus noſtris agnoſcunt, merita Chriſti non obſcurare, ſed commendare, ſicuti fructus arborem, à quâ proferuntur, & rivuli fontem, à quo effunduntur, commendant & illuſtrant.

In poſteriori autem libro demonſtrare intendo, non eſſe in ſacerdotum poteſtate, aliis, quàm verè pœnitentibus in Dei nomine veniam impertiri. Nam ſicuti (ut cum Auguſtino loquar) „ [a] hoc planè juſtum eſt apud Deum, quia verè juſtum eſt, „ ut ii, quos peccatorum ſuorum pœnitet eo tempore, quo nondum pœnarum manifeſtus terror „ apparet, miſericorditer ſeparentur ab eis, qui „ defenſiones peccatorum ſuorum pertinaciter exequentes, nullâ pœnitentiâ corrigi volunt. Injuſtum eſt enim, ut cum his illi ad conſortium pœnarum copulentur, qui vocantem Deum non ſpreverunt, & peccantes diſplicuerunt ſibi, ut „ quemadmodum ille peccata eorum, ſic etiam „ ipſi odiſſent ſua. Ita è contra iniquum foret, ut illis remiſſionem peccatorum concederet, quibus propoſitum & jucundum eſt in peccatis perſeverare: hoc enim eſſet non peccata tollere, ſed impunitatem tribuere peccandi. Unde, ſicuti præclarè à ſancto Thomâ Cantuarienſi (cujus epiſtolas Chriſtianus Lupus ad magnum orbis bonum edidit) animadverſum eſt, *impœnitentes & perſeverantes in ſcelere & voluntate peccandi non Apo-*

a *Aug. in expoſit. inchoatâ epiſt. ad Rom. num.* 9. *edit. novæ, Pariſ.* b *Lib.* 3. *epiſt.* 7. *ad Epiſc. Wigorn.*

poſtolus, non Angelus licenter abſolvunt. Quare etiam idem ſanctus ſcribens Summo Pontifici Alexandro tertio, non veretur dicere, quòd *hi* (qui abſolvi volunt, tametſi abſolutione indigni) *nos* (ſcilicet ſacerdotes) *in ſortem Balaam conantur impellere, ut vivificantes animas, quæ non vivunt, criminoſos in ſcelere deprehenſos abſolvamus ſine pœnitentiâ & confeſſione erroris.* [c] *Quam utique poteſtatem* (inquit ſanctus Martyr) *Deus nec alii indulſit, nec retinuit ſibi.*

Quapropter & quia falſis pœnitentibus *non ignoſcitur, juſtitia Dei eſt; & quia* veris pœnitentibus *ignoſcitur, gratia eſt. Juſta eſt ergo gratia Dei, & grata juſtitia, cùm in eo quoque etiam pœnitentiæ meritum* (quemadmodum ait Auguſtinus) *gratia præcedat, quòd neminem peccati ſui pœniteret, niſi admonitione aliquâ vocationis Dei.*

Secundò exponitur, amorem pœnitentem, qui reconciliando homini etiam in ſacramento neceſſarius eſt, poſt violationem ſacramentorum, non ſolùm baptiſmi, ſed etiam pœnitentiæ ac Euchariſtiæ ſæpiùs iteratam, non adeo frequenter, quemadmodum vulgò putatur, momento adoleſcere; neque etiam adultos, poſtquam *in charitate* (ſicuti loquitur Apoſtolus) [d] *radicati* fuerint *ac fundati*, tam crebrò ab eâ excidere, uti vulgò creditur. Si enim tam occidua foret Chriſtianorum ſanctimonia, non potuiſſent priſci Chriſtiani, factâ à tyrannis quæſtione de illorum vitâ & moribus, reſpondere, Chriſtianos crimina non com-

 mit-

c *Ubi ſupra.* d *Epheſ.* 3. 17.

mittere. Sic beata Blandina (prout teſtatur Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 1.) ut oſtenderet quàm Chriſtiani eſſent à perpetrandis criminibus aut flagitiis alieni, dicebat: *Chriſtiana ſum. & nihil apud nos mali geritur.* Quod profectò dicere non potuiſſet, niſi ferè omnes Chriſtiani, qui communionis erant participes, fuiſſent innocentes, hoc eſt, perſeverantes in eâ juſtitiâ, quam in baptiſmo acceperant. Multum enim mali ab illis geritur, quorum vita conſiſtit in criminum & confeſſionum viciſſitudine.

Tertiò docetur, ſigna veræ pœnitentiæ potiùs ex factis, quàm verbis; potiùs ex fructibus bonorum operum, quàm ſponſionibus & promiſſis dignoſcenda eſſe. Nam (uti Martyr Cantuarienſis veriſſimè ait) [e] *arbor ex fructu cognoſcitur, & opera cujuſque teſtimonium perhibent de ea.* Quare etiam ſummus animarum Paſtor Chriſtus Dominus, qui, quemadmodum pœnitentiam veram nunquam reprobat, ſic ſemper aſpernatur & damnat fictam; utramque examinat ex contritione cordis, & convincit ab operibus ſuis, prout luculenter docet, quem ſtatim citavimus invictus Chriſti athleta. [f]

Docetur etiam eo libro, dilationem abſolutionis non eſſe notam perpetratorum criminum, ſed ſalutare ac glorioſum humilis ac pœnitentis animi indicium; eamque ſæpe utilem, imò ali-

qui-

e *Lib. 3. epiſt. 95. ad Gilbert. Londonienſ. Epiſcop.*
f *Ibid.*

quibus in caſibus neceſſariam eſſe medendis, licèt levioribus, vulneribus animarum.

His accedit commendatio & aſſertio Inſtructionis Confeſſariorum, quam à ſacris judicibus in pœnitentiæ tribunali ſanctus Borromæus voluit obſervari.

Deinde oſtenditur, ea cœleſtis prudentiæ lumina, quibus inſtructiones divi Borromæi conſpicuæ & venerabiles ſunt, præſertim tunc à Confeſſariis præ oculis habenda eſſe, quando illi apud ipſos peccata confitentur, quos elegit Dominus, ut eſſent ſuo gregi veluti cœleſte ſal, quo à corruptionibus flagitiorum ſervaretur; & veluti viſibiles Angeli, qui & verbo prædicationis & exemplo vitæ ſemitam ſalutis oſtenderent. Qui enim ſublime vitæ genus ſalvandis animabus adeò neceſſarium ſuis criminibus deturpant, ex alto corruunt, & ità franguntur, ut eorum curatio difficilis ac plerumque tarda evadat. Et certè grande divinæ miſericordiæ opus eſt, flagitioſos vel facinoroſos Clericos (quos Heribertus ſancti Thomæ Cantuarienſis diſcipulus atque domeſticus non veretur *coronatos dæmones appellare*) in Angelos Domini denuò reformari.

Hæc atque alia in ſecundo libro ediſſeruntur.

§. 2. *Reteguntur fundamenta quibus nititur.*

UT primi libri præcipuum dogma de neceſſitate amoris pœnitentis aſtruam, his præcipuè ve-

g *In vitâ S. Thomæ lib. 1. cap. 17.*

veritatibus nitor: Primò, hominem non minùs eſſe amantem, quàm cognoſcentem creaturam: docentibus Patribus, hominem ſine aliquo amore eſſe non poſſe; imò ipſum non aliâ magis de causâ intellectu præditum eſſe, quàm ut bonum ſuum ac beatitudinem dignoſcens atque diſtinguens ab iis, quæ ejus bonum non ſunt, illud amore proſequi ac conſequi valeret. *Neque enim ei ineſſe poſſet ullatenus ratio, niſi ei poſſet Creatoris* (qui ejus bonum ac felicitas eſt) *ineſſe dilectio. Quia* (uti præclarè inquit Sanctus Fulgentius) *nec eſt alia quæ vera ſit ſapientia vel intelligentia creaturæ, niſi dilectio Creatoris.* Hinc etiam fit, ut homo non dicatur bonus aut malus ex eo quod cognoſcit, ſed ex eo, quod diligit.[h] *Mores enim noſtri non ex eo quod quiſque novit; ſed ex eo, quod quiſque diligit, dijudicari ſolent.*

Secundò, hominem non poſſe amare, quin amorem ſuum velit ad aliquid religare, quod aut Deum, aut mundum eſſe neceſſe eſt. Inde illud celebre beati Leonis effatum:[i] *Rationalis animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi. In dilectione Dei, nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia.*

Tertiò, illum amorem eſſe quoddam vivum pondus, ſive propenſionem, quo animus & fertur ad rem amatam, dum abſens eſt, juxta illud celebre dictum Auguſtini: *Amor meus, pondus meum: eo feror, quocumque feror:* & quo in illo conquieſcit ac moratur, quatenus præſens eſt.

Quar-

h *Aug. epiſt. 52. ad Macedon.* i *Serm. 5. de jejunio ſeptimi menſis.*

Quartò, poſt Adæ lapſum homines in amore creaturæ, ſive concupiſcentiâ concipi, eamque etiam in regenitis vivere, nec in hâc vitâ penitùs extirpari. Nam licèt in tantum minuatur, in quantum creſcit Dei dilectio; nunquam tamen Dei dilectio in hâc vitâ ad eam perveniet perfectionem ac plenitudinem, ut omnem excludat cupiditatem. Hinc ipſe gentium Apoſtolus agnoſcens ſe necdum ab omni fæce terrenæ cupiditatis omninò defæcatum eſſe, proteſtatur ſe necdum perfectionem divini amoris ac juſtitiæ eſſe conſecutum. *Non*, inquit, *quòd jam perfectus ſim.* Unde, ut ad perfectionem proficiamus, „ [i] quotidie (juxta celebrem „Auguſtini ſententiam) detrahendum eſt aliquid de „pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus cha„ritatis, donec illud conſumatur, hoc perficiatur. Nam proficimus in hâc vitâ deficiente cupiditate, creſcente charitate; perficiemur in alterâ, cupiditate extinctâ, charitate completâ.

Quintò, in quovis homine ſemper eſſe aliquem amorem dominantem, ſive aliis amoribus majorem, qui ſit quaſi virtualis aut habitualis ejus conſtitutio, ſive animi affectio; non quidem tanquam habitus aut color mortuus eum afficiens, ſed tanquam durans quidam impetus ſive pondus eum inclinans ad rem amatam, aut certè illi eum affigens atque conjungens.

Sextò, hominem ætate adultum eſſe in ſtatu peccati mortalis, dum amor, qui in corde ejus principatum gerit, eſt amor creaturæ propter ſe

 ipſam

i *Epiſt.* 89. *quæſt.* 2.

ipſam adamatæ. Tunc enim creaturam anteponit Creatori, & magis æſtimat id, quod à Deo factum eſt, quàm Deum, à quò factus eſt. Quod profectò ſine judicii & cordis humani magnâ perverſitate fieri non poteſt. Econtra ab homine ætate adulto, quamdiu dominatur & prævalet in illo divinus amor, Deum mortaliter non offendi; quamvis ab illo ex ſuperſtite, licèt non dominante, tamen adhuc vivente concupiſcentiâ venialiter offendatur.

Septimò, non omnem charitatem, ſive Dei amorem eſſe prædominantem cupiditati, ſive amori, quo creatura in ſe ipsâ & propter ſe ipſam diligitur; nec omnem cupiditatem imperare ac dominari divino amori. Eſt enim in nonnullis hominibus diu quoddam rudimentum dilectionis Dei, quod, quamvis bonum ſit, tamen dominium cupiditatis non tollit. E contra vivunt in amatoribus Dei parvæ libidines, quæ quamvis dominium divino amori non auferant, efficiunt tamen, ut etiam in multis, licèt non in magnis, juſti manentes juſti Deum offendant. Hinc ex ſuâ & illorum perſonâ ait dilectus Jeſu diſcipulus: [1] *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Poſſunt ergo juſti multa opera facere, quæ non referant in honorem Dei, & quæ ex charitate non fiant, quæ tamen mortalis labis expertia manent; quia amori Dei principatum non auferunt, licèt ejus fervorem nonnihil debilitent.

Ju-

[1] 1. *Epiſt.* 1. *v.* 8.

Juſtos, qui non omnia opera ſua in Deum referunt, & tamen permanent eſſe juſti, quia Deum ſuper omnia amare perſeverant, deſcribit Auguſtinus in pſal. 80. dum ait: *Sunt..... qui rebus infirmitati conceſſis inhærent aliquantulum dilectione. Non rapit villam alienam, ſed ſic amat ſuam, ut perturbetur; non appetit uxorem alienam, ſed ſic inhæret ſuæ, ſic miſcetur ſuæ, ut modum non teneat præſcriptum tabulis liberorum procreandorum cauſâ. Non rapit aliena, ſed repetit ſua, & habet cum fratre ſuo judicium. Talibus enim dicitur:* JAM QUIDEM OMNINÒ DELICTUM EST IN VOBIS, QUÒD JUDICIUM HABETIS VOBISCUM..... *Contendit Chriſtianus pro rebus terrenis ampliùs, quàm decet eum, cui promiſſum eſt regnum cælorum. Non totum cor ſuum levat, ſed aliquam partem ejus trahit in terram.* Hic Chriſtianus (uti idem docet Auguſtinus) licèt aliquantum inhæreat dilectione rebus infirmitati humanæ conceſſis, manet tamen juſtus, quia eas non præponit Chriſto; nam illis, quàm Chriſto, carere mallet, quamvis eas ſine dolore non perderet. *Si dicatur tibi poſſeſſionem vis, an Chriſtum; etſi triſtis eam perdis, plùs tamen amplecteris Chriſtum, quem poſuiſti in fundamento, ſalvus eris tanquam per ignem.* Juſti itaque, qui rebus ſuis aliquâ cupiditate inhærent, qui uxore ſuâ ſubinde non liberorum, ſed voluptatis causâ utuntur, qui res ſuas ardentiùs repetunt, quique propter eas judicio contendunt, illi quidem iſtud non faciunt ex amore Dei, cùm amor Dei contraria jubeat, verùm nihilominus

in

in dominante Dei amore permanent, quia eum pluſquam illa diligunt, licet non tam vehementer diligant, ut per ejus amorem omnes illicitos aut inordinatos creaturarum amores omnino excludant.

Octavò, nullatenus credendum eſſe illum amorem, quem prædominantem ſubinde vocamus, tales debere habere vires, ſive ex ſe ipſo, ſive aliunde, ut par ſit ad vincendas quaſcumque tentationes, illecebras, terrores & dolores, qui inferri homini poſſunt. Erat Petrus ex prædominante Chriſti amore juſtus, Deoque charus ante tentationem, metumque ab ancillis incuſſum : verùm huic amori, qui in pace ac tranquillitate prædominabatur, tentatione excitatâ, excreſcentes vitæ libidines, timoreſque pœnarum mortiſque inſtantis principatum ademerunt. m *Quando martyres* (inquit Auguſtinus) *magna illa mandata fecerunt, ſuſtinendo duriſſimos pro Chriſto cruciatus atque tormenta, magnâ utique voluntate, hoc eſt, magnâ charitate fecerunt..... Iſtam charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit.* TIMOR ENIM NON EST IN CHARITATE, *ſicut ait Joannes Evangeliſta in epiſtolâ ſuâ,* SED PERFECTA CHARITAS FORAS MITTIT TIMOREM. *Et tamen, quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino*: ANIMAM MEAM PRO TE PONAM. Charitas Petri, quam Auguſtinus hîc parvam & imperfectam vocat, quia parva & imperfecta erat comparatione factâ

ad

m *De gratiâ & lib. arb. c.* 17.

ad vincendas tentationes, à quibus proſtratus fuit; ſat magna & ſat perfecta erat, ut extra peccati occaſionem ac tentationem inſolitam, cupiditatibus imperaret, & in Chriſti ſequelâ fidelis permaneret.

Puritatis amor, quo ſanctus ille Deum colebat, qui in molli culcitrâ ponebatur, ut ab impudicâ muliere contrectatus fœdis voluptatibus conſentiret, per ſe ipſum ſat fortis erat, ut extra tam ingentem tentationem vinceret: verùm inter iſtas illecebras ac fœminea blandimenta ſuccubuiſſet, niſi linguam ſuam ſuis dentibus præſcindens, à doloribus ad expugnandas voluptates auxilium ac vires ſuæ caſtitati accerſiviſſet. Servabat ergo charitati principatum, quia creſcentibus illecebris cupiditatis, ſenſum illarum majori doloris ſenſu obtudit.

Per amorem itaque prædominantem intelligimus amorem, quo quis hîc & nunc nihil magis aut æquè amat, ac Deum ſuum amat ac veneratur: non verò intelligimus talem amorem, qui tam fortis ſit, ut creſcentibus per illatas illecebras, minas atque tormenta concupiſcentiis, nihilominus ipſe vinceret, licet ipſe nec per majorem cœleſtis gratiæ dulcedinem novas vires ac incrementa ſumeret, nec timoribus doloribuſve aut aliis affectibus ſe contra libidines præmuniret. Ut ergo amor Dei in magnis tentationibus permanere poſſit, requiritur ut aut ipſe per cœleſtis gratiæ infuſionem majores vires acquirat, aut alia ſibi procuret ſubſidia, quibus exurgentes libidines

fran-

frangat. Ut tamen homo permaneat aut fiat Dei amicus, quocumque in loco, tempore, aut tentatione fuerit, neceſſe eſt, ut amor Dei in ejus corde dominetur: unde dum per tentationes concupiſcentiis vires addendæ videntur, ut charitatem fortiùs oppugnare, eique principatum adimere poſſint; tum humiliùs & devotiùs Deo ſupplicandum, ut ſua in nobis dona conſervet, ut augeat charitatem cœleſtemque delectationem, ne ex ſuo principatu deturbetur.

Demùm, ad pœnitentiam veram requiri magnam novi teſtamenti gratiam, quæ à Deo magnis precibus imploranda eſt; cùm ſine illâ (uti definivit Concilium Tridentinum) nemo, ſicuti oportet, valeat pœnitere. Etenim veram ſive certam pœnitentiam (juxta celeberrimam Auguſtini ſententiam) non facit *niſi amor Dei, & odium peccati.* In hujus autem amoris inſpiratione ſita eſt gratia novi teſtamenti, quâ ſolvimur ab illecebroſis peccati ſive concupiſcentiæ vinculis, quibus trahimur ad Dei legem violandum, etiam cognitam. [a] *Ab hoc reatu graviore liberat gratia Spiritûs ſancti per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quæ diffuſâ charitate in cordibus noſtris donat juſtitiæ delectationem, quâ immoderatio concupiſcentiæ ſuperetur.*

Atque his quidem principiis pleraque nituntur, quæ in primo libro expoſuimus.

a *Aug. lib. de fide & operib. c. 23.*

§. 3. *Elu-*

§. 3. *Elucidantur phraſes aliquæ, ne in malum ſenſum detorqueantur.*

UT autem illa etiam eis clariora & intellectu faciliora evadant, qui in Theologiâ minùs verſati ſunt, nonnullos hîc terminos, quorum in hoc libro crebrior uſus, definiemus, & exponemus quo ſenſu à Theologis accipiantur.

Quando illi aſſerunt, & nos poſt ipſos dicimus ad reconciliationem hominis poſtulari amorem Dei ſummè aut ſuper omnia dilecti, tunc amorem Dei non comparamus ad ſe ipſum, ſed ad amorem creaturæ: unde iſtis loquendi rationibus nihil aliud inſinuatum volumus, niſi Deum pluſquam creaturam eſſe diligendum; nullatenus autem dicere intendimus, quòd Creatoris amor, ut hominem in ſacramentis Deo reconciliet, ad apicem ſuæ perfectionis debeat eſſe provectus.

Eâdem ratione, quando à Theologis, ipſoque Catechiſmo Romano dicitur, quòd ad contritionem requiratur ſummus Dei amor, & ſummum odium peccati, hoc alium non habet ſenſum, quàm deſiderari ad contritionem, ut omnibus aliis amoribus & odiis, quæ in corde peccatoris commorantur, amor Dei, & odium peccati prævaleant; ſive ut amor, quo pœnitens fertur in Deum, major ſit amore, quo fertur ad creaturas; & ut odium, quo peccatum perſequitur, majus ſit, quàm odium, quo ſui corporis, famæ, honoris, alteriuſque rei detrimenta averſatur.

§. 4. *In*

§. 4. *In ſacramentis continentur vota & juramenta ſecundùm Patres. Iſtud in Baptiſmo oſtenditur.*

DEinde quando in epiſtolâ huic operi præfixâ dicitur, ſacramenta eſſe juramenta, vota & fœdera, iſtud poſt ſanctos Patres, eorumque ſenſu dicitur.

Tertullianus de coronâ militis cap. 3. dicit: *In Eccleſiâ ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare diabolo, & pompis & Angelis ejus* Quid eſt autem conteſtari niſi jurare, jure jurando non aliud exiſtente, quàm invocatione, quâ Deus in teſtem aſſumitur? Unde Tertullianus eodem libro cap. 13. ait, *omnes alienas, profanas, illicitas* (cauſas) *ſemel in ſacramenti teſtatione ejeratas.*

In libro de ſpectaculis cap. 4. illud teſtimonium, quo in baptiſmi ſuſceptione conteſtamur nos diabolo, pompis & angelis ejus renunciare diſertè *ejerationem* vocat. In eodem libro cap. 24. ut fideles à ſpectaculis deterreat, dicit ea comprehendi ſub pompâ diaboli, quam in ſignaculo fidei (baptiſmate ſcilicet) *ejeramus. Quod autem* (inquit) *ejeramus, neque facto, neque viſu, neque proſpectu participare debemus* Quid autem ejerare ſive ejurare, niſi rem aliquam cum jurejurando rejicere ac deteſtari?

Libro de animâ, renunciationes, quæ à catechumenis in baptiſmo exiguntur, pactum vocat. *Pactus es* (inquit Chriſtianum alloquens) *renun-*

ciare ipſi (diabolo ſcilicet) *& pompis, & angelis ejus.*

Origenes moraliter exponens ſponſionem filiorum Iſraël Regi Amorrhæorum factam, dum dicerent: *Obſecro ut mihi liceat tranſire per terram tuam: non declinabimus in agros & vineas*, &c. *Viâ regiâ gradiemur, donec tranſeamus terminos tuos*; dicit nos *promittere* dum abrenunciamus ſatanæ, pompis & angelis ejus. „ Nos ergo ſumus, „ qui tranſire volumus per hunc mundum, ut per- „ venire poſſimus ad terram ſanctam, quæ repro- „ miſſa eſt ſanctis; & mittimus verbis pacificis „ ad Seon, *promittentes* non nos habitaturos in „ terrâ ejus, nec moraturos cum eo, ſed tranſi- „ turos tantummodo, & inceſſuros viâ regali, „ nec declinaturos uſquam neque in agrum, ne- „ que in vineam, ſed nec de lacu ejus aquam bi- „ bituros. Videamus ergo quando nos iſta *promi-* „ *ſimus*, quando hæc verba diabolo denunciavi- „ mus. Recordetur unuſquiſque fidelium, cùm „ primùm venit ad aquas baptiſmi, cùm ſignacu- „ la fidei prima ſuſcepit, & ad fontem ſalutaris „ acceſſit, quibus ibi tunc uſus ſit verbis, & quid „ denunciaverit diabolo: non ſe uſurum pompis „ ejus, neque operibus ejus, neque ullis omninò „ ſervitiis ejus ac voluptatibus pariturum. Et hoc „ eſt, quod his legis ſermonibus adumbratur, „ quia non declinet Iſraël neque in agrum ejus, „ neque in vineam ejus. Sed neque aquam de lacu „ ejus pollicetur ſe eſſe potaturum: non enim ul- „ trà diſciplinæ diabolicæ, non aſtrologiæ, non

„magicæ, non ullius omninò doctrinæ, quæ „contra Dei pietatem aliquid doceat, poculum „ſumet fidelis. Habet enim ſuos fontes, & bi- „bit de fontibus Iſraël, bibit de fontibus ſalu- „taris: non bibit aquam de lacu Seon, nec re- „linquens fontem aquæ vivæ, congregat ſibi „lacus confractos. Sed & viâ regali inceſſurum „ſe *profitetur*. Quæ eſt via regalis? Illa ſine „dubio, quæ dicit: *Ego ſum via*, *veritas & vi- „ta.* Et meritò regalis: ipſe eſt enim, de quo „Propheta ait: *Deus judicium tuum Regi da.* Viâ „ergo regali incedendum eſt, nec declinandum „uſquam neque in agrum ejus, neque in vi- „neam ejus; id eſt, neque ad opera, neque ad „ſenſus diabolicos declinare ultrà mens fidelium „debet.

Sanctus Baſilius abrenunciationes, quas ba- ptizandi edunt, nunc pacta, nunc ſponſiones, nunc promiſſiones appellat. In ſermone de in- ſtruendis baptizandis ità loquitur: [a] „In baptiſmo „aquæ *ex pacto polliciti* videmur, *profeſſi* illic „quòd unà cum Chriſto crucifixi, mortui, ſe- „pultique ſumus.

In homiliâ, quæ iſtam ſubſequitur, & quæ de baptiſmo eſt, baptizatos ità alloquitur: „Mor- „tificate membra veſtra, ... omninò baptiſmi „*pacta* ſervantes..... in omnibus commendantes „noſmetipſos tanquam miniſtri Dei ſinceram & „veracem oſtendamus baptiſmatis *promiſſionem.*

In eâdem homiliâ circa finem hæc habet: „Ac-

„ce-

a *Edit. Colon.* 1617.

„ cedimus ad baptiſmum aquæ factis *ſponſionibus* „ *ac pactis*, &c. Aquâ verò in mortem Domini „ baptizati, quaſi ſcripto quodam *pepigimus &* „ *profeſſi ſumus*, quòd mortui ſumus peccato & „ mundo, vivificati verò juſtitiæ.

In ſermone ſecundo de baptiſmo cap. 1. idem ſanctus Doctor ſic loquitur: „ Qui in mortem „ Chriſti baptizatus eſt, ... *irrevocabili pacto* „ ſe aſtrinxit ad hoc ut Chriſtum ſequatur in o- „ mnibus. Ex quàm multis teſtimoniis Baſilii docemur agnoſcendum eſſe in baptiſmo pactum & quidem irrevocabile cum Deo initum, quo nos aſtringimus ad Chriſtum in omnibus ſequendum, item ſponſionem & promiſſionem, quibus Deo promittimus quòd vivemus tanquam mortui peccato ac Deo viventes. Ait quoque hanc ſponſionem ac promiſſionem laticibus baptiſmi quaſi conſcribi, ut firmæ & ſacroſanctæ permaneant. Quid autem promiſſio Deo facta, niſi votum ſacroſanctum?

Gregorius Nyſſenus, perinde atque ejus frater Baſilius, & pactum & votum in baptiſmo agnoſcit. [b] „ Has (inquit) recens initiati homi- „ nis voces *proprium pactum* recordantis, quod „ in traditione myſterii *cum Deo fecit*, cùm o- „ mnem pœnam, cruciatum & voluptatem pro „ illius dilectione ſe neglecturum eſſe promi- „ ſit.

A beato Ambroſio, ſive auctore librorum

b *Tom. 3. ſerm. in baptiſm. Chriſti.*

de ſacramentis, abrenunciationes, quæ fiunt in baptiſmo vocantur promiſſiones & cautiones. Neophytum alloquens hæc ait: ,, [c] Quando te ,, interrogavit: Abrenuncias diabolo & operibus ,, ejus, quid reſpondiſti? Abrenuncio. Abrenun-,, cias ſæculo & voluptatibus ejus, quid reſpondiſti? ,, Abrenuncio. Memor eſto ſermonis tui, & nun-,, quam tibi excidat tuæ ſeries *cautionis*. Si chirogra-,, phum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecu-,, niam ejus accipias, tenêris aſtrictus, & reluctan-,, tem te fœnerator aſtringit atque illic tuâ cautio-,, ne convinceris. *Ubi promiſeris* conſidera, vel ,, *quibus promiſeris*. Levitam vidiſti, ſed miniſter eſt ,, Chriſti. Vidiſti illum ante altaria miniſtrare; ergo ,, *chirographum* tuum tenetur non in terrâ, ſed in ,, cœlo. ..... Ergo abrenunciaſti mundo, abre-,, nunciaſti ſæculo, eſto ſolicitus. Qui pecuniam ,, debet, ſemper cautionem ſuam conſiderat. Et ,, tu qui *fidem debes Chriſto, fidem ſerva*, quæ ,, multò pretioſior, quàm pecunia eſt. Fides e-,, nim æternum patrimonium eſt, pecunia tem-,, porale. Et tu ergo ſemper recordare quid pro-,, miſeris. Cautior ſi teneas *promiſſionem* tuam, ,, tenebis & *cautionem*. En quomodo hîc abre-nunciationes illæ vocantur promiſſio & cautio; & quidem promiſſio non tam hominibus, quàm Deo facta, & non tam in terrâ, quàm in cœ-lo ſcripta. Quid autem votum niſi promiſſio Deo facta? Sanctus Ambroſius in cap. 20. Lucæ diſer-tè ait, catechumenos Deo promittere, quando inter-

c *Lib.* 1. *cap.* 1.

terrogati num diabolo abrenuncient, ſe reſpondent abrenunciare. „Cùm ſacramenta ſuſcipi„mus (inquit) renunciamus. Quàm gravia vin„cula *promittere Deo*, & non ſolvere *Melius eſt* „(inquit) *non vovere, quàm vovere & non red*„*dere.* Major eſt contractus fidei, quàm pecu„niæ. Itaque ſecundùm Ambroſium vota Deo nuncupamus, & contractum cum eo inimus, quando baptiſmum ſuſcipimus.

Sanctus Hieronymus in caput 6. Amos in abrenunciationibus baptiſmalibus & pactum & votum aſſerit contineri. *In myſteriis* (inquit) *primùm renunciamus ei, qui in occidente eſt, nobiſque moritur cum peccatis; & ſic verſus orientem pactum inimus cum ſole juſtitiæ, & ſic nos ei ſervituros eſſe promittimus.* Quid autem Deo promittere, & quidem cum ſolemni pacto ſe obligandi, quàm voti nuncupatione ſe Deo obſtringere?

Chryſoſtomus oratione 6. in epiſtolam ad Coloſſ. abrenunciationes & ſponſiones baptiſmales non ſolùm chirographum, ſed etiam fœdus & pactum vocat. Poſtquam (inquit) diximus, *Abrenunciamus tibi ſatana; & tibi nomen damus, & in tuorum militum numeram adſcribimur Chriſte. Hoc eſt fœdus & pactum conventum.*

Auguſtinus ſponſionem baptiſmalem non ſolùm votum appellat, verùm illud nominat & aſſerit noſtrum eſſe *votum maximum*; aitque iſtud votum prædicari, ſive celebrari, ſive ſolemnius & ſanctius reddi, dum communicamus corpori Domini. [a] *Voventur* (inquit) *omnia, quæ offerun-*

[a] *Epiſt. 59. ad Paulin.*

 tur

tur Deo, maximè ſancti altaris oblatio, quo ſacramento prædicatur noſtrum aliud VOTUM MAXIMUM, *quo nos* VOVIMUS *in Chriſto eſſe manſuros.* Hæc ibi Auguſtinus, qui lib. 2. de ſymb. c. 1. hanc doctrinam confirmat, ità catechumenos alloquens: *Videte quia* PROFESSIONEM *veſtram in curiam profertis Angelicam. Nomina* PROFITENTIUM *in libro accipiuntur vitæ, non à quolibet homine, ſed à ſuperiore cœlitùs poteſtate.*

Idem ſanctus libro 4. de ſymbolo ad catechumenos ità loquitur ad Neophytum ſuæ ſponſionis immemorem: *Fidelis in nomine, aliud demonſtras in opere, non tenens* PROMISSIONIS TUÆ FIDEM. Et cùm ex locis ſuprà citatis & adhuc infra citandis conſtet hanc promiſſionem Deo fieri, dubium eſſe non poteſt, quin pro voto habenda ſit.

Sanctus Cæſarius Arelatenſis, in homiliâ duodecimâ per Baluzium editâ, abrenunciationes, quæ fiunt in baptiſmo vocat non tantùm *promiſſionem* & *pactum*, verùm etiam *primam & præclaram promiſſionem*, quam nos præſtare ante omnia oportet. „Licet totum quicquid homo „promiſerit, ſi poteſt, debeat operibus implere, illam tamen *primam & præclaram promiſſionem*, quam eo tempore, quo in baptiſmo „renaſcimur, *Deo promittimus*, ſpecialiter cum „ipſius adjutorio ſervare debemus. . . . . . . Si ergo hoc, quod primum eſt, & in quo fundamentum Chriſtianæ religionis conſiſtit, fideliter

„ter conſervamus, certum eſt, quòd reliqua „cum ipſius adjutorio implere poterimus. Si ve- „rò hoc, quod *Deo promittimus*, implere ne- „gligimus, neſcio ſi illam fidem, quæ inter „homines agitur, ſervare poſſimus. Si enim ho- „mini cuilibet poteſtatem habenti periculosè a- „liquid promittimus, ſi hoc implere negligi- „mus, quantùm periculoſius eſt Deo promitte- „re, & non reddere? Sed hominem ideo reve- „remur, quia aut mortem aut damnum corpo- „ris expaveſcimus: Deo ideo reddere diſſimula- „mus quod *promittimus*, quia mortem animæ „omnimodis non timemus..... Fiat ergo im- „primìs quod *Deo promittimus*...... Conſide- „ret unuſquiſque conſcientiam ſuam, & ſi ſe im- „pleſſe viderit quod *promiſit*, abrenunciaſſe dia- „lo..... *fidem integram* ſe ſervaſſe gaudeat.... „Conſideret ergo unuſquiſque quod in baptiſmi „ſacramento promiſit. Et quia *pactum* cum Do- „mino fecit, videat ſi illud ex nullâ parte viola- „vit. Quando enim interrogatus eſt, abrenun- „cias diabolo, & pompis & operibus ejus, tunc „ſacerdos *ſubſcribendum pactum* obtulit. Quan- „do autem reſpondit, (catechumenus) Abrenun- „cio, tunc *ſubſcripſit*..... Credo quòd nunquam „peritura ſit fides vel baptiſmum meum, quod „accepi. Bene credis; ſi feciſti, quod *promiſi- „ſti*; ſi *pactum*, quod cum Domino inieras, „conſervaſti, ſecurus eſto.... Si verò quod ver- „bis *promiſiſti*, operibus implere diſſimulaſti, quâ „fronte, vel quâ conſcientiâ ſcis quòd non pe-

„rierit baptiſmum tuum, cùm non cuſtodieris „*pactum*........Diligenter attendite, quia nihil „prodeſt homini, quòd fidem ſe habere dicit, „ſi quod verbis *promittit*, operibus implere ne- „glexerit, ſecundùm illud Scripturæ: *Si quid vo-* „*viſti Deo, ne morêris reddere: diſplicet enim* „*ei infidelis & ſtulta promiſſio. Multò melius eſt* „*non vovere, quàm poſt votum promiſſa non red-* „*dere.*

Nihil ſplendori hujus ſententiæ addi poteſt. Non ſemel, ſed ſæpiùs hîc abrenunciationes vocantur *promiſſiones* ſive vota, & *pacta.*

Sanctus Salvianus, niſi baptiſmales ſponſiones pro votis habuiſſet, nunquam dixiſſet, quòd ſpectaculis intereſſe ſit quædam apoſtaſia fidei In ſpectaculis (inquit lib. 6. de gubernatione Dei) quædam *apoſtaſia* fidei eſt..... Quæ enim in baptiſmo ſalutari Chriſtianorum *prima confeſſio*? Quæ ſcilicet, niſi ut renunciare ſe diabolo & pompis ejus atque ſpectaculis & operibus proteſtentur.

Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus abrenunciationes, quæ poſtulantur ab abluendis in ſacro fonte baptiſmi dilertè aſſerit eſſe pactiones. *Prima* (inquit lib. 2. de Eccleſ. off. c. 24. PACTIO *eſt, quâ renunciatur diabolo & pompis ejus, & univerſæ converſationi illius.*

Sancto Iſidoro adſtipulatur Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, dum in libro de ordine baptiſmi num. 12. & 13. ità loquitur: „Sive hi, „qui baptizandi ſunt, ſive nos, qui baptiſmi

„ſa-

„ſacramentum jam percepimus, ante oculos po-
„nere debemus *pactum*, quod cum Deo in ba-
„ptiſmate fit, ubi renunciatur ſatanæ & operibus
„ejus & pompis. Quod *pactum* tunc irritum fit,
„ſi aut in fide quis permanendo vitiis, aut à fi-
„de exorbitando idolorum cultibus, aut hære-
„ſum erroribus ſubdatur. Poſt hæc ait, has pa-
ctiones eſſe numero duas, quarum prior ſpectat ad mala, quæ cavere, poſterior verò ad bonum, quod fide & dilectione colere debemus. „Quia
„igitur conſtat *pactiones* credentium eſſe duas,
„unam in quâ abrenunciatur diabolo, & pom-
„pis & omnibus operibus ejus; alteram, quâ ſe
„credere confitentur in Patrem, & Filium, &
„Spiritum ſanctum, oportet has inconvulsâ men-
„tis intentione tenere, &c.

Sanctus Anſelmus, qui ſæculum undecimum ſuâ doctrinâ illuſtravit, vota baptiſmalia meditatione tertiâ, juxta noviſſimam ejus editionem, vocat profeſſionem juratam, dum hâc ratione ſuam animam alloquitur: *Tu, inquam, quæ quondam candidata cæleſti lavacro, dota a Spiritu ſancto, in Chriſtianâ profeſſione juratâ, virgo fuiſti Chriſto deſponſata.* Hæc verba non interprete, ſed lectore egent, ut pateat in profeſſione baptiſmali includi jusjurandum.

Hæc Patrum teſtimonia hîc duximus recenſenda eſſe, ne quis ægrè ferat ſacramenta à nobis dicta eſſe juramenta, vota, & pacta cum Deo inita.

Sed inquiet aliquis, hinc ſequi Chriſtianos

 fie-

fieri perjuros, fœdifragos, & votorum violatores, quoties mortalia peccata perpetrant.

Repono hunc apud homines loquendi uſum receptum nunc eſſe, ut perjuri, fœdifragi, & violatores votorum non alii vocentur, quàm certi homines, qui ſpecialia quædam crimina perpetrant, quibus juxta Eccleſiaſticas aut civiles leges, aut conſuetudines infamia quædam annexa eſt; non eſſe autem uſu receptum, ut propter quodvis peccatum mortale, quod poſt baptiſmum committitur, Chriſtianus tanquam perjurus aut fœdifragus, aut etiam ſacrilegus voti violator apud humana judicia & tribunalia inhonoretur. Certum tamen eſt ob violationem fœderum, pactionum atque votorum ſive juramentorum, quæ apud fontem baptiſmatis præcipuè eduntur, peccata Chriſtianorum graviora peccatis ethnicorum à Deo, cujus judicium non errat, æſtimari: quemadmodum à Morino de adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ lib. 3. cap. 6. animadverſum & expoſitum eſt.

Audiamus Patres illic à Morino laudatos. Gregorius Nazianzenus ſub initium orationis 40. ità loquitur: „ Ut compendio dicam, nihil aliud „ eſſe vim & facultatem baptiſmi exiſtimare debe„ mus, quàm ſecundæ vitæ, ac purioris viven„ di rationis *pactum & fœdus cum Deo initum.* „ Ac proinde vel maximo in metu omnes eſſe, „ atque omni cuſtodiâ noſtras animas ſervare de„ bemus, ne hoc pactum violaſſe comperiamur. „ Nam *cùm ad mutua hominum pacta firmanda*

„ *Deus*

„*Deus medius adhiberi ſoleat, quantum quæſo pe-*
„*riculum eſt, ne fœdera cum Deo ipſo contracta per-*
„*fregiſſe reperiamur.* Idque cùm nulla jam poſt-
„ hac altera regeneratio ſit, nec inſtauratio, nec in
„ veterem ſtatum reſtitutio, quamlibet maximè
„ eam cum multis gemitibus & lacrymis requira-
„ mus.

Hæc Nazianzenus. Conſonat Nicetas ejus interpres, ità loquens: „ Is, qui baptizatur, ſecun-
„ dæ vitæ meliorisque inſtituti pactum cum Deo
„ init, priori ac flagitioſæ vitæ nuncium remittens.
„ Quocirca omni cuſtodiâ ſervemus cor noſtrum,
„ ne cum propriâ ſyngraphâ, quam in fidei pro-
„ feſſione protulimus pugnantes reperiamur. Ete-
„ nim ſi pacta cum hominibus inita Deus interje-
„ ctus confirmat, quantum periculum ei impendére
„ putandum eſt, qui conventionem cum ipſo fa-
„ ctam perfregerit, ſalutiſque fœdera nefariè vio-
„ laverit, & fidem ipſi datam fefellerit.

Ex his Nazianzeni Nicetæque verbis apparet peccata à Chriſtianis commiſſa ob baptiſmi violationem & graviora eſſe, & difficiliorem ſortiri curationem, quàm peccata ante baptiſmum ſuſcepta.

Non ſolùm Nazianzenus aliique Patres docent ex violatione pactorum cum Deo in baptiſmate initorum peccata Chriſtianorum graviora fieri; verùm etiam celebre Francici Imperii Concilium, quod ſub Ludovico Pio Pariſiis fuit adunatum, idipſum docuit. Poſtquam enim iſtud Concilium lib. 1. cap. 9. dixiſſet: *Conſtat enim unumquemque fide-*

fidelem Deo in baptiſmate duarum pactionum nexibus ſe obligare: alterâ, quâ abrenunciare diabolo, & omnibus operibus, & pompis ejus; alterâ verò, quâ ſe in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum credere profitetur: tum ait, priorem pactionem ſcelere quocunque, poſteriorem verò infidelitate, hæreſi, & ſchiſmate violari: utriuſque verò, vel etiam alterutrius temeratores graviùs peccare, quàm ſi quis humana pacta temeraret: capite enim decimo libri citati hâc ratione loquitur: *Si jura humanæ pactionis firmiter conſerventur, fixiùs atque firmiùs jura* TANTI PACTI, *quæ cum Deo facta ſunt, inviolabiliter ſunt obſervanda.* Unde etiam capite ſuperiori monet Concilium baptizatos, ut caveant, ne quibuſlibet vitiorum ſordibus ſe maculantes, non ſolùm eundem ſibi reaccendant ignem, quem baptiſmo extinxerant, verùm etiam immundum ſpiritum à ſe tempore baptiſmatis expulſum cum ſeptenario dæmonum numero ſibi addito ad ſe quoquomodo redire faciant; fiantque illis (quod Dominus ait) noviſſima pejora prioribus, & quamvis nulli dubium eſſe poſſit, quin religio Chriſtiana baptiſmum Chriſti fideliter expetat, & ſalubriter percipiat; attamen *valde* (inquit idem Concilium) *periculoſum eſt, & à religione Chriſtianâ alienum, quòd poſt tanti doni perceptionem unuſquiſque fidelis, cùm ad intelligibilem ætatem venit, myſterium baptiſmatis diſcere & intelligere negligit, atque eo intellecto ſecundùm illud vivere non ſatagit.* Ex his igitur conficitur, ex viola-

latione baptiſmi ac fœderum cum Deo in baptiſmi ſuſceptione initorum, peccata contrahere nonnullam perfidiæ ſive perjurii fœditatem.

Concilium ſub eodem Ludovico Pio Aquiſgrani ex pleriſque Francici imperii ac præſertim Auſtraſiæ Epiſcopis adunatum, poſtquam cap. 114. aſſeruiſſet oportere, ut Chriſtiani, ſi Deo velint placere, ſemper præ oculis habeant pactum, quod cum Deo apud ſacrum fontem inierunt, deinde ait, iſtud *pactum tunc irritum fieri, cùm in fide quis permanendo vitiis, aut à fide exorbitando idolorum cultibus, aut hæreſum erroribus implicatur.*

Ac tandem ait, contractas poſt baptiſmum ſordes iteratione baptiſmatis deleri non poſſe, ſed neceſſe eſſe, ut pœnitentiæ *lamentis & eleëmoſynarum largitionibus & cæteris bonorum operum executionibus quàm celerrimè deleri procurentur.* Fiunt ergo Chriſtiani, qui poſt ſuſceptum baptiſmum mortaliter peccant, rei fœderis violati, votique Deo nuncupati. Quod diſertè ſanctus Anſelmus loco ſupra citato fatetur, dum hâc ratione animam ſuam affatur: *Tu namque anima mea perfida Deo, perjura Dei libenter de virginitatis ſublimitate miſerabiliter es demerſa in barathrum fornicationis.*

Non foret difficile recentiores adducere, qui ajunt violatores baptiſmi eſſe votifragos & perjuros, ſed in re ſanctorum Patrum teſtimonio manifeſtâ teſtimonio recentiorum non egemus.

§. 5. *In*

§. 5. *In Euchariſtiæ & Confirmationis ſuſceptione ea quoque comprehenduntur.*

Violatio fœderum baptiſmalium ex eo etiam probroſior evadit, quòd iſta fœdera plerumque divino quodam ſigillo, ſacramento Spiritûs ſancti, ſive Confirmationis, obſignentur & confirmentur. Hoc arbitror à Philone Carpathiorum Epiſcopo ſancti Epiphanii diſcipulo indicari, dum exponens illud cantici, [a] *Soror mea hortus concluſus, fons ſignatus*, ità loquitur: ,, Fons quoque ,, ſignatus eadem ſponſa dicitur, quia in baptiſma- ,, te ſignaculum Jeſu Chriſti accepit, ex ejus ſacra- ,, tiſſimi ſanguinis fonte perlota. Unde non licèt ,, ampliùs ſponſæ adulterino diaboli ſigillo inſcul- ,, pi, ne dicam inuri. Gravis enim injuria fit divi- ,, niſſimo ſponſo, dum quæ ipſe ſuo pretioſiſſimo ,, ſanguine clementiſſimè lavit, & ſanctiſſimè in- ,, ſculpſit, eadem noſtrâ nos ignaviâ & improbita- ,, te patimur ab ejus adverſario ac noſtro turpiſſi- ,, mè fœdari atque deleri. Quare ſancta quæque ,, anima ſtudiosè ſe circumſpicere, & conſervare ,, debet cœleſtis ſponſi characterem, cœleſtia co- ,, gitare, &c.

Docet his verbis Philo inſculptum Chriſti characterem, impreſſumque baptizatis ſigillum mortalibus peccatis, quaſi contrario diaboli ſigillo obduci; hinc peccatis poſt baptiſmum commiſſis ineſſe turpitudinem, quâ carent illa, quæ ante baptiſmatis & confirmationis ſacramenta facta ſunt. Si-

[a] *Cap.* 4. 12.

Sigillum autem baptiſmale Spiritus ſanctus merito paſſionis filii Dei noſtris imprimit animabus, quemadmodum Paulus docet, dum ait 2. Cor. 1. *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus noſtris.* Ob hoc itaque divinum ſigillum baptiſmale fœdus magis ſanctum, magis efficitur inviolabile.

Huic ſanctimoniæ fœderum in baptiſmate initorum alia accedit ex communione corporis Domini, quâ *prædicatur* & celebratur (uti ſuprà ex Auguſtino didicimus) *votum noſtrum maximum*, quo vovemus nos in Chriſti corpore ſemper eſſe manſuros. Non poteſt ergo crimine tam ſanctum violari pactum, votumque temerari ſine quâdam ſpecie perfidiæ atque perjurii, quæ nos apud Deum viles & exoſos reddit, licet apud homines famæ ac honori noſtro plerumque nihil detrahat.

Si Gregorio ſeptimo (quem Cluniacenſes Monachi, è quorum ſanctâ familiâ prodiit, uti ſanctum colunt, & invocant) credimus; neminem benè pœnitet, niſi qui poſt crimina perpetrata ſponſiones & vota baptiſmi ſincerè & verè renovat. *Quiſquis* (inquit) l 7. epiſt. 10. *dignè vult pœnitere, neceſſe eſt, ut ad fidei recurrat originem, & quod in baptiſmo promiſit, diabolo ſcilicet & pompis ejus abrenunciare, & in Deum credere, videlicet recta de eo ſentiendo mandatis ipſius obedire, ſolicitus ſit vigilanter cuſtodire.*

§. 6. Re-

§. 6. *Renunciationes baptiſmales in reconciliationis ſacramento perindè ac in regenerationis olim adhibitæ.*

AD veram ergo pœnitentiam neceſſaria eſt ex mente Gregorii ſeptimi innovatio & inſtauratio ſacratiſſimorum fœderum. Unde Chriſtianus Lupus, adductâ regulâ Crodogangi Epiſcopi Metenſis, aſſerit pag. 4. ſuæ diſſertationis dogmaticæ, Renunciationes olim perinde in reconciliationis ac in regenerationis ſacramento fuiſſe adhibitas. Quapropter non videtur ſacerdos mortalium peccatorum reos abſolvere poſſe, niſi baptiſmale fœdus criminibus violatum iterùm ratum firmumque eſſe voluerit; præſertim cùm ſacramentum pœnitentiæ ſit baptiſmus laborioſus, ad quem idem apparatus poſtulatur, qui ad aquæ baptiſmum exigitur: uti igitur ad illum neceſſariæ ſponſiones & abrenunciationes, ità earum renovatio ad baptiſmum lacrymarum videtur poſtulari. Et ſicuti religioſus votifragus cum Deo non redit in gratiam, niſi ſua vota inſtauret; ità Chriſtianus, qui baptiſmale fœdus violavit, niſi illud ratum firmumque eſſe velit, Deo haud reconciliatur. Solemne etiam eſt, ut reſtitutionibus obnoxii, & in proximis peccatorum occaſionibus poſiti non priùs abſolutione donentur, quàm promiſerint ſe rem alienam reſtituturos, & ab occaſionibus proximis receſſuros eſſe. Eſt ergo in uſu ſacramenti pœnitentiæ tacitum fœdus,

&

& ſæpe ſacra promiſſio, ſive votum verbis expreſſum.

Ex quibus omnibus conficitur, juxta Patrum doctrinam ſacramentorum enumeratorum ſuſceptionem rectè non fieri ſine quâdam expreſsâ aut implicitâ profeſſione & promiſſione, quâ pollicemur, & (ſicuti Tertullianus ait) conteſtamur, nos mundo mortuos victuros Deo, quâque ejuramus diabolum, pompas & opera ejus, ut in Deum credamus eâ fide, quæ per charitatem operatur. Qui Chriſtum per baptiſmum induerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari profeſſi ſunt. inquit Synodus Quino-ſexta canone 96.

Hæc dicta ſint ad inſtructionem eorum, quibus ſanctorum Patrum ſermo & loquendi modus minùs cognitus obſcuritatem perverſumque intellectum parere poſſet.

§. 7. *Timor Gehennæ eſt bonus Deique donum, quamvis ejus ſervilitas ſit mala.*

IN more eſt iis, qui de contritione ſcribunt, etiam agere de timore gehennæ, ut doceant quàm is ſit utilis, ut peccator ad Deum convertatur. Sed cùm de ejus bonitate ac utilitate nemo dubitet, non duximus de eo fusè agendum eſſe, neque etiam credidimus operosè exponendum, quâ ratione de ſuo genere bonus ſit, quam-

vis ejus ſervilitas bona non ſit, ſive quamvis malum ſit eum ab amore Domini ſeparatum eſſe. Cognitio legis, largitio eleëmoſynarum, jejunium & orationes res admodum bonæ ſunt; verùm ſi quis cognitione legis. largitione eleëmoſynarum, jejunio & orationibus utatur, ut ſuum, & non Dei nomen per ea glorificetur, id vitio non caret. Ità pariter bonus eſt metus gehennæ, quia illud eo metuitur, quòd verè metuendum noſtræque naturæ adverſum & noxium eſt: verùm quòd amor proprius eo metu utatur, non ut æternæ juſtitiæ obtemperet, ſed ſolummodo ut naturæ humanæ commodis & integritati unicè conſulat, iſtud eſt in creaturâ hærere, & non ad Creatorem, ad quem facti ſumus, conſcendere: adeoque tunc ſervitur cupiditate rebus conditis Conditore neglecto, quod profectò inordinatum eſt, clamante æternâ Veritate: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Non eſt etiam intellectu difficile, timorem gehennæ Dei donum eſſe, quamvis malum ſit plùs gehennæ pœnas ſerviliter, quàm Dei offenſam filialiter timere. Sicuti enim (quemadmodum omnes credunt) Dei cognitio ejus donum eſt, quamvis vitioſum ſit, quòd cognitus non colatur; ità pariter gehennas timere ex Dei munere eſt, quamvis peccatum ſit eo timore uti ad deſperationem, aut ità amore proprio conſopiri, ut ad amandam divinæ juſtitiæ pulchritudinem ſervilis timoris aculeo non excitemur.

Hæc

Hæc poſt præſtantiſſimos Theologos, inter quos noviſſimè iſta clarè & fusè ſcripſerunt Chriſtianus Lupus & Franciſcus Farvacques Doctores verè eximii; quos conſulat quiſquis penitiùs & uberiùs diſcere hæc voluerit.

Videri etiam poſſunt magnæ pietatis & doctrinæ Theologi Vincentius Contenſon & Macarius Havermans, ille tom. 4. iſte primâ parte Tyrocinii.

§. 8. *Moribus noſtris non ferentibus ſeveritatem antiquorum Canonum aptata eſt à S. Carolo congrua pœnitentiæ diſciplina.*

Non ſpero quemquam futurum, qui ſibi perſuadeat me priſcam pœnitentiæ diſciplinam velle redintegrare. Scio mores noſtri ſæculi ei ferendæ impares eſſe. Rigidiorem diſciplinam non commendo, quàm quæ commendata & divinâ prudentiâ compoſita eſt à ſancto Borromæo, qui ex ingenti Dei erga Eccleſiam ſuam miſericordiâ ei datus fuit, ut ſuæ vitæ exemplo ſanctiſſimiſque ſcriptis ac inſtitutis Chriſtianos doceret, quâ animi & corporis præparatione divina ſacramenta uſurpanda, divinuſque cultus exercendus ſit.

Cum Carolo itaque deſidero, non ut priſcorum canonum rigor longas pœnitendi moras præſcribentium ad litteram obſervetur; ſed ut illos Confeſſarii præ oculis habentes diſcant vulnera ani-

marum non tam citò curari, ac à nonnullis putatur.

Cum Carolo deſidero ut Confeſſarii priſcæ pœnitentiæ leges præ oculis habentes mollitiem peccatorum fortiùs redarguere, & ad dignos pœtentiæ fructus efficaciùs hortari queant, non verò ut ex illis cogant pœnitentes cineri & ſacco incubare, vigilare ad fores Eccleſiæ, & longa illa pœnitendi ſtadia decurrere.

Cum Carolo deſidero ut norma priſcæ pœnitentiæ eatenus retineatur, quatenus præſcribit ſeceſſum ab illis opificiis & officiis, quæ ſine crimine non exercentur, fugam illecebroſarum peccandi occaſionum, & iſtorum conſortiorum, quæ ſolius voluptatis, luxûs & aleationum causâ inſtituuntur.

Cum Carolo demum deſidero ut abſolutio ſacramentalis & corpus Domini non aliis detur, quàm iſtiuſmodi Chriſtianis, quos prudenter confidimus ea ad ſalutem ſuam eſſe percepturos. Scio nos in hâc vitâ mortali ſemper incertos eſſe, num animus noſter ad ſacramenta fructuosè percipienda ſit rectè diſpoſitus, neque nos certò ſcire, quòd ea aut fructuosè diſtribuimus, aut etiam ipſi ſumimus. Unde exiſtimo, tametſi non ſit nobis de animæ ſtatu omnimoda certitudo, à pœnitentibus abſolutionis perceptionem meritò deſiderari, & à Confeſſariis prudenter ac utiliter dari poſſe. Etenim quando adſunt non obſcura indicia regnantis in animâ charitatis, licèt ea indicia non

ſint

ſint iſtiuſmodi ut falſa eſſe non poſſint, tunc [redacted] fieri poteſt, ut magis noxium ſit animabus abſolutionem differre, quàm eis elargiri. Eo itaque in caſu & pœnitens eam poſtulare poteſt, & Confeſſarius impertiri. Quando itaque dicitur, non eſſe conferenda ſacramenta, dum materia incerta eſt, & certior haberi poteſt, iſtud ideo dicitur, quia tunc collatio ſacramenti magis periculoſa, quàm ejus foret dilatio: verùm ſi certius in dilatione, quàm in conceſſione periculum ex Chriſtianâ prudentiâ judicaretur, tunc certi reddimur, ſacramenta non differenda ſed conferenda eſſe.

§. 9. *Strictior non exigitur, quàm exegit S. Carolus aliique ſancti.*

NOn eſt ergo propoſitum meum priſcam renovare diſciplinam. Plura non poſtulo, quàm quæ à divo Borromæo, à beato Thomâ de Villanovâ, aliiſque ſanctis, qui aut præcedenti aut hocce ſæculo floruerunt, imò ab ipſo S. D. N. Innocentio XI, qui de converſionum ſinceritate potiùs ex vitæ emendatione, quàm oris ſponſione vult judicari, ad ſalubrem ſacramentorum uſum poſtulantur. Uti tanti Pontificis vices hiſce in provinciis immeritus ſuſtineo, ità me ex ejus ſenſu loqui ac docere convenit. Unde etiam hocce meum ſcriptum, ſicuti & ea omnia, quæ hactenus compoſui, aut fortè componam, ejus

[illegible]cio devotus ſubdo, Innocentio dicens, quod olim Damaſo Hieronymus: *Ego nullu[illegible]n niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio.*

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

Cap. I. P*Rimum hominis officium eſt diligere Deum*; 1. *quia ab eo factus*, 2. *reparatus*, 3. & *ad ipſum factus eſt*. 4. *à Deo ſe homo avertens fit miſer*. 5. *ſuâ miſeriâ diſcit Deum eſſe bonum ſuum*. 6. *idem docetur mandato, diliges Dominum Deum tuum*, & *datur ratio cur illud maximum dicatur*. 7. *cur dicatur primum*. 8. *in quocunque ſtatu fuerit homo amorem Deo debet*. 9. *huic debito deeſſe homo non poteſt, quin Deum offendat; neque poteſt cum ipſo redire in gratiam niſi ad officium redeat*. pag. 15

Cap. II. 1. *Homo Deo continuum debet amorem*. 2. *is amor humanis actionibus oportet ut imperet*. 3. *illud luculenter à Dionyſio Carthuſiano probatur*. 4. *peccat homo, dum amorem à Deo avertit*. 5. *manet homo perverſus quibuſcumque utatur ſacramentis, niſi ſuum ad Deum amorem convertat, quod in ſacramento reconciliationis maximè fieri oportet*. 24

Cap. III. 1. *Sine amore Dei ſecundùm Apoſtolum homo coram Deo nihil eſt*. 2. *Amor proximi non eſt ſine amore Dei*. 3. *Datur ratio, cur Chriſtus mandatum de diligendo proximo ſuum vocet*, & *infertur timorem gehennæ ſine amore Dei cum ſacramento baptiſmi aut pœnitentiæ ad juſtitiam non ſufficere*. 4. & 5. *locus Apoſtoli* 1 *Cor*. 13. *de operante charitate intelligitur, non de ſegni* & *inerti illo amoris habitu, quem in adultis neque Apoſtolus neque Patres agnoverunt*. 35

Cap. IV. 1. *Anima vivit de Deo, eique inhærendo fit juſta* & *beata*. 2. *Anima amando inhæret Deo*, & *a-*

mando creaturas ab eo ſeparatur & moritur. 3. per Chriſtum animæ & corporis reſurrectio. Anima reſuſcitatur, dum ei charitas inſpiratur. 4. proximus diligendus aut quia juſtus eſt, aut ut juſtus ſit. 5. charitas ut animam vivificet, oportet ut ſit actuoſa. 45

Cap. V. 1. *Converſis datur remiſſio peccatorum, remanentibus in peccato non datur. 2. requiritur non ſolùm ut corpus à malis operibus, ſed etiam poſtulatur, ut cor a malis affectibus convertatur. 3. convertitur cor amore, non ſolo timore; 4. nec quovis, ſed amore prædominante. 5. dicitur homo Deum ex toto corde diligere, quando ipſum ſuper omnia diligens adhuc ferventius eum diligere deſiderat. 6. Nullus Deum ſuper omnia diligens crimina committit, uti ſibi perſuadent Calvino-reformati.* 52

Cap. VI. 1. *Ad veniam peccatorum impetrandam quovis tempore neceſſaria fuit contritio, quæ eſt dolor de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. 2. Illud propoſitum ſincerum eſſe non poteſt, niſi ſervetur primum & maximum mandatum. 3. Exponitur qua ratione primum & maximum mandatum ſit, & non ſit generale.* 72

Cap. VII. 1. *Gentilis eſt pœnitentia, quæ dolet de bonis operibus. 2. Non pœnitendum niſi de peccato. 3. pœnitentia punit ac deteſtatur peccatum. 4. non tantùm propter gehennam, ſed propter ſe ipſum. 5. peccatum non verè odio habetur, quando propter gehennam odio habetur. 6. non remittitur, niſi dum propter ſe ipſum odio habetur; nec propter ſe ipſum odio habetur, niſi diligatur juſtitia.* 80

Cap. VIII. 1. *Non debili, ſed robuſtâ voluntate ceſſatur à peccatis, non ſolùm externis; ſed etiam internis. 2. probatur quòd voluntas peccandi non excludatur per timorem pœnæ ab amore juſtitiæ ſejunctum. 3. idipſum alio, nempe ex naturâ peccati petito argumento aſſeritur. 4. contrariæ ſententiæ auctores eâ ipsâ ratione arguun-*

guntur erroris, quam pro ſe afferunt. 5. *impium eſt aſſerere, quòd Chriſtiano Dei amor non ſit præceptus, ſed ſolùm ſit illi vetitum, ne illum odio proſequatur.* 6. *concluditur, non metu gehennæ, ſed juſtitiæ duntaxat amore voluntatem peccandi excludi.* 90

Cap. IX. 1. *Ab homine, ut juſtificetur, diligendus eſt Deus tanquam fons omnis juſtitiæ.* 2. *Non ſufficit ut diligatur tanquam origo bonorum externorum; & datur ratio, cur Deus temporalia bona Judæis promiſerit.* 3. *Exponitur, quid ſit Deum diligere tanquam fontem omnis juſtitiæ.* 4. *Dum Deus tanquam fons omnis juſtitiæ diligitur, tunc caſto amore diligitur.* 5. *Qui Deum mercenario amore diligunt, eum non diligunt tanquam fontem juſtitiæ.* 6. *Præclarè hoc docet Hugo Victorinus.* 7. *Amor fontis juſtitiæ non ſolùm decens; ſed etiam neceſſarius eſt.* 103

Cap. X. 1. *In baptiſmo initur cum Deo fœdus amoris.* 2. *Nemo baptiſmo ſuſcipiendo idoneus, qui idem non ſit paratus divina ſervare mandata, & Deum ſuper omnia diligere.* 3. *Si vota baptiſmi crimine violentur, non eſt reditus ad juſtitiam, niſi in ſacramento pœnitentiæ redintegrentur.* 4. *Duplex juſtitiæ tribunal, unum, in quo punitur peccator, nec emendatur; alterum, in quo ſic punitur, ut etiam Deo reconcilietur, quod ſine ejus amore fieri nequit.* 5. *in amore mundi omnia immunda.* 116

Cap. XI. *Judæi eſt lege gravari, Chriſtiani eà delectari.* 2. *Judæi præmiis & pœnis ab eà diſtinctis; Chriſtiani ipsâ ejus æquitate ad illam ſervandam trahuntur; quod fusè oſtenditur ex St. Thomâ.* 3. *Judæi ſervi, Chriſtiani filii; filiorum prærogativa ad ſervos transfertur, quando illi dicuntur juſti, qui Deum timent, & non amant.* 4. *Qui tantùm timore pœnæ legem obſervant, in ejus obſervantiâ non diu perſeverant.* 5. *Doctrina, quæ docet timorem gehennæ cum ſacramento pœnitentiæ ſufficere ad ſalutem, moribus noxia.* 6. *Pecca-*

ta poſt baptiſmum commiſſa difficiliùs remittuntur. 124

Cap. XII. 1. *Dotes doctrinæ, quæ aſſerit ſine Dei amore neminem juſtificari: ſervat filiis novi teſtamenti ſuam prærogativam.* 2. *Docet lege utendum, ut à Chriſto gratia, quâ lex impletur, accipiatur.* 3. *Movet ad pœnitentiæ opera, ut ex illis ſacerdos dijudicet, quinam ſint digni abſolutione.* 4. *Inducit ad converſionem perſeverantem.* 5. *Liberi arbitrii volubilitatem ſiſtit amor Dei radicatus.* 137

Cap. XIII. 1. *Deus ſuos ſibi format cultores, à quibus in ſpiritu & veritate adoretur.* 2. *Adoratur in ſpiritu & veritate, dum caſtè diligitur.* 3. *Expenduntur verba Pauli dicentis, veniſſe Chriſtum, ut ſibi mundaret populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* 4. *Populo acceptabili dat Deus conſtantem juſtitiam.* 5. *Perſeverantem à peccatis libertatem à Chriſto dandam teſtantur Prophetæ, & per hanc libertatis perſeverantiam oſtenditur, quid poſſit auxilium gratiæ.* 6. *Aliqui tamen à juſtitiâ excidunt, ut omnes cum timore ac tremore ſuam ſalutem operentur.* 144

Cap. XIV. 1. *Duplex juſtitia; una ex lege, altera ex fide; illam deſpicit Apoſtolus, alteram commendat.* 2. *Illam vituperat, quia ex timore, non ex amore juſtitiæ.* 3. *Exponitur quid ſit juſtitia ex Deo, ſive ex fide.* 4. *Quæ ex fide juſtitia, non eſt ſine operibus.* 5. *Hanc juſtitiam cupiebat Apoſtolus.* 6. *Eſt in nobis, dum nos mandata delectant: quæ ex timore pœnæ fiunt, inter detrimenta & ſtercora ab Apoſtolo deputantur.* 157

Cap. XV. 1. *Docent ſancti Patres difficile & rarum eſſe, ut in extremis morbis quis verè pœniteat, quia exiſtimant difficile & rarum eſſe, ut quis tunc amore ad Deum convertatur.* 2. *Scotus hunc ſenſum Patrum rationibus illuſtrat.* 3. *Rariſſimè dat Deus homini aſſueto mundum præ omnibus diligere, ut amorem ſuum à creaturis ad Creatorem in extremis transferat.* 4. *Concluditur amorem Dei ſuper omnia dilecti etiam tempore ſani-*

nitatis ad juſtificationem neceſſarium eſſe. 166

Cap. XVI. 1. *Exponitur doctrina St. Thomæ de neceſſitate amoris Dei, ut quis juſtificetur. Sentit ſanctus, ut juſtificetur peccator, oportere, ut per actus fidei, dilectionis, timoris filialis, & humilitatis ad Deum convertatur.* 2. *Docet ad juſtificationem requiri amorem juſtitiæ & odium peccati.* 3. *ait pœnitentiam tendere in destructionem peccati, quatenùs eſt offenſa Dei.* 4. *Aſſerit pœnitentiam ad charitatem & ad juſtitiam pertinere.* 5. *Pœnitentia ex motu charitatis tanquam ex principio proximo & interno procedit; ex motu autem timoris tanquam ex principio externo & remoto.* 6. *Requirit Sanctus Thomas ad juſtificationem amorem Dei ſuper omnia dilecti.* 7. *Docet impoſſibile eſſe ſine amore Dei ſuper omnia peccata dimitti.* 8. *Ut intelligatur quâ ratione Deus, quos odit, ſibi reconciliat, divina voluntas conſideranda eſt, tum tanquam regula omnis juſtitiæ, tum tanquam cauſa omnium bonorum.* 9. *Cùm ſacra eloquia & omnes ſancti Patres doceant amorem Dei ad juſtitiam eſſe neceſſarium, de ejus veritate non poteſt juſtè dubitari.* 175

Cap. XVII. 1. *Non requiritur contritio ad confeſſionem; ſed duntaxat ad abſolutionem.* 2. *Dum Scholaſtici docent ad confeſſionem requiri contritionem, tum ſub nomine confeſſionis etiam abſolutionem comprehenderunt.* 3. *Rectè editur confeſſio, ut per ſatisfactionis opera à ſacerdote impoſita pœnitens contritus fiat; undè etiam peccatoribus conſultiſſimum, ut, ſimulac ſuorum horrore criminum concutiuntur, à ſacerdotibus juxta morem priſcæ Eccleſiæ actionem pœnitentiæ petant.* 4. *Exponitur, quo ſenſu à mortuo pereat confeſſio, & Auguſtinus eripitur illis, qui exiſtimant non valere confeſſionem, niſi ex contritione dimanet.* 5. *Oſtenditur quo ſenſu Gregorius Magnus dixerit, quòd converſio mentis debeat confeſſionem præcedere.* 187

Cap. XVIII. 1. *Explicatur natura contritionis, ad quam*

quam primò requiritur dolor non tam ſenſibilis, quam rationalis. 2. Requiritur ad eam amor Dei tanquam iſtius doloris cauſa: triplex propoſitum tanquam ejus comites. 3. Dolor, qui contritio dicitur, quinque habet conditiones, nempe ut ſit purus, pius, maximus, perpetuus, particularis. 4. Contritio iſtiuſmodi ita delet peccata, ut ſine illâ in adultis nullo tempore deleantur. 5. Veræ de peccatis contritioni conjuncta eſt fiducia de divinâ miſericordiâ, ac ſatisfactio, quæ Deo maximè debetur. 6. Oſtenditur quâ ratione dolor Deum placans eliciatur. 198

Cap. XIX. 1. *Illuſtriores ſocietatis Jeſu Religioſi Alphonſus Salmeron, Claudius Jajus, Lainez, Petrus Caniſius & Augerius docent timorem gehennæ conjunctum ſacramentis non eſſe idoneum ad hominem juſtificandum. 2. In eâdem ſententiâ ſunt Roſignolius, Joannes Theodorici, Joannes Maldonatus, Gaulterius, Mangotius, & Maſtrillus, omnes religioſi Societatis Jeſu pietate & doctrinâ conſpicui.* 209

Cap. XX. 1. *Venialia ſine contritione non delentur, qui tamen ſine contritione illorum abſolvitur, non ſemper contrahit mortale peccatum. 2. Non profanatur ſemper pœnitentiæ ſacramentum, quando primarius ejus effectus non obtinetur. 3. Hæc doctrina non favet ſocordiæ iſtorum, qui malunt venialia ſua confiteri, quàm in ſe ipſis vindicando emendare.* 218

Cap. XXI. 1. *Concilii Tridentini Patres non docuerunt timorem gehennæ cum ſacramento pœnitentiæ ad juſtitiam peccatoris ſufficere; ſed ſolùm definiunt iſtum timorem non facere homines magis peccatores. 2. Mens Concilii ex hiſtoriâ Cardinalis Pallavicini clariſſimè patet.* 223

Cap. XXII. 1. *Sacramenta novæ legis dant juſtitiam, ſed non aliis, quàm eam amantibus. 2. Nemo ſapiens ab officio Deum amandi vult eſſe exemptus: in iſta enim exemptione non privilegium; ſed dedecus. 3. In dilectione eſt decus & privilegium Chriſtianorum, virtuſquè ut abſentiam ſacramentorum ſuppleat: in ſacramentis verò*

non

non eſt virtus, ut in adultis abſentiam ſuppleat divini amoris. 4. In charitate reperitur, quicquid hominem verè reddit illuſtrem. 5. Si ſacramenta ſine charitate hominem poſſent juſtificare, ſine ullâ verâ virtute ſalutem homo aſſequi poſſet. 229

Cap. XXIII. 1. *Sanctus Thomas de villâ novâ docet quòd non amare Deum non ſit privilegium; ſed dedecus hominis. 2. Dulce eſt mandatum, quo exigitur à nobis Dei amor, cùm quodammodò tolerabilior ſit infernus, quàm non diligere Deum. 4. A Precepto amoris nemo poteſt excuſari, quia factu facillimum & jucundum. 4. Juſtiſſimum eſt, ut rationalis creatura ſuum amet Conditorem. 5. Præceptum amoris eſt præceptum bonum & novum; quia cordi infuſum & novà ratione à Chriſti exemplo commendatum. 6. Æterna beatitudo præmium amoris, qui ipſe Dei donum eſt. 7. Deus amorem ſtrictiſſimè exigit, quia cunctis amare præſto eſt. 8. Deus in rebus vilibus homines impares fecit, ſed in capacitate amandi pares. 9. Amor eſt fons filiis Dei proprius, qui eis ſolis è cœlo datus. 10. Arguuntur qui aliud quærunt, quàm amare Deum; quia omnia ab amore pretium habent. Solùm in cœlis Deus perfectè amatur.* 238

Cap. XXIV. 1. *Objicitur contra neceſſitatem divini amoris virtus ſacramentorum. Antequam reſpondeatur, fit præloquium. 2. Exponitur doctrina Eſtii circa neceſſitatem contritionis & virtutem ſacramenti pœnitentiæ. 3. Illuſtratur ex Patribus Eſtii reſponſio de Lazaro priùs vivificato, quàm ſoluto. 4. Cum Eſtii doctrinâ in multis conveniunt moderni Lovanienſes Theologi vel omnes vel illuſtriores: in nonnullis ab ejus doctrina recedunt. 5. Sacramenta baptiſmi & pœnitentiæ jure merito nuncupantur ſacramenta mortuorum.* 249

Cap. XXV. 1. *Exponitur Doctrina illorum Theologorum qui exiſtimant ab amore Dei ſuper omnia, ſejungi non poſſe remiſſionem peccatorum. 2. Quâ ratione doctrinam ſuam cum efficaciâ ſacramentorum componant. 3. Hanc*

in charitate prærogativam agnoverunt Patres & Concilia ut ſola ſufficiat ad ſalutem, ſi neceſſitas, non contemptus ſacramenta excludat. 4. Patres plerumque loquuntur magnificè de Charitatis merito. 5. Explicatur Concilii Tridentini Canon. 6. Quo ſenſu juxta eorum Theologorum opinionem, quæ hoc capite refertur, baptiſmus & pœnitentia ſacramenta mortuorum dici poſſunt. 261

Cap. XXVI. 1. *Gratianus probat, contritione ante abſolutionem ſacerdotalem peccata deleri. 2. Magiſter ſententiarum contritioni cum voto confeſſionis juſtificationem & peccatorum remiſſionem attribuit. 3. Guilielmus Antiſſiodorenſis docet, Deum infundendo contritionem dimittere culpam & pœnam æternam, & ſacerdotem vi clavium minuere pœnas temporales. Huic ſententiæ ſubſcribit Albertus Magnus. 4. Alenſis ait, oportere, ut reus per contritionem, quâ dimittitur culpa & reatus, ſit Deo reconciliatus, antequam à ſacerdote ſit ſolvendus. 5. Eidem doctrinæ conſentiunt ſancti Bonaventura, Raymundus & Thomas. 6. Mens ſancti Thomæ clariùs aperitur. 7. Ex Baconio patet, ejus ſæculi Magiſtros cum præcitatis Doctoribus credidiſſe, quòd contritio ante abſolutionem & culpam & pœnam æternam dimitteret.* 274

Cap. XXVII. 1. *Quando dicitur, quòd homo ſine gratiâ nihil poſſit, illud intelligendum eſt de gratiæ auxilio; non verò de habituali gratiâ. 2. Opera ſatisfactionis, quæ ex more priſcæ Eccleſiæ abſolutionem præcedebant, diſponebant ad juſtitiam, & de congruo merebantur. 3. Hæc doctrina non adverſatur Concilio Tridentino, quod ait, nihil eorum, quæ juſtificationem antecedunt, eam propriè mereri. 4. Nihil perindè gratiam Dei & merita Chriſti commendat, quam id, quod de merito bonorum operum Catholica docet Eccleſia; & in nullâ re Proteſtantes iniquiùs Catholicos calumniantur, quàm dum Catholicæ doctrinæ de meritis ſeipſos opponunt. 5. à Proteſtantibus contra Catholicos ineptè objicitur illud,* Dicite ſervi inutiles ſumus; *nam, tametſi bona opera Deo ſint inutilia, homi-*

minibus tamen ſunt utiliſſima. 6. *Nec minùs ineptè Catholicis objicitur illud Deuteronomii*, Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt. 7. *Qui Deum omnibus anteponit, magis ei placet ex amore dominante, quàm diſpliceat ex concupiſcentiæ victæ reliquiis.* 8. *Abſurdè etiam dicitur, ibi nullum eſſe meritum, ubi non ſit niſi quod eſt præceptum.* 9. *Calumnioſè quoque Catholicis opponitur illud Evangelii*, numquid gratiam habebit ſervo illi? 10. *In Catholicorum de meritis doctrinâ nihil eſt, quod vel cum umbrâ juſtitiæ accuſari poſſit.* 284

LIBER SECUNDUS.

Cap. I. *AD magnam Eccleſiæ plagam presbyteri enituntur non probis; ſed multis ſacramenta miniſtrare.* 2. *Suæ poteſtatis limites excedunt Sacerdotes, qui obvios quoſque non tanquam diſpenſatores, qui legibus affixi ſunt; ſed tanquam Domini, qui nullis legibus tenentur, abſolvunt.* 3. *Scripturæ oracula oſtendunt, neminem abſolvi poſſe, qui non ſit verè pœnitens.* 4. *Idem docent ſancti Patres: imò addunt eos, qui citò reos abſolvunt, hoc eſſe lapſis, quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, &c.* 5. *Ex doctrinâ Cypriani conſtat, lapſos, qui nullos protulerunt fructus pœnitentiæ, non abſolvi; ſed abſolutionis ſpecie illudi, & neceſſariam juſtitiæ acquirendæ diſpoſitionem non brevi temporis morâ; ſed ſenſim plerumque naſci.* 6. *Non ſolùm Cyprianus; ſed etiam alii ſancti ad maturam abſolutioni pœnitentiam exigunt moram productioris temporis, ajuntque eos, qui citò abſolvunt lapſos, carere timore Domini.* 7. *Feſtinæ abſolutiones non tollunt, ſed augent peccata; & ad quemlibet tentationis impulſum vulnera aperiuntur, niſi de ipſâ tarditate abſolutionis remedia præſtentur.* 299

Cap. II.

Cap. II. 1. *Ambroſius exiſtimat citis abſolutionibus reos non ſolvi; ſed ſacerdotes ligari.* 2. *Poſtulat lex medendi vulnera, tam animæ quàm corporum, ut morâ temporis perducantur ad ſanitatem. Qui citò abſolvunt, eos deteriores faciunt, quorum miſerentur injuſtè; & majoris eſt auſteritatis non coërcere delinquentes, quàm ulciſci.* 3. *SanctusChryſoſtomus pariter exigit ſpacium temporis, ut à criminibus animæ emundentur.* 4. *Dum alibi docet, ad veram converſionem non longum tempus, ſed fervorem pœnitentis animi deſiderari, tum oſtendit temporis moras non per ſe ipſas nos Deo commendare, meritumque converſionis non eſſe in temporis longitudine, ſed in fervoris vehementiâ, quâ latro mirabilis & illuſtris fuit.* 5. *Converſiones in momento peractæ miraculoſæ, adeòque non credendæ, niſi fiant operibus conſpicuæ.*

Cap. III. 1. *Probatur ex Scripturis, veras converſiones eſſe conſtantes, nec ità deſultorias, uti plures malè opinantur.* 2. *Titulus ſanctitatis Eccleſiæ competit, quia ſunt innumeri in gremio Eccleſiæ, qui fidem ſuam nunquam mutant à Deo.* 3. *Patres docent Chriſtianam pietatem atque juſtitiam eſſe firmam ac ſtabilem. Referuntur teſtimonia Juſtini martyris & Tertulliani.* 4. *Origenes deſcribit ſanctimoniam priſcæ Eccleſiæ.* 5. *Citantur in eam rem Minucius Felix, Ambroſius, Auguſtinus & Gregorius.* 311

Cap. IV. 1. *Contra iſtam juſtitiæ conſtantiam ſuperiori capite aſſertam, non facit, quòd innumeri à juſtitiâ excidant, quam infantes per baptiſmum acceperunt: etenim Scripturæ & Patrum loca, quæ ad probandam veræ converſionis conſtantiam allegavimus, intelligere oportet de illorum converſione, qui vivo cordis affectu ac mentis intelligentiâ ad Deum converſi ſunt.* 2. *Sanctis Patribus viſum adeò horrendum & inſolitum ſcelus, quod poſt baptiſmi, Euchariſtiæ & pœnitentiæ ſuſcepta ſæpius ſacramenta perpetratur, ut ſibi vix perſuadere potuerint, talis criminis reos fuiſſe unquam verè converſos.* 3. *Sancti Patres, dum ajunt non pœnitentem, ſed irriſorem eſſe, qui* 324

ad-

adhuc agit, quod pœnitet, non ſolùm de illis intelligendi ſunt, qui peccant in confeſſionis tribunali; ſed etiam de illis, qui extra pœnitentiæ tribunal, peractâ confeſſione, crimina perpetrant. 4. Oſtenditur, ſanctum Thomam huic doctrinæ non eſſe contrarium. 5. Aliis auctoritatibus probatur, veras converſiones ut plurimùm eſſe conſtantes. 337

Cap. V. 1. *Sacerdos, qui cum verâ in animas charitate & Chriſtianâ cum prudentiâ ſacramenta adminiſtrat, attendet magis ad fructus pœnitentiæ, quàm ad folia confeſſionis, atque ex illis diſcernet, quando reus ſolvendus aut ligandus eſt. 2. Tametſi veriſſimum ſit, quòd pœnitentia, quamvis ſit exigui temporis, ſi intimâ cordis amaritudine agatur, non deſpiciatur à Deo; attamen rariſſimum eſt, ut illa momento, præſertim in relapſis, efformetur. 3. Veræ pœnitentiæ ſignum in patientiâ dilationum, quas ſacerdotes ægris animabus, ut eas curent, præſcribunt. Si qui pœnitentes eas non ferunt, id ſignum, illos veris pœnitentibus non eſſe annumerandos. 4. S. D. N. Innocentius XI. juſſit, ut Confeſſarii ex fructibus pœnitentes dijudicent, vultque eos non abſolvi, qui non oſtendunt factis ſe eſſe correctos.* 346

Cap. VI. 1. *Aliud eſt negatio, aliud abſolutionis dilatio. Neganda abſolutio omnibus, qui eam noſcuntur inutiliter accepturi. 2. Differenda abſolutio illis, de quibus meritò dubitatur, utrùm eam cum fructu percipient. 3. Utile etiam ſufficienter diſpoſitis abſolutionem differre, ſi ex dilatione judicetur pœnitens in odio peccati & virtutis amore firmandus. 4. Qui nonniſi veniales culpas confitentur, ut ſtudeant emendandæ vitæ, ſubindè ſine abſolutione dimittendi.* 356

Cap. VII. 1. *Reſpondetur querelæ eorum, qui dicunt, niſi ſtatim abſolutione & communione Corporis Domini donentur, ſe de famâ periclitaturos. Oſtenditur quàm injuſti ſint, qui ſacerdotibus, à quibus cum neceſſariâ morâ curantur, iraſcuntur. 2. Demonſtratur vanum eſſe illorum timorem, qui factâ confeſſione ſtatim volunt ab-*

ſolvi, timentes ſine abſolutione in intervallo dilationis finire hanc vitam. 3. Eccleſia & olim & hodie adultos diu vult inſtrui & probari, antequam baptizentur, tametſi ſciat ipſos omni horâ mori poſſe. 4. Graviſſimè ſugillantur quidam Indiarum Miſſionarii, qui magis multos, quàm benè inſtructos cupiunt baptizare: & recenſentur mala ex feſtinato baptiſmo pullulantia. 5. Utilitas vinculorum, quibus lapſi à ſacerdotibus induuntur, refertur: & admonitio, qua Epiſcopi Berytenſis & Heliopolitanus à præpropera baptiſmi collatione miſſionarios deterrent, transfertur ad Confeſſarios, ne citò nimis reos abſolvant. 364

Cap. VIII. 1. *Abſolutionis dilatio non omittenda, quia multi conſuetudinem ſequentes ſine delectu quoſvis pœnitentes abſolvunt. Magnæ virtutis eſt, conſuetudines legibus contrarias parvi facere, & Apoſtolicas amare ſingularitates. Conſuetudo quoſvis abſolvendi legibus adverſa. 2. Refertur quid ſanctus Carolus, quid Bartholomæus de Martyribus, quid Contenſonius illis reſponderint, qui pravas conſuetudines ſequendas credebant. Nihil magni gerunt, qui non declinant in Apoſtolicas ſingularitates. 3. Nulli à ſacerdotibus abſolvendi, niſi illi, quos prudentiâ Chriſti vicariis dignâ judicaverint abſolutioni idoneos eſſe. Iis, qui fidem ſæpius fefellerunt, prudenter non creditur. 4. Enarratur, qua ratione Eccleſia det abſolutionem iis, qui non niſi in extremis pœnitentiam agunt, & quàm parùm de illorum ſalute ſperet.* 378

Cap. IX. 1. *Reſpondetur illis, qui credunt abſolutionem ſtatim impendendam eſſe exemplo Chriſti, qui mulieri peccatrici, paralytico, adulteræ, &c. nullâ interpoſitâ ſatisfactionum morâ remiſſionem peccatorum impartitus eſt. 2. Illis admodum difficulter peccata remittuntur, qui ſacramentis ſæpè fuerunt abuſi. 3. Si exemplum Chriſti ſtatim peccata remittentis contra abſolutionis moras proferri poſſet, etiam proferri poſſet contra confeſſionis uſum: & ſpeciatim oſtenditur, quàm abſurdè exemplum peccatricis citò reconciliatæ in præſidium feſtinatarum reconciliationum adducatur.* 390

Cap. X. 1. *Exemplum prodigi, cui pater citò reddi juſſit ſtolam primam ſuæque menſæ ſacras delicias, minimè favet præproperis reconciliationibus. 2. Prodigus ex Patrum doctrinâ exemplum eſt laborioſæ & diuturnæ, non verò mollis ac lapſantis pœnitentiæ exemplum. 3. Prodigi inſtar pœnitentiam agenti citò reddenda ſtola prima. Qui poſt uſurpatum pœnitentiæ ſacramentum non ſe emendant, eorum individua cum diabolo amicitia, & pœnitentia nunquam fidelis. 4. Fruſtrà iis, qui relapſos non priùs abſolvendos æſtimant, quàm ex fructibus pœnitentiæ ſuam oſtenderint emendationem, publicanus objicitur: Nam exemplum publicani vehementer adverſatur citas abſolutiones & immeritum communionis honorem ambientibus. 5. Ex eo, quòd Chriſtus paralytico peccata priùs dimiſit, quam corporis reddiderit ſanitatem, diſcimus oportere, ut ſacerdotes ante omnia reorum æternam curent ſalutem. Iſta autem remiſſio non priùs eam petenti paralytico, quàm accipienti donata, citis abſolutionibus, quæ per ſacerdotes dantur, tam non favet, quàm non favet abſolutionibus eorum, qui nec ſua confitentur peccata, nec prævium abſolutionibus dolorem oſtendunt. Non expediret etiam, ut per ſacerdotes peccata tam facilè & citò condonari poſſent.* 398

Cap. XI. 1. *Contra doctrinam, quæ ait, in curandis animabus morâ opus eſſe, nec citò relabentibus dandam eſſe abſolutionem, ineptiſſimè opponitur illud Chriſti,* Venite ad me omnes, qui laboratis, *&c. Nam libertas à laboribus & oneribus, à Chriſto iſtis oblata verbis, conſiſtit in defæcato Dei amore, non verò in ſacris iſtius amoris ſignis. 2. Charitatem Chriſti erga reos & miſeros laudatis verbis expreſſam illi imitantur, qui reos medicis pœnitentiæ vinculis ligant; è contra illi, qui abſolutionem citò impendunt, ſimiles ſunt duro ſacerdoti ac immiſericordi levitæ, qui vulnerati fracturas alligare dedignabantur. 3. Ex reſponſo Chriſti ad Petrum, dicentis ut ſeptuagies ſepties fratri dimitteret, ineptè infertur, ſacerdotem impœnitentibus peccata debere remittere. 4. Illud*

 Chri-

Chriſti, Eſtote miſericordes, ſicuti Pater veſter cœleſtis miſericors eſt, non probat Deum omnibus lapſis pœnitentiam tribuere. 5. *Docetur miſericordiam, quâ Deus peccatores convertit, eſſe alterius rationis ab illâ, quâ pluit ſuper juſtos & injuſtos.* 407

Cap. XII. 1. *Illi, qui aſſerunt in priſcâ Eccleſiâ ſatisfactionem priorem fuiſſe non ſacramentali, ſed ceremoniali abſolutione, refelluntur, primò quidem ex eo, quòd Patres feſtinatas abſolutiones tanquam animabus noxias condemnarunt.* 2. *Ex eo, quòd opera ſatisfactionis æſtimabant neceſſaria ad culpas delendas, & veniam conſequendam.* 3. *Quia credebant, ea opera abſolutionem ſacramentalem præcedere debere, ut ſacerdos ex illis dignoſceret, quos tanquam divinæ voluntatis interpres abſolvere poſſet.* 4. *Quia incredibile eſt, Patres tantum apparatum ad ceremonialem abſolutionem poſtulaſſe, & tam rigidos fuiſſe in concedenda ceremoniali, eoſque, quos filios Dei eſſe credebant, ab ipſis tractatos fuiſſe perinde ac ſi ethnicis & publicanis pejores fuiſſent.* 5. *Quia non eſt credibile, ſanctos Patres, inſtar Phariſæorum, in rebus minimis diligentes, & in maximis fuiſſe negligentiſſimos, eoſque nec debitæ erga Deum reverentiæ, nec erga proximum dilectioni feciſſe ſatis.* 417

Cap. XIII. 1. *Ex eo, quòd Epiſcopi Africani corpus Domini ſumebant cum ebrioſis, qui ſuam luxuriam ad honorem ſanctorum & ſolatium defunctorum pertinere arbitrabantur, nullatenùs ſequitur, ſacerdotes iis abſolutionem impertiri poſſe, quos ad eam imparatos judicant. Id oſtenditur variis & apertis rationibus. Schiſmatum metu non poteſt ſacerdos indignos abſolvere.* 2. *Poteſt, & ſæpè debet ſacerdos Euchariſtiam præbere illis, quos eâ indignos novit: Euchariſtiæ diſtributio convivium eſt, ubi ſacerdos agit Architriclinum, & non judicium, cujuſmodi eſt pœnitentiæ ſacramentum, in quo ſacerdos perſonam Judicis agit.* 3. *Illi luxurioſi & ſuperſtitioſi epulones, tantùm aberat, ut crimen in ſuis comeſſationibus agnoſcerent, ac de illis ſe ipſos apud ſacerdotes accuſarent,*

rent, ut potiùs ad religionem eas pertinere arbitrarentur. 4. Iterum probatur conſuetudini pravæ cum laude reſiſti; eiſque, qui dicunt, Quare modò? non enim antea. Qui hæc non prohibuerunt, Chriſtiani non fuerunt? *dicendum, vel modò.* 434

Cap. XIV. 1. *Ex magnâ Dei miſericordiâ datus eſt Eccleſiæ D. Borromæus, qui docet non dandam abſolutionem ignorantibus neceſſaria ad ſalutem. 2. Neque iis, qui luxu veſtium debita contrahunt, & immodeſtiâ pudicitiam lædunt. 3. Iis, qui odia ponere aut ablata reſtituere nolunt. 4. Iis, qui verſantur in occaſione peccati proximâ. 5. Neque iis, qui ſe ſemper accuſant, & nunquam emendant. 6. Regulas à S. Carolo præſcriptas, ut juxta illas ſolvantur aut retineantur peccata, dum laudat Saleſius, ſequendas docet. Eaſdem regulas confirmavit, & ſequi juſſit Cardinalis Grimaldi.* 443

Cap. XV. 1. *Inſtructio confeſſariorum juſſu tertii Concilii provincialis Mediolanenſis à ſancto Carolo compoſita, & à quarto Concilio provinciali, ut ſervaretur, iterum fuit commendata. 2. Ab Epiſcopis Galliæ adunatis in comitiis inſtructiones S. Caroli, ad omnes totius regni Epiſcopos fuerunt miſſæ, ut juxta illas ſacramentum pœnitentiæ adminiſtrari juberent. 3. Illas Carolus poſterioribus ſcriptis non emollivit, ſed confirmavit, juſſitque, ut, quicquid in illis præcipitur, executioni fideliter mandetur. 4. Ne quid inſtructionibus deeſſet, additamenta à Carolo ſcripta fuerunt, quibus jubet, ut illi, qui rarò confitentur, & qui criminum rei ſunt, non in fine, ſed in initio quadrageſimæ confiteantur. 5. A decimo ſæculo moris fuit in Latinâ Eccleſiâ, ut in die cinerum rei graviorum peccatorum confitentes peterent actionem pœnitentiæ abſolvendi hebdomada ſancta. 6. Ab illis, qui tempore paſchali confitentur, antequam abſolvantur, & ad communionem admittantur, exigi poteſt, ut primò ſatisfaciant. 7. Carolo adverſantur, qui aſſerunt confeſſarium debere fidem pœnitenti adhibere, dum ſe dicit percipiendæ abſolutioni eſſe idoneum. 8. Exponitur quando confitenti in*

pœnitentiæ tribunali habenda fides. 9. *Iſtud etiam docetur verbis Contenſonii.* 455

Cap. XVI. 1. *Regulæ à S. Carolo poſitæ diligentiùs ſervandæ, dum criminoſi ſacerdotes confitentur: illorum enim & difficilis, & rara converſio.* 2. *Non credendum ſacerdotibus, dum ſe pœnitere aſſerunt, niſi ex fructibus ſuam pœnitentiam oſtenderint; & maximè reprehendendi Confeſſarii, qui illos citò ſolvunt.* 3. *Sancti Patres cenſuerunt Diaconos & Sacerdotes in ſordes impudicitiæ lapſos ſine ſpe recuperandæ dignitatis gradu movendos eſſe.* 4. *Emericus de Bonis dicit, eſſe ſcelus dictu horrendum, ſi quis ſumat corpus Domini, dum adhuc recens eſt à fornicatione, aliiſque carnis ſpurcitiis.* 5. *Huic doctrinæ Emerici de Bonis nihil adverſum docetur à Concilio Tridentino.* 6. *Circa ſacerdotes aliorum criminum reos id retinendum, quod tradit S. Saleſius & Thomas de Villâ novâ.* 474

Cap. XVII. 1. *De peccatis venialibus non loquuntur ſancti Patres, dum ajunt:* Irriſor & non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet; *ſed de mortalibus.* 2. *Docetur, cur ex verâ de venialibus pœnitentiâ non ſequatur ab illis continentia.* 3. *Leviores culpæ, quæ in actis externis conſiſtunt, & quæ plenâ voluntate perpetrantur, dum verè habentur exoſæ, emendantur.* 4. *Qui ſine timore ruunt in peccata, quæ exiſtimantur non eſſe mortalia, in ſtatu periculoſo ſunt, in quo iis expedit abſolutionem differri.* 5. *Quid ex frequenti venialium confeſſione fœminis cavendum.* 490

Cap. XVIII. 1. *Salubriori clavium uſui objiciuntur exempla Prophetarum & Apoſtolorum ſacramenta cum malis communicantium: item doctrina priſcæ Eccleſiæ contra Donatiſtas: demùm ipſum ſacramentorum officium in eo poſitum, ut fideles ſibi invicem connectant.* 2. *Reſpondetur, recto uſui clavium non officere exempla aut Prophetarum aut Apoſtolorum.* 3. *Nihil etiam ei officere, quod contra Donatiſtas docuit Eccleſia.* 4. *ſicuti nec obſtat, quòd ſacramenta ſunt vincula, quibus mali*

cum bonis connectuntur. Non probat Eccleſia, quòd mali ſacramenta inhonorent. 5. Non deſerenda diſciplina utilis, quia ea malis moleſta eſt. Exponitur, quo ſenſu ſacramenta dicantur vincula unitatis. 6. Non decet ſacerdotem loqui placentia, ut malos habeat amicos. Boni Parochi integras parochias ſæpe convertunt, ut verum non ſit, ubique malos numero bonis ſuperiores eſſe, & bonos Parochos ſemper vivere in diſcordiâ & contentione. 7. Corrupti mores dirigendi ad rectitudinem Evangelii. Diſciplina, quam commendavimus, vera, quia difficilior, quàm ut ab ignaris & ignavis adminiſtrari rectè poſſit. 497

Cap. XIX. 1. *Proponuntur decem induſtriæ, quibus diſciplina rectè adminiſtrandi ſacramentum pœnitentiæ iis in locis, in quibus neglecta fuit, introduci & firmari commodè poſſit.* 510

A P-

APPENDIX.

AUctoris ad Clariſſimum & Eruditiſſimum virum N.N. Epiſtola, in qua circa quorumdam Theologorum de remiſſione peccatorum ſententiam nonnullæ difficultates proponuntur. 523

Exponitur breviter & probatur vera ſententia S. Thomæ Aquinatis de ſacramento pœnitentiæ. 549

Propoſitiones excerptæ ex S. Thoma de pœnitentia, ut eſt ſacramentum. 550

Propoſitiones de pœnitentia, ut eſt virtus. 551

Propoſitiones de effectu pœnitentiæ, quo ad mortalium peccatorum remiſſionem. 553

Concluſiones ex prædictis propoſitionibus deductæ cum demonſtrationibus & corollariis. 556

Concluſionum ſumma. 564

JUDICIUM THEOLOGORUM.

LIbri quos ad inſtruendum Clerum populoſque ſibi commiſſos promulgant Epiſcopi, nulla peculiari approbatione aut commendatione indigent; cùm in illis non ut privati doctores loquantur; ſed tanquam Apoſtolorum ſucceſſores, & illius doctrinæ teſtes, quam Chriſtus Dominus ſupremus Paſtor atque *a Epiſcopus animarum noſtrarum* Eccleſiæ ſuæ continuatâ annorum ſerie uſque ad ſæculi finem cuſtodiendam tradidit. Næ igitur imprudentes ac temerarii fuerimus, ſi duos hos libros à Reverendiſſimo Epiſcopo Caſtorienſi Apoſtolico in his partibus Vicario editos, alterum de *Amore Pœnitente*, alterum de *Legitimo uſu Clavium*, noſtro qualicumque teſtimonio comprobandos exiſtimemus: cùm *b ſine contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicatur*; neque fas ſit eum noſtro commendari ſuffragio, quem debemus audire ac ſuſpicere, ut diſcipuli Magiſtrum, ut filii Parentem, ut ſecundi Ordinis ſacerdotes Hierarcham. Verùm cùm ſapientiſſimus æque ac modeſtiſſimus Antiſtes auctoritate atque exemplo Petri fidelium judicio quodammodo permittentis ea, quæ ſancto Spiritu auctore geſſerat, operæ pretium duxerit communicare nobiſcum libros à ſe compoſitos illuſtrante eodem Spiritu, qui illum *c poſuit Epiſcopum regere* hanc *Eccleſiam*; pio illius deſiderio non potuimus non obtemperare; memores illum etiam eâ agendi ratione imitatum eſſe, quantùm Catholicæ Religionis in his regionibus conditio patitur, priſcos illos atque ſanctiſſimos Epiſcopos, qui, ſi quæ occurrerent magni momenti publicumque Eccleſiæ regimen ſpectantia, ea cum Cleri præſertimque Presbyterorum conſilio peragere ſolebant: quâ adminiſtrandi moderatione id conſequebantur, ut quæ communi ſuffragio probata fuerant, omnes & libentiùs exciperent & alacriùs exequerentur. Nos itaque ex præſcripto Reverendiſſimi Epiſcopi ſupradictos libros evolvimus; in queis teſtificamur, nos nihil comperiſſe, niſi quod verum ſit, ſanum, orthodoxum, ſalutare. Omnia ibi præclara, exquiſita, & publicâ luce digniſſima, &, quod in aliis quoque ejus lucubrationibus animadvertere eſt, cum ſermonis elegantia, facilitate, atque ornatu, magna rerum ubertas & ſanctior puriorque doctrina, quæ legentium illuſtret mentes & corda moveat. Agit enim duplici hoc volumine piiſſimus Auctor de rebus graviſſimis, & ad Chriſtianorum mores inſtituendos æternamque ſalutem promovendam apprimè neceſſariis. In priore Deum optimum Maximum nobis diligendum commendat, quod Moralis doctrinæ fundamentum eſt ac totius Religionis compendium; validiſſimiſque rationibus probat, neminem, qui à gratiâ Baptiſmi exciderit, ſine ſincera & aliis amori-

a 1 *Pet.* 2. v. 25. b *Heb.* 7. v. 7. c *Act.* 20. v. 28.

ribus præſtante Dei dilectione, quæ ſola cordis converſionem operatur, Juſtificationem conſequi poſſe, in ſacramento Pœnitentiæ, altero baptiſmo eoque laborioſo & lacrymabundo, uti eum appellant ſancti Patres. In poſteriore autem opere docet, quâ ratione, ex præſcripto Chriſti & Eccleſiæ, à ſacris miniſtris abſolvendi ſint Pœnitentes; id quod Eccleſiaſticæ diſciplinæ, his corruptiſſimis temporibus, caput eſt, ut magnis difficultatibus implicatum, ita ſummè neceſſarium ac ſcitu digniſſimum. Hæc autem omnia diſputat, non ex proprio ingenii aut [d] *humanæ ſapientiæ verbis*, ſed ex auctoritate ſcripturæ ſacræ & ex Traditionis eccleſiaſticæ regulis, ut decet pium & Catholicum Doctorem, cujus [e] *arma non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem* & conſiliorum & omnis altitudinis extollentis ſe adverſus ſcientiam Dei. Quod quidem argumentum, ut ſumma cura magnoque animi vigore, ita ſingulari prudentia & moderatione tractat, non declinans ad dexteram neque ad ſiniſtram, erroreſque contrarios ita confutans ac ſolutiorem nonnullorum doctrinam inſectans, ut auctorum nominibus atque honori parcat: ut facile intelligas illum juxta Apoſtolum, [f] *veritatem facere in charitate*; nec tam velle laxarum opinionum fautores pudore ſuffundere, quàm ſalubrioribus documentis imbuere, & omnes, ſi fieri poſſit, [g] *ad agnitionem veritatis* & amplectendam [h] *eam, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinam* adducere. Hoc etiam nomine libros iſtos commendare libet, quòd in eis perutiles quæſtiones diſceptentur, non more Scholaſtico, id eſt jejuno ac litigioſo, ſed oratione gravi, placidâ, nervosâ & ciendæ excitandæque pietati accommodâ; adeo ut in eis habeant Parochi & ſacerdotes tùm præcepta utiliſſima ad munus ſuum ritè ſancteque obeundum; tùm etiam [i] *formam ſanorum verborum*, quibus fideles plebemque Chriſtianam de his capitibus in ſuis concionibus & Catechiſmis alloquantur. Eſt enim doctrina hoc duplici volumine contenta [k] *perfectorum*, id eſt Paſtorum, *ſolidus cibus*; quam illi excoquere debent & in formam *lactis* redactam, nutricum inſtar propinare fidelibus, præſertimque Pœnitentibus, quos [l] *iterum parturiunt donec formetur in illis Chriſtus*, quoſque tanquam *parvulos* & adhuc infirmos pia ſollicitudine geſtant ac fovent, donec [m] *occurrant in virum perfectum* & ad priſtinam ſanitatem redeant, hoc eſt ad veram ſinceramque converſionem, operante gratiâ perducantur. ita judicamus.

d 1 *Cor.* 2. *v.* 4. e 2 *Cor.* 10. *v.* 5. 6. f *Epheſ.* 4. *v.* 15. g 1 *Tim.* 2. *v.* 4. h *Ib.* 6. *v.* 3. i 2 *Tim.* 1. *v.* 13. k *Heb.* 5. *v.* 14. l *Gal.* 4. *v.* 19. m *Epheſ.* 4. *v.* 13.

ABRAHAM BRINEN. S.T.D.
HENRICUS van der GRAFT. A. pr.
JOANNES ROSA. S.T.L.
JOANNES LINDEBORN. V.D.
JACOBUS CATZIUS. V.M.
CONELIUS STAEKENBURG. J.C.L.

JOAN-

JOANNES EPISCOPUS CASTORIENSIS

Clero religioſo & populo fideli

Suæ curæ concredito facere fructus dignos pœnitentiæ.

MAgnâ nunc animorum contentione diſputatur, utrum timor gehennæ, eum comitante aut lavacro regenerationis aut lacrymoſo pœnitentiæ baptiſmo, ſit per ſe idoneus, tametſi illum actuoſus Dei amor non nobilitet, ut peccato mortuum revocet ad vitam, & divinæ exoſum juſtitiæ, ei gratum ac amabilemreddat.

Et ſicuti lis litem parere ſolet, ex hac diſputatione nata eſt alia, in quâ haud ſegniori ardore quæritur, utrum homo, quem tetra flagitiorum facinorumve conſuetudo implicatum tenet, quique non ſemel melioris vitæ promiſſa, & pœnitentiæ ſacramentum violaverit, toties ſit abſolutione donandus, quoties dolorem præ ſe ferens emendationem ſpoponde-

rit; an verò ſit eo uſque reconciliatio ſacramentalis ei differenda, quouſque ſuæ converſionis ſinceritatem caſtigatione morum, digniſque pœnitentiæ operibus conſpicuam & credibilem fecerit.

Et cùm hæ quæſtiones non ſint ex illarum claſſe,in quibus errore innoxio falſi eſſe poſſumus, ſed ſint ex illarum genere, in quibus valdè timendum eſt, ne deceptio medicinis cœleſtibus, quas ad curanda animarum vulnera Salvator inſtituit, toxica miſcens, æternum animabus exitium inferat; hinc cogitans me in paſtorali ſpeculâ conſtitutum, ut de imminentibus periculis vos admoneam, mei muneris eſſe credidi, ad eum vos apparatum redintegrandæ cum Deo & Salvatore veſtro amicitiæ exhortari, quem omnes ad tantam gratiam aptum dignumque cenſent, cùm alius omnis ſine iſto incertus, & ideo periculoſus æſtimandus ſit. Hic autem apparatus non in timore gehennæ, ſed in odio iniquitatis, ſive in amore æternæ juſtitiæ, ex quo iſtud odium dimanat, conſtitutus eſt.

Quod verò attinet rationem utendi poteſtate peccata remittendi atque ligandi, quam Chriſtus ſuæ legis ac religionis ſacerdotibus contulit, eam rationem proponimus & commendamus, non quam corruptis hominum moribus aſſentiens & ancillans Caſuiſtarum doctrina nuper invexit, ſed quam priſcorum Patrum fides Deo devota, & animarum ſaluti unicè intenta ſacris canonibus delineavit, ſuiſque moribus expreſſit; quamque illi ſancti, qui tum præcedens, tum præſens ſæculum ſuâ doctrinâ & ſanctimoniâ maximè illuſtrarunt, & collapſam vehementer doluerunt, & inſtauratam ardenter optaverunt, ſcientes animarum vulnera non curari, ſed inſanabilia reddi, dum adhuc ferveſcente in viſceribus criminum purulentiâ, non de illâ expurgandâ per eas ſacramenti pœnitentiæ partes, quæ in peccatorum deteſtatione, pœnis & emendatione conſiſtunt, ſatagitur, ſed ad illa obtegenda per eam iſtius ſacramenti partem, quæ abſolutio & reconciliatio dicitur, improvidè feſtinatur. Igitur ſicuti Patrum diſcipulos decet, poſt ipſos & cum ipſis ſenti-

ti-

timus, multò frequentiùs; quàm vulgò putatur, abſolutionem non citiùs concedendam eſſe, quàm eam non ſolùm criminum confeſſio, verùm etiam impoſita ſatisfactio, digni pœnitentiæ fructus, totiuſque vitæ emendatio anteceſſerit.

Referimus ergo & ſequimur ſecuriora dogmata, rejectis dubiis ac periculoſis caſuiſtarum prolubiis, parentes priſcis patribus, qui jubent, ut incerta dimittentes, quæ certa ſunt teneamus, quique aſſerunt, quòd graviter peccetur in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus vel eo ſolo, quòd certis incerta præponuntur.

Et certè ſi unquam audiendus ſapiens, qui præcipit, ut *ante omnem actum*, non incerta & malè tuta opinatio, ſed *conſilium* veritate *ſtabile* nos *præcedat* [a]; nunquam magis audiendus, quàm dum ad iſta nos opera paramus, quibus benè peractis, non corporis, non fortunæ bona, non carnis valetudo, non opes, non hominum favor, verùm animæ ſalus reparatur, & Dei gratia obtinetur; & quibus, ſi non dignè perficiantur, è contra divina ira graviùs accenditur; & pernicies æterna adaugetur.

Huic ſanctiſſimæ doctrinæ nemo contradiceret, ſi omnes cogitarent, quid Chriſtus ab iis exigat, qui ſe ejus diſcipulos profitentur. Iſtud nobis paucis & diſertis verbis exponit Apoſtolus, dum ait: *Apparuit gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* [b]

Hæc verba Pauli ſi expendamus, ex illis diſcemus Chriſtum veniſſe, non ut ſuis ſequacibus impunitatem in peccatis tribueret, ſed ut illos non ſolùm ſuis præceptis ſuæque vitæ exemplo ad placitam Deo religionem morumque ſanctimoniam veluti optimus princeps ac doctor inſtitueret, verùm etiam ut tanquam hominum redemptor ac reparator cordibus illorum peccati odium ac juſtitiæ inſpiraret amorem. Neque enim ſimpliciter ait Paulus, veniſſe Chriſtum

a *Eccli.* 37. 20. b *Tit.* 2. 11. 12. 13.

ut juberet nos, verbo & exemplo foris docendo abnegare impietatem & ſæcularia deſideria &c. Sed ait *gratiam* Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus apparuiſſe, *erudientem nos* &c. Nempe non tantùm verbis pulſantibus aurem corporis, aut exemplis ferientibus oculos carnis, qualiter Moyſes aliique Prophetæ docere potuerunt; ſed docentem interiùs illuſtrando mentem cognitione veritatis, & inflammando cor amore veritatis, ut non ſolùm ſciamus, ſed etiam amemus quæ recta ſunt; qualiter nec Moyſes, nec Prophetæ, nec ullus hominum docere poteſt. Apparuit ergo gratia non ſolùm ut foris præceptis doceret, ſed præcipuè ut per Spiritum Sanctum diffuſa charitate legem vitæ ac diſciplinæ ſcriberet in corde. Charitatis ergo diffuſio eſt cordium eruditio, ſive gratia erudiens. Teſtatur autem Paulus gratiam erudientem apparuiſſe omnibus hominibus, non ut divitibus aut potentibus molliorem ſalutis viam oſtenderet, quàm pauperibus, opificibus ac plebejis, ſed apparuiſſe omnibus hominibus, qui in ipſum credunt, ut eos omnes doceret abnegare impietatem & ſæcularia deſideria. Impietas ergo & ſæcularia deſideria non minùs dedecent Chriſtianos Magiſtratus, Principes, ac potentes, quàm dedeceant ruſticos, opifices, reliquamque plebem.

Ab omnibus etiam pari ratione requirit, ut ſobriè, & juſtè & piè vivant in hoc ſæculo. Nulli ergo Chriſtianorum claſſi, nulli ordini permiſſa impietas, nulli licita ſæcularia deſideria, nulli conceſſum ut ſalvâ Chriſti gratiâ aut intemperanter, aut injuſtè aut impiè vivat, nulli indultum ut impietatem & ſæcularia deſideria corde retinens, ſine præſumptione ac cæcâ temeritate, beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei expectare poſſit.

Notandum porrò, ut Pauli mentem meliùs teneamus, ipſum non dicere, quòd apparuerit gratia Magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, erudiens nos ut abnegemus hanc aut illam impietatem, ſed generaliter dicere, quòd apparuerit, ut abnegemus impietatem. Alia eſt impietas, quæ ligno aut lapidi alterive creaturæ divinitatem affingit: alia im-

impietas, quæ ſibi ipſi vult eſſe aut vitæ regula, aut bonæ vitæ principium, aut fons beatitudinis: alia impietas, quæ Dei jubentis præcepta contemnit, minantis ſupplicia non reformidat, promittentis præmia pro nihilo habet. Abneganda Chriſti diſcipulo omnis hæc impietas. Parùm ei, ut non ſit impius, non ſupplicando ligno aut lapidi, alterive creaturæ quantumvis excellenti, quaſi per ſe ipſam eum poſſit adjuvare; niſi etiam æternam juſtitiam ac ſapientiam, à quâ creatus eſt intueatur ac obſervet tanquam normam, cui ſua deſideria, mores ac opera conformet; niſi etiam Creatorem ſuum agnoſcat ſuæ eſſe beatitudinis fontem; & niſi etiam Chriſtum adoret & colat tanquam Salvatorem, à quo habet non ſolùm, ut quod juſtum Deoque placitum eſt, cognoſcat, ſed à quo etiam ei datum & velle, & poſſe, atque perficere, quod rectum & ſanctum eſt.

Omnis hæc impietas ei, qui ſacramentis Chriſti optat initiari, abneganda proponitur; nec priùs in Chriſto regeneratur, quàm ſolemniter promiſerit, quòd velit ipſi adhærere tanquam luci, à quâ diſcit, quod decens & rectum eſt; tanquam virtuti, à quâ habet, ut juſtè vivat; & tanquam felicitati, à quâ dimanat omnis beatitudo creaturæ rationalis.

Deindè animadvertendum, erudientem Jeſu Chriſti gratiam, non ſolùm interdicere hominem Chriſtianum factis in proximum crudelibus, aut iniquis, ſed etiam iſtiuſmodi factorum deſideriis: nec ſolùm iſtiuſmodi aliiſque turpibus, ſuperbis, lividis, & injuſtis ipſum concupiſcentiis interdicere; verùm etiam quibuſcunque ſæcularibus deſideriis; hoc eſt, illis votis, quibus vita longæva, ſplendida domus, ornatæ veſtes, uxor elegans, filii carnis, aliaque hujus ſæculi bona deſiderantur, non ut per illa tanquam per adminicula ad Deum tranſeamus, ſed ut in illis, aversà à Deo mente, quieſcamus. Vult enim Chriſtus, [a] *ut, qui habent uxores, tanquam non habentes ſint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes;*

a 1 *Corinth.* 7. 30.

tes; & qui emunt, tanquam non poſſidentes; & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: Præterit enim figura hujus mundi. Prætereuntia ergo bona non ad gaudium & felicitatem quærenda Chriſtiano, ſed ad neceſſaria hujus vitæ miniſteria ſolummodò uſurpanda ſunt.

Inſuper conſiderandum erudientem Chriſti gratiam non jubere ut Chriſtianus homo abneget, ſive rejiciat uſum rerum ſæcularium, ſed ſolùm præcipere, ut abneget ſæcularia deſideria, quod tunc fit, quando obſervatur illud Joannis: b *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.* Mundum autem diligere ideo noxium: quia, uti ibidem ait Joannes: *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* Cùm tamen ad Patrem amandum creati ſimus, & illum non amare maxima hominis ſit perverſitas, ſimul & infelicitas. Non eſt autem charitas Patris in eo, qui mundum diligit: *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt*; & quæ amori Patris adverſatur, corde noſtro in tantum frigeſcente ad ſumma, in quantum exardeſcit ad infima, & è contra in tantum tepente ad tranſitoria, in quantum rapitur ad æterna. Erudit ergo nos gratia, ut abnegemus ſæcularia deſideria, quatenus ab illecebroſis rerum caducarum affectibus expediti permanentem juſtitiam, & incommutabilem ſapientiam toto corde adamemus, deſiderantes eam, prout abſens eſt; gaudentes de illâ, prout præſens eſt; dolentes, ubi eam offendimus; timentes, ne eam offendamus.

Hic eſt amor, quo ſine creaturæ rationali nec juſtitia, nec ſalus adeſſe poteſt.

Verùm tametſi in Chriſtiano homine hic amor necdum ſit perfectus, nihilominus beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei ſecurus expectat; modò is amor in ejus corde omnibus aliis amoribus dominetur. c Quia & ſi aliqua triſtitia „ eſt de rebus ſæcularibus, ſic flet, ut intus in ſpe gaudeat; „ & ſi aliqua lætitia eſt in rebus ſæcularibus, ſic gaudet, ut „ in-

b *Joan.* 1. *Ep.* 2. 15. c *Aug. enar. in pſal.* 148. *n.* 4.

„ intus ſpiritualiter timeat, nec donet ſe corrumpendum fe-
„ licitati, nec ſe det adverſitati frangendum: (hoc eſt enim
„ flere tanquam non flentem, & gaudere tanquam non gau-
„ dentem.) Quiſquis etſi habet uxorem, ejus infirmitati
„ compatiens reddit non exigit debitum; aut ſi propter pro-
„ priam infirmitatem ducit uxorem, plangens potiùs quia ſi-
„ ne uxore eſſe non potuit, quàm gaudens, quia duxit;
„ quiſquis quod vendit, novit, quia, etſi maneret, beatum
„ non faceret; quiſquis quod emit, novit quia tranſiet; &
„ de his omnibus etſi abundantibus, etſi circumfluentibus
„ non præſumit, facitque ex eo, quod habet, miſericor-
„ diam cum eo, qui non habet, ut & ipſe accipiat quod non
„ habet, ab illo, qui omnia habet: quiſquis talis eſt, ſecu-
„ rus expectat diem noviſſimum.

Porrò abnegatâ omni impietate, omnibuſque ſæcularibus deſideriis, conſequens eſt, ut homo ſobriè erga ſe ipſum, juſtè erga proximum, & piè vivat erga Deum. Nam temperantiæ leges nemo violat, niſi quia ſæcularibus deſideriis obtemperans, in illis, quæ vel oculis, vel auribus, vel odoratu, vel guſtu, vel tactu attinguntur, aut voluptatem, aut honorem, aut opes honoris & voluptatis ſatellites nititur adipiſci. Nec aliunde erga proximum injuſtè agimus lædendo aut ejus famam verbis, aut corpus verberibus, aut opes rapinis; vel non præbendo ea ipſi ſolatia atque auxilia, quæ juſtitia ei exhibenda præſcribit, quàm quia ſæcularia in nobis deſideria dominantur. Nec aliam ob cauſam à debitâ Deo religione ceſſamus, quàm quia impietatibus excæcati vel Deum verum ignoramus vel inviſibilia bona viſibilibus poſthabemus, vel quia nimis confidentes in virtute noſtrâ, de Chriſti, ſine quo nihil poſſumus, auxilio per preces impetrando non ſumus ſoliciti.

Non poteſt itaque fieri, ut is non ſobriè, juſtè & piè vivat, qui omni impietate & ſæcularibus deſideriis abnegatis, Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti amore fervet. Ubi autem ſuperatâ impietate, & victis per Dei amorem concupiſcentiis, ſobriè, & juſtè, & piè vivitur, ibi beata ſpes & ad-

 ven-

ventus gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti non temerè, ſed meritò expectatur. Contra, ubi regnat impietas Deo vero ſervire neſcia, ubi dominantur ſæcularia deſideria, ubi flagitiis in nos ipſos, facinoribus in proximum, ſuperſtitione in Deum peccatur, ibi, quantumvis ſacramenta ſumantur, de Dei gratiâ atque de æternâ ſalute cæca præſumptio eſſe poteſt, prudens autem & ſecura expectatio beatæ ſpei eſſe non poteſt.

Quiſquis igitur à cœleſti gratiâ eruditus cogitaverit, ſe Deo placere nequaquam poſſe, nec ſalutem adipiſci, niſi omnem impietatem & ſæcularia deſideria abnegaverit, & niſi ſobriè, & juſtè, & piè in hoc ſæculo vixerit: & ſimul expenderit, ſicuti amor creaturæ non expellitur niſi amore creatoris, ita ſæcularia deſideria non cedere niſi fortioribus cœleſtibus deſideriis; nec diu ſobriè & juſtè, & piè vitam inſtitui, niſi divino mens amore flagrans luxurioſa gaudia, iniquas poſſeſſiones, & vanam in ſe ipsâ aliiſque vanis fiduciam ſuperaverit: is non dicet de illo ſermone, quo Deum, ut ei placeamus, ſuper omnia diligere jubemur; *durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* ſed potiùs exclamabit, dicens: Suavis eſt hic ſermo, & quis eum non libenter audiet, & cui niſi impio durus eſſe poteſt?

Deinde, ſi quis attendat, neminem flagitiis & facinoribus implicatum, ſacramentum pœnitentiæ fructuosè ſuſcipere, hoc eſt, remiſſionem peccatorum per illud conſequi, niſi promptus ſit ex diſciplinâ Chriſti vitam inſtituere, hoc eſt, abnegare omnem impietatem & ſæcularia deſideria, ut ſobriè, juſtè, & piè vivat, is quoque agnoſcet, non citiùs iſtiuſmodi homines ad iſtud ſacramentum ſuſcipiendum admittendos eſſe, quàm prudenter de illis ſperari poſſit, quòd omnem impietatem & ſæcularia deſideria abnegaverint, & quòd ſobriè, juſtè ac piè victuri ſint, expectantes quærenteſque non mundi commoda, delicias & honores, ſed beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Et cùm hoc de illis in quorum moribus impietas & ſæcularia deſideria multis annis tenuerunt princi-

pa-

patum prudenter ſperari non poſſit, niſi dignis pœnitentiæ fructibus, ſecedendo à peccatorum illecebroſis occaſionibus, periculoſis conſortiis atque commerciis, emendatione totius vitæ, & per aliquod temporis ſpatium continuatâ de criminibus victoriâ ſe oſtenderint eſſe mutatos; hinc concludet quiſquis hæc ſecum cogitabit, obnoxiis conſuetudini perpetrandi peccata gravia, præſertim illecebroſa, multò frequentiùs differendam eſſe abſolutionem, quàm à nonnullis doctrinâ laxiorum caſuiſtarum imbutis, plerumque creditur. Hoc autem eò certiùs ſtatuet, quò certius quoque eſt, amorem *juſtitiæ* incommutabilis, qui nos erudit ad abnegandam omnem impietatem, & ſæcularia deſideria, plerumque non breviori morâ, ſed ſenſim adoleſcere; iſtumque amorem, ſive erudientem gratiam, non niſi magnis, diuque continuatis precibus, in nos imploratum deſcendere; docentibus Patribus pœnitentium eſſe, noctu dieque mugire ad Dominum, & quaſi hoc parum eſſet, oportere etiam, ut omnibus charis Dei legationes precum injungant, ut gratiam, quam deſiderant, conſequi mereantur.

Undè illi, qui reos criminum ſolent ſolvere, ſimul ac ea fuerint confeſſi, præterquam quod illos abſolutionis ſimulacro decipiant, inſuper in illos crudeles ſunt, ſive quemadmodum ait Sanctus Thomas de Villâ novâ [d] *impiè pii, & piè impii*: tantò enim magis eos reddunt filios gehennæ, quantò ipſi in causâ ſunt ut graviora & plura ſcelera & ſacrilegia ab illis committantur. Confeſſarius enim citò abſolvens non ſolùm in causâ eſt, ut abſolutionis ſpectro deluſi ſacrilegè communicando rei fiant corporis ac ſanguinis Domini, ſuumque ſibi judicium manducent & bibant; ſed etiam ſolita flagitia atque facinora magis impio in Deum contemptu perpetrent. Sacramenti enim ſuſceptio eſt ſolemnis & ſacroſancta ceremonia, quâ crimina abjurantes ac deteſtantes profitemur, vovemus ac juramus nos in Dei cultu ac obſervantiâ mandatorum ejus eſſe victuros. Eò igitur iterata criminum perpetratio magis enormis atque deteſtanda eſt, quò per il-

d *Serm. Feriâ 6. poſt. Dom. 4. quadr.*

lam plura ſacramenta, vota, ac juramenta ſacrilegè violantur. Sacerdos ergo citò & improvidè abſolvens tam in ſummum Numen irreverentiâ, quàm in reos crudelitate peccat, dum dat cauſam ut Deus optimus Maximus ſacrilegiis & perjuriis inhonoretur, & rei enormiùs delinquentes peccatorum vinculis magis magiſque implicentur, & à ſalute longiùs removeantur. An non in proximum immitis, & in Deum irreligioſus is foret, qui ebrietatibus, comeſſationibus & impudicitiis obnoxium, ſine prævio probationis anno ad nuncupanda Carthuſiani Ordinis vota, quæ videtur potiùs violaturus, quàm ſervaturus, admitteret? An non pari contra Dei Majeſtatem irreverentiâ, & contra ſui fratris ſalutem non abſimili duritie is peccaret, qui hominem aſſuetum ſacramenta & vota, quibus Chriſto conſecramur ac devovemur, ſuis flagitiis fœdare, ad ea iterum celebranda admitteret, tametſi nullum is daret argumentum ſuæ ſinceritatis ac fidei, quod non antea edidiſſet & temeraſſet? An fortè arcendi homines, niſi diligenter explorati fuerint, à votorum nuncupatione, quâ Carthuſianæ familiæ addicuntur, & non arcendi homines tametſi minimè probati à ſacramentis & juramentis, quibus in Chriſti familiâ ſe religioſos fore profitentur; quòd illa profeſſio ad inſolitam, hæc ad obviam & facilem vitæ perfectionem obliget? Hoc ſi quis ſentit, turpiter errat. Nam [e] *quid quæſo* (loquor cum Beato Thomâ de villâ novâ) *ampliùs Carthuſia*, quàm Chriſtiana religio, *habet, quantum attinet ad mores, & ſanctitatem, & puritatem, exceptis ceremoniis & votis?* Chriſtiano perinde ac Carthuſiano abneganda omnis impietas, Chriſtiano perindè ac Carthuſiano ſobriè & juſtè & piè vivendum in hoc ſæculo, Chriſtiani perindè ac Carthuſiani expectatio, debet eſſe expectatio non tranſeuntis, ſed æternæ felicitatis; non ſpei ærumnoſæ, ſed beatæ; non adventus fugacis gloriæ, ſed adventus gloriæ Magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ad hujus vitæ profeſſionem primò edendam nemo admittendus, niſi in catechumenatu poſitus, priùs fuerit ſegregatus

e *Concio. 3. in adventu Domini.*

tus à flagitiis ac facinoribus, & inſtitutus ac formatus ad exemplar & doctrinam Chriſti Jeſu. Ad hujus vitæ profeſſionem poſtquam pluries edita & adhuc pluries fuerit violata, nemo iterum admittendus, (ſi caſum lethalis morbi ſimiliſve periculi, in quo anguſtia temporis probationem excludit, excipias) qui non ex dignis pœnitentiæ fructibus, & non tantùm confeſſionum foliis, fuerit judicatus in poſterum futurus non ampliùs violator, ſed fidelis ſacramentorum cultor & cuſtos.

Quàm hæc vera ſint, fratres mei in Chriſto chariſſimi, totus hic liber, ac præſertim in ſecundâ ſui parte, fuſiùs & clariùs docebit. Et vobis quidèm Sacerdotes Domini ſi Chriſti gloria, ſi veſtra & aliorum vobis ſalus cordi eſt, ſequemini non quæ ſæcularibus deſideriis jucunda, ſed quæ expectationi beatæ ſpei profutura; nec eam ingrediemini viam, in quâ hominum favor, & cum illorum favore terrena vobis lucra occurrent, verùm eam ambulabitis, in quâ vobis ad ſalutem obviabit adventus gloriæ Magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Et vos fideles Dei cogitabitis vos eſſe Chriſtianos, non ut ſolùm ceremoniis, ſed maximè ut ſanctis moribus Deo ſerviatis; non ut illum labiis & ſacramentis tantummodò honoretis, ſed ut illum adoretis in ſpiritu & veritate: demùm cogitabitis omnem impietatem, omnia ſæcularia deſideria vobis abneganda eſſe, ut ſobriè, & juſtè, & piè vivatis in hoc ſæculo, & expectetis adventum gloriæ Magni Dei, non tanquam Judicis, quem timeatis, ſed tanquam Salvatoris Jeſu Chriſti, quem diligatis, & diligendo poſſideatis in æternum.

Hæc dum vobiſcum expenderetis, non poteritis non etiam animadvertere maximæ eſſe temeritatis, ut denuò ſe quiſpiam ſacramentis, ad ædificandam Chriſtianæ, hoc eſt, ſublimis cœleſtiſque vitæ turrim, poſt vitam in criminibus tranſactam aſtringere audeat, antequam ſedens computaverit ſumptus, qui neceſſarii ſunt ad perficiendum, hoc eſt, antequam quis in ſeceſſu & ſilentio emendandis moribus inſiſtens, probaverit ſi virtutes neceſſarias ad vivendum in eâ

vitæ

vitæ ſanctimoniâ, ad quam exhibendam ſacramenta initiant, acceperit. Sicuti enim illi, qui poſt iſtiuſmodi examen ex perceptis per Dei gratiam viribus meritò confidunt, ſe ſumptus ſufficientes habere, ut Chriſtianæ perfectionis turrim exſtruant, ſe ipſos ad iſtam ædificationem ſacramento aut baptiſmi aut pœnitentiæ prudenter & religiosè aſtringunt, ità è contra illi, qui in ſe ipſis non inveniunt niſi mortuæ animæ imbecillitatem, orationibus, jejuniis & eleëmoſynis inſtare debent, ut comparent ſumptus, hoc eſt, erudientem gratiam, quæ ipſis neceſſaria eſt, ut omnem impietatem, & ſæcularia deſideria conſtanter abnegare, & ſobriè, & juſtè, & piè vivere poſſint.

Hæc quoque dum advertent ſacerdotes, ſimul etiam advertent, non tantùm ſui officii eſſe, ut animas ſacramentis Deo conſecrent, & cœleſtibus alimentis laborantes reficiant; verùm ſuum quoque officium poſtulare, ut non importunè, ſed ut dent (quemadmodum mandat Salvator) [f] *cibum in tempore*, hoc eſt, tunc quando animæ per ſacramentorum pabula meritò ſperantur non pejùs habituræ, ſed adepturæ ſtabilem benè agendi virtutem, ac ſanctimoniam perſeverantem. Hoc tempus beneplaciti diſcernere debent illi, qui nutritiorum locum in familiâ Chriſti occupant. Neque enim omnes beati, qui in familiâ Chriſti ſacramentorum pabula diſtribuunt; ſed [g] *beatus ille ſervus, quem, cùm venerit, Dominus invenerit ſic facientem*, hoc eſt, cibum tribuentem in tempore opportuno.

Improvidus eſt nutritius, qui tunc alimenta præbet, quando non vires, ſed morbos nutriunt. Inconſultus eſt medicus, qui cùm rationabili & methodicâ curatione ſtabilem ſalutem ægro poſſet procurare, empiricâ utitur, quæ morborum cauſas dum non excludit, quia ignorat, nonniſi citiſſimè perituras ægro vires ſufficit. Ineptus eſt Monachorum Abbas, qui Monachum obnoxium viciſſitudini ſua vota violandi ac iterum renovandi, arbitratur tunc optimè ad fidem Deo ſervandam præparari, ſi, ſimul ac crimen agnoſcit,

f *Matth.* 24. 45. g *Ibid. v.* 46.

cit, impellatur ad vota iterum Deo nuncupanda, nec moneatur priùs magnitudinem criminum expendere, divinorum judiciorum terrore percuſſus illa deflere, contra voluntatis inconſtantiam auxilium gratiæ diù poſtulare, ut illo adjutus vota implere, & conſtanter valeat ſervare. Homo enim aſſuetus vota & juramenta temerare, & temerata iterum emittere, non evadet eorum obſervantior, niſi divinorum judiciorum & ſuæ infirmitatis conſideratione impulſus orando & gemendo, ſuaſque contra libidines luctando, eaſque vincendo, ſe ad novam votorum nuncupationem diu præparaverit. Undè dux Monachorum ſapiens ſæpe votifragos diu probabit, antequam conſentiat ut vota iterum edant: neque priùs illos hortabitur ad pollicendum, quàm eos viderit orationis ſtudio, & morum emendatione ſervandis promiſſis eſſe idoneos. Eâdem cautione utetur ſolers medicus animarum: non priùs illas ſacramentorum vinculo Deo aſtringet, quàm eas viderit divini timoris & amoris vinculis ei eſſe aſtrictos. Aliter ſi agat, empiricum aget, qui minimè ſolicitus cauſas tollere morborum, non ſtabilem, ſed fugacem valetudinem procurat.

Hanc rationem animas curandi commendans Emericus de Bonis, qui, beato Ignatio adhuc ſuperſtite, in Societatem admiſſus, teſte Alegambio, *inſtituti ejus Zelator fuit, & obſervator exactus*, ita loquitur: [h] Complures Confeſſarii „ religioſi & prudentes teſtantur, quòd peccatores innu- „ meri verè converſi ſint, & infelicem, quam habebant, „ peccandi conſuetudinem deferentes, magno cum ſolatio, „ & non mediocri in ſpiritualibus progreſſu caſtitati ſeſe de- „ derint, quia uſurpata fuerat circa ipſos tam ſancta praxis, „ differendi illis abſolutionem, adſtringendi illos ut redirent „ frequenter ad Confeſſarios, ad reddendam illis rationem „ vitæ ſuæ, & injungendi ipſis interea faciendam aliquam pœ- „ nitentiam. Licet ergo concludere cum Bellarmino ejuſdem Societatis viro, & ſanctitate & doctrinâ eminentiſſimo, quòd [i] *non eſſet tanta facilitas peccandi, ſi non eſſet tanta faci-*

li-

h *Tract. de SS. Sacram. c. 19.* i *Serm. 8. de Adventu.*

litas abſolvendi. Ab hâc ergo facilitate ſibi temperabunt, qui nolunt illis animarum medicis annumerari, de quibus Deus conqueritur, dicens: [k] *Curabant contritionem filiæ populi mei, cum ignominiâ dicentes: Pax, pax, & non erat pax.*

k *Jerem.* 6. 14.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Primum hominis officium eſt diligere Deum, 1. quia ab eo factus, 2. reparatus, 3. & ad ipſum factus eſt. 4. à Deo ſe homo avertens fit miſer. 5. ſuâ miſeriâ diſcit Deum eſſe bonum ſuum. 6. idem docetur mandato, diliges Dominum Deum tuum, & datur ratio cur illud maximum dicatur. 7. cur dicatur primum. 8. in quocunque ſtatu fuerit homo amorem Deo debet. 9. huic debito deeſſe homo non poteſt, quin Deum offendat; neque poteſt cum ipſo redire in gratiam niſi ad officium redeat.

§. 1. TRiplici potiſſimùm de causâ homo Deum ſuum amare debet: nempe quia ab ipſo conditus, reparatus, & ad ipſum factus eſt. Juſtiſſimum eſt ut opus diligat artificem, ut creatura amet creatorem, & ut filius ſuum patrem amore proſequatur: præſertim ſi ità ab ipſo factus ſit, ità conditus, ità genitus, ut quod ab ipſo in conditione accepit, niſi illud ſemper accipiat, retinere non poſſit. Ab artifice erecta domus perſeverat, tametſi artifex manum ab opere dimoveat, vel etiam è vitâ diſcedat. Qui creaturam ex nihilo condidit is eam, ne redeat in nihilum, indeſinenter conſervat. Qui in cœlis eſt hominum Pater, corpus format, inſpirat animam, illud hîc fovens nutrimentis, hanc ſuo ſpiritu ſemper ſuſtentans. Utrumque finitis temporum lapſibus verbo virtutis ſuæ in æternum conſervaturus, non ut ſibi per illa benè ſit, ſed ut ex ipſo eis ſalus ſit atque felicitas. Degener filius eſt, qui

ſuum

ſuum non diligit genitorem. Monſtrum eſt qui eum non amat Patrem, cui patris nomen tam eximio jure competit, ut ejus comparatione neminem nobis patrem liceat appellare. [l] *Patrem*, inquit ſcriptura, *nolite vocare vobis ſuper terram: unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt. Quaſi diceret*, inquit Clemens Alexandrinus, [m] *ne exiſtimetis, qui carnali vos ſevit ſatu, authorem & cauſam veſtræ eſſentiæ; ſed adjutricem cauſam generationis, vel potiùs miniſtram.* Hâc cogitatione imbuta erat ſupra modum mirabilis illa, & digna bonorum memoriâ Machabæorum mater, dum ſingulos eorum ad martyrium hortabatur. [n] *Neſcio*, inquit, *qualiter in utero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis, & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi: ſed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & ſpiritum vobis iterùm cum miſericordiâ reddet & vitam, ſicut nunc voſmetipſos deſpicitis propter leges ejus.*

§. 2. Verùm non eo titulo duntaxat pater iſte amandus, quia noſtram formavit & ſervat naturam: ſed indè major amandi cauſa exoritur, quod malo uſu noſtri arbitrii perditis naturæ ornamentis, nec ſuperſtite naturâ niſi ad pœnam ex demerito ſubeundam, Deus tamen illam morte unigeniti Filii ſui revocaverit ad gratiam, reparaverit ad ſalutem, & extulerit ad gloriam.

His itâ poſitis. [o] *Quis non redamare affectet juſtiſſimum & miſericordiſſimum Deum, qui prior ſic amavit injuſtiſſimos & ſuperbiſſimos homines, ut propter ipſos mitteret unicum Filium per quem fecit omnia?* Ut profectò [p] *rea ſibi ſit humana conſcientia, ſi non amaverit redamantem, aut ſi amantem non redamaverit.*

Homo non ſolùm ex titulo gratitudinis & amoris reciproci, verùm etiam ex ipsâ conditione & indigentiâ ſuæ naturæ Deum tenetur amare. Nonne enim ad amandum factus eſt? Nonne mens ejus æquè eſt natura amans atque intel-

l *Matth. 23. 9.* m *Clemens Alexan. l. 3. Stromat.* n *Lib. 2. Machab. c. 7. 22.* o *Aug. l. de Catech. rudibus c. 22.* p *Aug. l. 4. Confeſ. c. 9.*

telligens? Nonne ideo ei data ratio ut ſapienter diligere valeret? Nonne à Sanctis Patribus dictum [a] *quod animus rationalis ſine dilectione eſſe non poſſit?* Sed ad quid amandum eſt creatus? Certè ad bonum ſuum. Et quodnam bonum, perfectio, & ſalus ejus? Tam ſublimiter eſt conditus, & tam excelſum inter omnes creaturas ordinem nactus, ut omnibus rebus corporalibus ſit præpoſitus, ſoluſque conditor ejus ſit finis, bonum & perfectio ejus. *Faciamus*, inquit *Deus*, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: id eſt, faciamus hominem imaginem nobis ſimilem, non ut delectetur in piſcibus maris & volatilibus cœli, & beſtiis terræ: non ut univerſæ terræ omnique reptili quod movetur in terrâ eſurientem affigat amorem, & in eis velut fine & loco ſuo conquieſcat: ſed ut Deo tanquam ſummo bono & ultimo fini, æternæ Sapientiæ, veritati incommutabili, increatæ juſtitiæ amore ſubditus, piſcibus maris, volucribus cœli, beſtiis & reptilibus terræ, omnique corporeæ creaturæ non ſerviat indigus, ſed præſit divino lumine plenus; nec eis ſubjaceat quærens in illis bonum ſuum, ſed eis uti ſervis dominetur, in opulentiâ æternæ veritatis, & in dulciſſimâ fruitione ſemper manentis ſapientiæ conſtitutus. Præclarè Auguſtinus: *ipſa eſt animæ ordinatio, quâ nulli ſervit, niſi uni Deo; nulli æquari niſi puriſſimis animis, nulli dominari appetit, niſi naturæ beſtiali atque corporeæ. Quis non intelligat hanc eſſe juſtitiam.* [b]

§. 4. Ab hoc bono ſuo non potuit homo amorem ſuum avertere, niſi iniquus, niſi perverſus, niſi miſer, & niſi ærumnoſus evaderet. Præclarè hanc doctrinam tradit Gregorius Magnus, dum ait: [c] *Ad hoc namque homo conditus fuerat, ut ſtante mente, in arcem ſe contemplationis erigeret; & nulla hunc corruptio à conditoris ſui amore declinaret. Sed in eo quòd ab ingenitâ ſtandi ſoliditate voluntatis pedem ad culpam movit, a dilectione conditoris in ſemetipſum protinùs cecidit. Amorem verò Dei, veram ſcilicet ſtationis arcem deſerens, nec in ſe conſiſtere potuit: quia lubricæ mutabilitatis impulſu, infra ſe per corruptionem prorueus, etiam à ſemetipſo*

a *Leo Ser. 5. de jejun.* b *Aug. l. 6. de muſic c. 15.* c *Gregor. l. 8. Morl. c. 6.*

ipſo diſceſſit. Qui nunc quia conditionis ſuæ ſoliditate non figitur, alternantis ſemper deſiderii motu variatur: ut & quietus occupationem deſideret, & occupatus ad otium anhelet. Quia enim fixa mens ſtare cùm potuit, noluit: ſtare jam non valet, etiam cùm vult. Conditoris quippe ſui contemplationem deſerens, ſalutis ſuæ fortitudinem perdit: & quolibet poſita, ſemper ægra alium locum quærit. Varietatem ergo humanæ mentis exprimens, dicat: [c] SI DORMIERO, DICAM, QUANDO CONSURGAM? ET RURSUM EXPECTABO VESPERAM.] *Ac ſi apertè diceret: Nihil perceptum menti ſufficit: quia ipſum qui verè ſufficere potuit, amiſit. In ſomno namque ſurrectionem deſidero, in ſurrectione veſperam expecto: quia & quietus exercitium actionis appeto, & exercitatus otium quietis quæro.*

Hanc eandem doctrinam ante Gregorium patheticis verbis illuſtrat Auguſtinus, nunc ad Deum gemendo dicens: [d] *Væ animæ audaci quæ ſperavit, ſi à te receſſiſſet, ſe aliquid melius habituram. Verſa & reverſa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura ſunt omnia. Et tu ſolus requies.* [e] Item, *quia feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Nunc piè orans: *Deus virtutum converte nos. Nam quoquo-versùm ſe verterit anima hominis ad dolores figitur alibi, præterquam in te, tametſi figitur in pulchris extra te & extra ſe.*

Hujus aſſertionis ſuæ hanc præclaram deinde aſſignat rationem, dicens: *Eunt enim quo ibant ut non ſint, & conſcindunt eam* (animam) *deſideriis peſtilentioſis: quoniam ipſa eſſe vult & requieſcere amat in eis, quæ amat. In illis autem non eſt ubi: quia non ſtant, fugiunt.... Noli eſſe vana anima mea, & obſurdeſcere in aure cordis tumultu vanitatis tuæ. Audi & tu, verbum ipſum clamat ut redeas. Et ibi eſt locus quietis imperturbabilis, ubi non deſeritur amor, ſi ipſe non deſerat.*

§. 5. His autem cruciatibus, quos creatura rationalis, deſerto Deo ſuo, in amore creaturarum ſentit, evidenter doce-

c *Job. c. 7. 4.* d *Auguſt. l. 6. Confeſſ. c. 16.* e *Auguſt. l. 1. Confeſſ. c. 1. l. 4. Confeſſ. c. 10. &c.*

cemur, ſicut advertit idem Auguſtinus, Deum ſolum eſſe bonum ejus. [f] *In ipsâ miſerâ inquietudine defluentium ſpirituum.... ſatis oſtendis*, inquit Deo, *quàm magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo ſufficit ad beatam requiem, quicquid te minus eſt, ac per hoc nec ipſa ſibi.* Et deindè ex hujus veritatis cognitione atque intimo ſenſu, ità Deum orat: *da mihi te Deus meus, redde te mihi, te enim amo, & ſi parùm eſt, amem validiùs. Non poſſum metiri quantum deſit mihi amoris ad id quod ſat eſt, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abſcondatur in abſcondito vultus tui. Hoc tantùm ſcio quia* MALE MIHI EST PRÆTER TE, NON SOLUM EXTRA ME, SED ET IN ME IPSO, ET OMNIS COPIA, QUÆ DEUS MEUS NON EST, EGESTAS EST.

Magiſtro ſuo concinit D. Fulgentius, dum de Angelo malo ità loquitur: [g] *Per concupiſcentiam malam, ſive per amorem creati boni, quâ concupivit plus extra ſe, minus factus eſt in ſe. Quam concupiſcentiam, licet explere nequiverit opere, tamen retinuit voluntate. Sic ipſe ſibi jam factus eſt pœna, ut ſupplicium ſemper eſſet malo voluntas mala, tanquam cæco ipſa cæcitas ſua: & concupiſcentia peccandi tormentum fieret peccatori, & rebellis ac refuga, qui illam imperturbabilem requiem, quæ in Dei amore eſt, fugeret, deinceps perturbationi ſerviret, atque à bono Domino relinqueretur juſtè, quem ipſe reliquit injuſtè.* His de Angelo dictis, ità de homine loquitur: *Hoc & in homine contigit, quem ipſe diabolus ſerpentinâ calliditate dejecit. A Domino quippe bono diſſentiens & ſervo malo conſentiens, malæ voluntatis effectum plenum adipiſci non potuit.* Hoc eſt beatitudinem, quam in creaturarum amore quærebat, in eis nequiens invenire egeno fruſtratoque deſiderio cruciatur. [h] *Creaturæ quippe rationali*, ut idem Sanctus ait, *alia beatitudo non potuit nec poteſt eſſe, nec poterit, niſi ut agnoſcens à quo non ſolùm facta, ſed etiam à quo rationalis facta eſt, majorem dilectionem exhibeat bono creatori, quàm ſibi.*

 Cùm

f *Auguſt. l. Confeſſ.* 13. *c.* 8. g *Ad Monimum l.* 1. *c.* 17. h *Lib.* 1. *ad Monim. c.* 18.

Cùm ergo Deus ſolus ſit hominis bonum, ſine cujus amore non niſi miſer eſſe poſſit, ſequitur ipſum ad eum amandum non tam eſſe diſciplinis inſtitutum, quàm conditione factum, nec tàm externo inſtructum imperio, quàm internâ impulſum egeſtate; nec ipſum accepiſſe rationem, quàm ut ratione diſcerneret quidnam ſibi ſit diligendum. [i]NEQUE ENIM EI INESSE POSSET, inquit Fulgentius, ULLATENUS RATIO, NISI EI POSSET CREATORIS INESSE DILECTIO. *Quia nec eſt alia quæ vera ſit ſapientia vel intelligentia creaturæ rationalis niſi dilectio creatoris.*

§6. Quia peccato primi hominis hanc ſapientiam amiſit, nec in ſenſu miſeriæ ſuæ ex ſeipſo videre potuit, quid ſibi ad evadendam miſeriam & ſalutem conſequendam foret diligendum; ante oculos ejus hoc ſcripſit mandatum: [k]DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO, ET EX TOTA ANIMA TUA, ET EX TOTA FORTITUDINE TUA. Hoc verò mandatum ait ſalvator noſter eſſe *maximum & primum mandatum.*

MAXIMUM, quia ad illud tanquam finem & perfectionem ac beatitudinem hominis omnia alia præcepta velut media referuntur. [l]*Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientiâ bonâ & fide non fictâ.* Præcepta temperantiæ & fortitudinis referuntur ad charitatem, quia per opera virtutum, quæ præſcribunt, cor à paſſionibus luxuriæ & voluptatibus, quarum opes miniſtræ ſunt, & quarum causâ illæ amantur, cor expurgatur, ut Deum amare poſſit: *quia im-*
„*poſſibile eſt,* quemadmodum ait S. Thomas, *quòd cor im-*
„*purum ſit promptum ad charitatem*; quia unicuique eſt di-
„ligibile, quod ſibi eſt conforme. Cor impurum diligit
„ illud quod competit ei ſecundùm paſſionem; ergo neceſſe
„ eſt quòd ſit expeditum à paſſionibus. Cant. 1. *Recti dili-*
„*gunt te.*

Præcepta verò juſtitiæ referuntur ad mandatum de Deo diligendo; quia illa præſcribunt, ut nemini faciamus injuriam,

i *Ibid.* k *Deut. 6. 5.* l *1 Timoth. c. 1. 5.* m *In 1. Epiſt. ad Timoth. c. 1. lect. 2.*

riam, quantoſque poſſumus adjuvemus, advigilante prudentiâ, ut ea, quibus ad Deum provehimur, ab iſtis, quibus impedimur, rectè diſcernamus. Iſtis autem juſtitiæ & prudentiæ operibus fit conſcientia bona. Ex mente autem ſibi benè conſciâ, ſpes, quâ ad Deum properamus, enaſcitur; malè ſibi conſciis, à Deo, quem vindicem timent, trepidè fugientibus. *Qui ergo non habuerit conſcientiam bonam*, non *poteſt*, ait Angelicus Doctor, [n] *Deum purè diligere, quia qui non habet conſcientiam bonam, timet pœnam. Timor autem non eſt in charitate, ſed fugit Deum, & non unitur ei.*

Lumen & actus veræ fidei ſerviunt charitati, quia oſtendunt menti bonum, quod diligendum eſt. Qui enim (loquor iterum cum St. Thomâ) non habent veram fidem, non poſſunt diligere Deum; quia qui falſa credit de Deo, non jam diligit Deum. Non enim diligit qui non credit, quia non figitur affectus, niſi in illo quod oſtendit intellectus. Et ideo quæ faciunt fidem veram, ordinantur ad charitatem. Mandatum itaque de diligendo Deo, eſt mandatorum maximum, quia de aliis eatenus ſatagendum eſt, quatenus ad amandum Deum, in cujus fruitione noſtra ſalus eſt & perfectio, nos reddunt expeditos.

§. 7. Hoc mandatum primum in intentione tam Dei Conditoris, Redemptoris & Legiſlatoris, quàm creaturæ rationalis. Hoc primum in intentione Dei quâ Conditoris, quia Deus omnia condidit propter hominem, nempè ut ei ſuum præberent miniſterium, eique cœlum & terra & omnia quæ in eis ſunt, dicerent, ut ſuum amaret creatorem. Ipſæ enim ſpecies creaturarum voces ſunt quædam creatorem laudantium. Hoc primum in intentione Dei, quâ Redemptoris; [o] *Jeſus enim non opus erat ut veniret niſi propter charitatem.* Hinc Paulus, *commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* [p]

Hoc mandatum primum in intentione Legiſlatoris: quia alia non præcipit, niſi quia juvant ad ſervandum mandatorum maximum; perindè ac media conferunt ad finem aſſe-

 quen-

n *Ibid.* o *Aug. tract. 7. in Ep. Joan.* p *Rom. 5. 8.*

quendum. Atque hoc ſenſu ab Auguſtino dictum, quod ſcriptura [p] *non præcipit niſi charitatem, nec culpat niſi cupiditatem.* Quidquid enim præcipit, vel ipſa charitas eſt, vel diſpoſitio & juvamen ad charitatem. Quidquid verò culpat ſive prohibet, vel eſt inordinatus amor creaturæ, vel eſt fructus & opus iſtius amoris.

Hoc mandatum primum quoque eſſe debet in intentione hominis; quia neceſſe eſt ut ante omnia illud Creatori, Reparatori & Legiſlatori impendat, quod ille ante omnia exigit. Demùm hoc mandatum oportet ut ſit primum in intentione hominis; quia eſt de ultimo fine & ſummo bono [q] *propter quod appetenda ſunt cætera, ipſum autem propter ſe ipſum.*

§. 8. Amor itaque eſt primum officium, quod ab homine, Deo debetur. [r] *Hoc natura, hoc ratio, hoc divini verbi clamat authoritas*, quemadmodum loquitur elegans & pius auctor. In quocumque ſtatu, in quacumque conditione fuerit, Deum amore proſequatur neceſſe eſt. Sive juſtus ſit homo, ſive peccator, ſive viator, ſive comprehenſor, hujus officii debitor eſt. Si juſtus eſt, Deo debet ob collatum juſtitiæ donum, amorem gratum. Si peccator eſt, ob amiſſum juſtitiæ donum, Deo debet amorem lugentem. Si viator eſt, Deo debet ob ejus abſentiam, amorem deſiderantem. Si comprehenſor eſt, Deo debet ob ejus præſentiam, amorem gaudentem. Variante ſtatu variatur amandi modus, immoto ſemper amandi officio. Pro eo quod Deus ſit homini vel abſens vel præſens, vel placatus vel iratus, amor vultum alium, alio abjecto, poteſt induere; in diverſo tamen vultu eadem amoris natura retineatur, oportet. Hunc amoris cenſum perindè à paupere quàm divite Deus exigit, quia non ex arcâ, ſed ex corde ſolvitur. Hoc onus tam infirmo quàm ſano impoſitum, quia non deorsùm premit, ſed ſursùm levat. Hoc officium ab immaturâ & maturâ ætate exigitur: ab illâ, ut mentis ponat cruditatem; ab iſtâ, ut maturitatem ſervet judicii. Hoc amoris opus perindè fœminis, quàm

p *Aug. l. 3. de Doctr. Chriſt. c.* 10. q *Aug. l.* 19. *de Civit. c.* 1.
r *Auctor. Serm. de Baptiſmo Chriſti poſt Cypriani opera.*

quàm viris demandatum; quia non indè ſolvitur, ubi ſexuum diſtinctio cum beſtiis homini communis, ſed indè penditur, ubi veritas intelligitur, & homo angelis coæquatur.

§. 9. Huic officio homo deeſſe non poteſt, quin ſuo erga patrem, erga liberatorem, erga bonum ſuum, officio deſit; quin erga patrem fiat ingratus, erga liberatorem inhumanus, erga bonum ſuum inimicus. Nonne crimen eſt filium ſuo eſſe ingratum patri, liberatum inhumanum eſſe liberatori, mentem rationalem bono ſuo eſſe inimicam? Poſſuntne hæc ingratitudo, hæc inhumanitas, hæc inimicitia ſine grandi peccato eſſe? Poteſtne homo iſtud negare Deo, quod ille maximè & inprimis ab homine requirit, & cujus ipſe homo maximè & inprimis Deo debitor eſt, & nihilominus Deo non eſſe contumax ac rebellis? Poteſtne Deus, cui *odio eſt impius & impietas ejus*, ingrato, inhumano, inimico, contumaci ac rebelli fieri placatus, niſi ad officium redeat, atque deteſtans ingratitudinem, inhumanitatem, contumaciam ac rebellionem debitum Deo impendat amorem? Aut fortè poterit ita ſacramentis incruſtari, ut hæc crimina lateant Deum, à cujus oculis, ſicut ait ſcriptura, *nihil eſt abſconditum?* Aut poterit per ſacramenta fieri, ut ſit [1] *participatio juſtitiæ* æternæ *cum iniquitate*, *aut ſocietas* incommutabili *luci ad tenebras* iniquitatis? Nemo itaque ſive in uſu ſacramentorum, ſive extra uſum ſacramentorum cum Deo poteſt redire in gratiam, niſi ſe ab amore rerum mutabilium ad incommutabilis boni amorem convertat.

Sed fortè homo utens ſacramentis baptiſmi aut pœnitentiæ ab officio Deum amandi abſolvitur? Fingi hoc poſſet, ſi fingi poſſet quòd homo utens ſacramentis, homo eſſe deſineret. Cùm autem utens ſacramentis naturam hominis minimè exuat, utens ſacramentis à primo hominis officio ſolvi nequit. Sive igitur ſacramentis utatur, ſive non utatur, Deo tanquam patri, liberatori, & bono ſuo amorem debet. Undè officium ſuſcipiendi baptiſmi, aut ſacramenti pœnitentiæ non eſt cogitandum, uti à quibuſdam caſuiſtis cogitatum

 fuit,

1 2 Cor. 6. 14.

fuit, ac ſi ſucceſſiſſet officio amandi. Etenim iſtud huic non ſucceſſit, ſed acceſſit; nec depoſita eſt amandi neceſſitas, dum impoſita eſt ſacramenti neceſſitas; ſicuti non deponitur humana natura, dum accipitur gratia ſacramenti. Imò beneficium ſacramenti, auget officium amandi. Dum enim creſcunt dona, rationes etiam creſcunt donorum, quibus non reſpondetur, niſi dum amori benefico gratus amor rependitur.

Caput II.

1. Homo Deo continuum debet amorem. 2. is amor humanis actionibus oportet ut imperet. 3. illud luculenter à Dionyſio Carthuſiano probatur. 4. peccat homo, dum amorem à Deo avertit. 5, manet homo perverſus quibuſcumque utatur ſacramentis, niſi ſuum ad Deum amorem convertat, quod in ſacramento reconciliationis maximè fieri oportet.

§. 1. POteſt creatura rationalis locum, tempus, & opus mutare, ſed nunquam poteſt amorem Dei cum amore creaturarum commutare. In tempore, ætate, locis, & operibus diverſis amor non poteſt eſſe diverſus. Sicut Auguſtinus Deo pulchrè dicit: [a] *Opera mutas, nec mutas conſilium*: ità de mente rationali licet dicere, quòd poſſit tempora, loca, & opera mutare, ſed nunquàm ei liceat ſuum de Deo amando conſilium abjicere. In quocumque ergo ſit tempore, in quocumque loco, in quocumque opere, Deum ſemper ex toto corde, & totâ animâ, & ex totâ fortitudine amare debet. Hoc mandatum, [b] *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ*, non mutat ſuum in nos imperium, quia noſtra opera mutantur. Obligat religioſis operibus intentos, obligat civilibus actionibus diſtentos: adeò ut opera diverſa ab eodem debeant amore dimanare, nec aliàm amoris radicem in fo-

a *Lib. 1. Confeſ. c. 4.* b *Deut. 6. 5.*

ſoro, agro, vel officinâ, quàm in templo habere poſſint. Hoc ſignificat Deus, dum non ſolùm mandat, dicens: diliges Dominum Deum tuum, ſed addit: *diliges ex toto corde tuo. Cùm autem ait*, (loquor verbis Auguſtini) *toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut aliâ re velit frui. Sed quicquid aliud diligendum venerit, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. Quiſquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipſe toto corde, totâ animâ, totâ mente diligat Deum, & ſic eum diligens tanquam ſe ipſum, totam dilectionem ſui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Si itaque oporteat hominem amare Deum omni tempore, loco, & opere; ſi nulla pars vitæ ejus ab hoc amoris exercitio vacare debeat, ſequitur quòd nullus ſit locus, nullum tempus, nullum opus, in quo ab hoc amore ceſſare poſſit.

Hunc indeſinentem divini amoris affectum Apoſtolus Petrus disertè commendat, dum ait: [d] ANTE OMNIA AUTEM MUTUAM IN VOBISMETIPSIS CHARITATEM CONTINUAM HABENTES. *Benè addidit*, inquit Beatus Beda, [e] *continuam; quia ſemper diligere valemus, ſemper autem vigilare in orationibus fragilitate carnis obſtante nequimus: ſemper his, quas ſubjungit, virtutibus inſiſtere minimè valemus, id eſt, hoſpitalitati, doctrinæ, adminiſtrationi gratiarum, vel communium, vel ſpecialium in proximos, cæteriſque hujuſmodi. Quia hæc nimirum & per officium corporis, & per tempora opportuna fieri neceſſe eſt. Ipſa autem charitas, cujus inſtinctu hæc foris aguntur, quia interiori homini præſidet, ſemper ibidem haberi poteſt, quamvis in publico non ſemper oſtendi poſſit.*

Hanc indeſinentem divini amoris vitam, hunc perpetuum ejus motum, hoc ſtudium indeficiens, hunc conſtantem conatum, ipſe Deus clariſſimè expreſſit, nobiſque injunxit dum poſt hæc verba, [f] *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*,

c *Aug. lib.* 1. *de Doctr. Chriſt. c.* 22. d 1 *Petr. c.* 4. *v.* 8. e *Beda in citatum locum.* f *Deuter.* 6. 5.

tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ; ita proſequitur: *eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tuâ, & ambulans in itinere, & dormiens atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tuâ, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine atque oſtiis domus tuæ.* Quid expreſſius, quid fortius dici poteſt? Non ceſſatio ſedentis ab hoc amore debet ceſſare, non quies dormientis ab hoc amore quieſcere, non vigiliæ conſurgentis, neglecto hoc amore, aliis intendere, non labor itinerantis ab hoc amore diſcedere. Sive domi, ſive foris, quocumque loco, quocumque tempore, quocumque in opere homo fuerit, Dei amator eſſe debet. Alia opera ut manum ejus occupent, licet; ut alius amor cor ejus occupet, minimè licet. Eſt ergo hoc præceptum ad omnia loca, ad omnia tempora, ad omnia opera determinatum; ſive potiùs ab omni loco & tempore liberum, ut omni tempori, loco, & operi dominetur, atque in omni tempore, loco, & opere primatum obtineat.

Quanquam ex his non ſit obſcurum, nec locum, nec tempus, nec opus eſſe ullum, in quo homini liberum ſit à divino amore feriari: attamen cedet ad iſtius amoris in omnibus operibus principatum magis ſuſpiciendum, ſi conſiderationi ejus paulò diutiùs immoremur.

§. 2. Sacer divini amoris principatus luculenter nobis commendatus fuit, dum Chriſtus dixit: [g] *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus.* Quærere regnum Dei, eſt ſupremam quærere beatitudinem, quæ eſt Deus ipſe, quatenus per ſuum in nobis regnat amorem. Hoc regnum amore petitur, amore quæritur, amore invenitur, & in hoc regno amore permanetur. Hoc regnum primùm quæritur, quando ante omnia quæritur, hoc eſt, quando omnium aliarum rerum deſiderium ex regni cœleſtis deſiderio fluit. Fit hoc, quando homo nec vitam ſuam, nec vitæ ſubſidia, victum & amictum, nec hominum amicitias, nec dignitates deſiderat, niſi quatenus illarum rerum deſideria ex Dei profluunt amore. Ille autem amor non parit aliarum rerum deſi-

de-

g *Matth. 6.*

deria, niſi quatenus ſuæ conſervationi, incremento & perfe-ctioni vel neceſſaria vel utilia ſunt. Si advertat uſu & poſſeſſione aliarum rerum ſe tepeſcere, & implicari, ab illis protinùs reſilit, atque ab illis ſeſe continet, ut ſe ipſum Deo acquirendo ac promerendo integrum caſtumquè ſervet.

Undè verè Chriſtiani ex deſiderio regnantis & beatificantis juſtitiæ, quæ eſt Deus noſter, omnibus rebus, dignitatibus, officiis, operibus, actionibus & cogitationibus pretia ponunt, nihil neceſſarium, nihil utile vel inutile, nihil bonum aut malum, nihil grande aut parvum, ſublime aut vile exiſtimantes, niſi quatenus res aliqua ad Deum amandum plus minuſvè vel prodeſt vel obeſt. Undè ille vitæ ſtatus, illa conditio, illa officia, illæ functiones ſunt coram Deo, & coram illis qui habent ſenſum Chriſti digniora, & aliis omnibus præferenda, tametſi prudentiæ carnis vilia, abjecta & ſpernenda videantur, in quibus ad Deo vacandum, Deumquè contemplandum atque amandum major libertas. E contra illa vitæ ratio, illud officiorum genus, illæ functiones coram Deo abjectiſſima & viliſſima ſunt, in quibus plura ſunt, quæ mentem noſtram à Deo avocant, & creaturarum cogitationi atque amori magis addicunt: quamvis illi, qui non ſapiunt, quæ Dei ſunt, illa ſola magna, honorifica, & glorioſa arbitrentur. Is ergo primùm quærit regnum Dei, qui in eligendo vitæ ſtatu, in functionibus exercendis, in operibus aggrediendis, in conſervandis ac reparandis ſomno, cibo & amictu corporis viribus ante omnia conſiderat, quàm ſibi ſint neceſſaria vel non neceſſaria, utilia vel inutilia ad Deum amore acquirendum; & qui juxta hanc conſiderationem atque judicium ea vel parùm aut multùm amplectitur, vel parùm aut multùm averſatur.

Hanc expoſitionem verborum Chriſti, *quærite primum regnum Dei, & juſtitiam*, paucis verbis complectitur Auguſtinus, ita loquens: [h] *regnum & juſtitia Dei bonum noſtrum eſt, & hoc appetendum, & ibi finis conſtituendus, propter quem omnia faciamus, quæcumque facimus.*

Hoc dominium divini amoris in omnes noſtras cogitationes,

h *Lib. 2. de Serm. Domini in monte c. 16.*

nes, in omnia verba, in omnem uſum ſenſuum noſtrorum, Doctor gentium luculenter commendat, dum ita præcipit: [i] *Omnia veſtra in charitate fiant.* Hoc eſt, omnia veſtra procedant ex imperio divini amoris. Non ſit ſenſuum uſus, quem ille non gubernet, quem in finem ſuum non dirigat, quem ille ſuis incrementis non jubeat ſervire. Nec oculo, nec auri, nec odoratui, nec guſtui nec tactui plus permittatur, quàm amori Dei, qui eſt intelligentis naturæ digniſſima functio, prodeſſe cognoſcitur.

Hoc iterum jubet Apoſtolus, dum ait: [k] *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite.* Hoc eſt, omnia facite eo fine, ut Dei cognitio & amor augeatur; in tantum enim Deus à nobis glorificatur, in quantum cognoſcitur & amatur. Vult ergo Apoſtolus, ut divinus amor cibo & potui, aliiſque rebus, quibus utendum eſt, eum præſcribat modum, qui conſervationi ejus atque incremento magis ſit accommodus.

Iterùm eandem inculcat doctrinam, dum ait: [l] *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti*; ut ſcilicet [m] *quicquid in uſu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiſcendorum amore faciamus, per iſta tranſeuntes, illis inhærentes.*

Facillimum foret plurima ex ſcripturis loca congerere, quibus jubetur, ut omnia noſtra opera, omniſque ſenſuum noſtrorum uſus divino militent amori: etenim [n] *omnes ſcripturæ nihil aliud,* inquit Auguſtinus, populum ſuum alloquendo, *te docent, niſi continentiam ab amore ſæculi ut amor tuus currat in Deum.*

§. 3. Nolo itaque in re certâ diutiùs morari, tantùm majoris perſpicuitatis ergò hîc referam, quæ de hoc argumento doctiſſimè ſcripſit magnum decus Carthuſiani ordinis Dionyſius à Rickel, dum ait: [o] Quemadmodum ordo eſt in „ potentiis animæ, ſic ordo ſervandus eſt in actibus ejus at- „ que objectis. Sicut enim omnes inferiores potentiæ ad in- „ tel-

i 1 *Cor.* 16. 14. k 1 *Cor.* 10. 31. l *Coloſſ.* 3. *v.* 17. m *Aug. lib.* 12. *de Trinit. c.* 13. n *Aug. Serm.* 15. *inter eos, quos edidit Sirmond* o *Dionyſ. Carth. lib. de paſ. animæ. art.* 3.

„ tellectivas potentias, ſcilicet rationem & voluntatem, na-
„ turaliter ordinantur, finaliterque referuntur, & propter
„ eas animæ tribuuntur, ſic actus & item objecta inferiorum
„ potentiarum ad actus & objecta rationis & voluntatis ordi-
„ nare expedit; imò ad benè vivendum neceſſe eſt. Non er-
„ go debemus inſenſibilibus rebus notitiâ & affectu ampliùs
„ immorari, occupari aut affici, niſi in quantum operationi
„ rationis & rectæ voluntatis utile eſt & neceſſe. Nam quæ or-
„ dinantur ad aliquem finem, diſponenda ac moderanda ſunt
„ ſecundùm exigentiam finis. Objecta inſuper rationis & vo-
„ luntatis, cùm ſint communia, multa includunt, in qui-
„ bus ſunt aliqua ſumma, quæ & cæterorum fines ritè cen-
„ ſentur: ideoque ad ea referenda ſunt reliqua, nec ampliùs
„ cognoſcenda ſeu diligenda, neque tractanda vel aſpicienda
„ ſunt, niſi prout utile eſt vel neceſſe ad cognitionem atque
„ amorem ſummorum ac nobiliſſimorum rationis voluntatiſ-
„ que objectorum. In omni etenim multitudine bene diſpo-
„ ſitâ eſt aliquod primum & ſummum, quod inferiorum fi-
„ nis vocatur, & ſecundum ejus exigentiam inferiora meritò
„ diſponuntur. Objectum autem rationis eſt verum, volun-
„ tatis quoque objectum eſt bonum intellectualiter cogni-
„ tum. Omnium autem verorum omniumque bonorum pri-
„ mum & ſummum eſt Deus glorioſus & ſanctus: quippe
„ cùm ipſe ſit veritas exemplaris, bonitaſque fontalis, ex quo
„ omnia vera ac bona exorta ſunt. Omnium ergo verorum
„ cognitio, omnium quoque bonorum dilectio, imò omnis
„ intellectualis operatio, & univerſaliter univerſarum animæ
„ virium motus & actio ad primæ veritatis contemplationem
„ atque divinæ bonitatis amorem ſunt ordinanda: & in iſto
„ conſiſtit tota & ſumma perfectio noſtra. Hæcque vivendi
„ perfectio eſt Deiformis ſimplificatio, & cœleſtis atque An-
„ gelica converſatio, ad quam omnia Evangelica Chriſti con-
„ ſilia ordinantur. Deus namque eſt illud unum, quod ſo-
„ lum neceſſarium perhibetur, ad cujus intuitum atque ef-
„ fectum tota eſt mentis noſtræ dirigenda intentio, erigenda
„ profectio. Hæc Dionyſius. patet igitur, omnes humanæ
vitæ actiones ab amore divino modum & menſuram accipere;
illum

illum amorem in omnibus hominis actionibus debere dominari; eas eſſe intendendas, aut remittendas, aut omittendas prout hic juſſerit amor; hominem à ſuâ dignitate deficere, quando ſua omnia non refert ad finem charitatis; & è contra tunc ſuam tueri dignitatem, quando ad Deum, qui eſt finis charitatis, ſua omnia refert. [p] *Tunc quippe eſt optimus homo, cùm totâ vitâ ſuâ pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi.*

§. 4. Verùm licet homini adhuc ingemiſcenti, [q] *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis*, non ea concedatur perfectio, ut totâ vitâ ſuâ pergat in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæreat illi; attamen tranſlatus eſt de morte ad vitam, quando maximum pondus amoris, quo agitatur, ad Deum fertur; maximus timor, quo percellitur, Dei refugit offenſam; & maxima ſollicitudo, quâ exercetur, Deum ſtudet promereri. Dum autem hi affectus amoris, timoris & ſollicitudinis præcipuum in corde noſtro locum tenent, tum pleraque opera noſtra ad Deum tanquam finem dirigimus; tametſi illum non ſemper cogitemus: ſufficit enim, ut dum opera noſtra inchoamus, attentione mentis & amore excitato illa Deo offeramus, atque in virtute primæ intentionis ea continuemus; ſicuti viator directo ſemel itineris ſui curſu illud proſequitur, manente & agente primæ directionis virtute, tametſi mente circa alia occupetur. Fatendum tamen illecebris rerum occurrentium concupiſcentias noſtras, dum mens noſtra Deum non cogitat, facilè excitari, illaſquè excitatas curſum intentionis noſtræ quaſi ſufflaminare, ut ſegniùs ad Deum currat, ac in creaturis nonnihil conquieſcat, dum illas, licet innocuas, non propter Deum diligit, quamvis eum magis, quàm iſtas diligat. Iſtiuſmodi verò in creaturis moræ, quamvis ſine crimine ſint, non ſunt tamen ſine omni peccato; quia ſunt contra illud præceptum, quo jubemur Deum ex toto corde diligere. Non poteſt igitur cor noſtrum ſine crimine vivere, niſi Deum omnibus anteponat, nec in aliquâ hærere creaturâ, niſi Deum ſaltem venialiter offendat: nam ſive leges, quæ lucent in ſacris litteris tàm

p *Aug. l. 1. de doctr. Chriſt. c. 22.* q *Rom. 7. 24.*

tàm veteris, quàm novi inſtrumenti, ſive lumen æternum, ipſamque rationem noſtram, cui illud impreſſum eſt, attendamus, illa nos docent, quòd amor Dei à corde noſtro nunquam debeat exulare, nunquam non in affectibus noſtris primatum tenere, nunquam non opera noſtra regere ac gubernare, ita ut diverſitas affectionum & operum noſtrorum ex uno & eodem amore fluat, & ab uno & eodem amore imperetur ac dirigatur. Unde præclarè à S. Thoma de villa nova
„ dictum : ſi quam cogitationem, ſi quam dilectionem in alio
„ expendis, ſi quid aliud capis, aut ſapis, ſi quid agis, aut
„ meditaris, quod non ipſe eſt, aut propter ipſum eſt, fur
„ es & latro, & alienum eſt, quod prodigis.

Si quis ergo amorem ſuum à Deo avertat, ſi illum temporalibus addicat, temporalia pluris quàm Deum faciat, illis vinculo cordis, dilectione ſcilicet, arctiùs & tenaciùs, quàm Deo affixus ſit; ſi temporalia ardentiùs, quàm æterna quærat; ſi pleraque ejus opera non in charitate, ſed ex cupiditatis fiant imperio; ſi magis ſollicitus ſit, ut creaturâ, quàm creatore fruatur; nonne talis peccabit in recenſita ſcripturarum oracula? Nonne quoque peccabit in legem æternam, quam Dionyſii Carthuſiani verbis retulimus, & quæ, uti ait Auguſtinus, [r] *jubet avertere amorem à temporalibus, & eundem mundatum convertere ad æterna?* Dubitari non poteſt quin peccatum committat: ſiquidem peccare ſive malè facere nihil aliud ſit, quemadmodum poſt Auguſtinum docet Sanctus Thomas, [s] *quàm neglectis rebus æternis, quibus per ſe ipſam mens fruitur, & quas per ſe ipſam percipit, & quas amans amittere non poteſt, temporalia, & quæ per corpus, hominis partem viliſſimam, ſentiuntur, & nunquam eſſe certa poſſunt, quaſi magna & miranda ſectari.* Alibi teſtatur idem Auguſtinus, ſe divinâ voce edoctum didiciſſe, peccatum aliud non eſſe, quàm amorem à Deo ad creaturas deficientem. [t] *Dixiſti mihi, Domine,* inquit, *voce forti in aurem interiorem, quòd hoc ſolum à te non eſt, quod non eſt, motuſque voluntatis à te, qui es, ad id quod minus eſt; quia talis motus delictum atque peccatum eſt.*

Alibi

r *Lib. 1. de libero arb. c. 15.* s *Aug. ubi ſupra c. 15. D. Thom. 1. 2. q. 71. art. 6.* t *Lib. 12. Confeſſ. c. 11.*

[u] Alibi idem Sanctus, & poſt ipſum Sanctus Thomas, aliique Scholæ Doctores, inquiunt: *peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum aliquid contra legem æternam.* Eſt autem in dicto, facto, & concupito peccatum; quia affectus ſive amor, à quo imperantur atque procedunt adverſus eſt æternæ legi. De lege verò æternâ ibidem loquens, ait: *Lex æterna eſt ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſervari jubens, & perturbari vetans.* Ordinem verò naturalem ibidem ità exponit, ſicuti & hoc capite & ſuperiori illum expoſuimus, ut ſcilicet corpus ſerviat ſpiritui & ſpiritus ſerviat Deo, ſive utatur corpore ad neceſſarium miniſterium, fruatur Deo ad felicitatem & gaudium. Hic ordo violatur, dum homo fruitur ſuo aliiſve corporibus ad felicitatem & gaudium, Deo autem utitur ad miniſterium; ſive dum creaturam propter ſe ipſam, Deum verò amat propter creaturas. Hic autem ordo, ut violatus reparetur, neceſſe eſt, quemadmodum ibidem docet Auguſtinus, ut homo ſubdat ſibi, quod habet commune cum beſtiis, [x] ſubdat Deo, quod habet commune cum Angelis, donec juſtitiâ & immortalitate perfectâ atque perceptâ, ab iſtis exaltetur, illis æquetur. Subditur autem corpus ſpiritui, & ſpiritus Deo, dum homo *refrænat omnes mortales delectationes, & eas coërcet ad naturalem modum, meliora inferioribus ordinatâ dilectione præponens.*

§. 5. Dilectio ergo ordinem reſtaurat, & peccatum, quod in amore, qui minora bona majoribus anteponit, poſitum eſt; non fugatur, quicquid homo agat, quicquid cogitet, quicquid amet, quibuſvis ſacramentis utatur, niſi amando Deum omnibus præferat, Deo præ omnibus gaudeat, Deo firmiùs adhæreſcat. Benè itaque ſanctus Cæſarius monet, dum ait: [y] *Nolite vobis ſine charitate blandiri, etiamſi reliqua bona opera perfeceritis*, adde, etiamſi omnia ſacramenta perceperitis; *ſed timete illud, quod ſcriptum eſt:* QUI UNIVERSAM LEGEM SERVAVERIT, OFFENDIT AUTEM IN UNO, FACTUS EST OMNIUM REUS. *Quod eſt hoc unum,*

u *Lib. 22. Contr. Fauſt. c. 27.* x *Ibid. c. 28.* y *Exhortatione ad tenendam charitatem.*

unum, niſi vera & perfecta charitas, de quâ iterùm Apoſtolus dixit: OMNIS LEX IN UNO SERMONE IMPLETUR, DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TE IPSUM. *Nam in tantum reliqua opera ſine charitate nihil proſunt, ut liberâ voce clamet Apoſtolus:* SI DISTRIBUERO IN CIBOS PAUPERUM OMNES FACULTATES MEAS, ET TRADIDERO CORPUS MEUM, ITA UT ARDEAM, CHARITATEM AUTEM NON HABUERO, NIHIL MIHI PRODEST.

Nemo ergo nimiùm de ſacramentis, quæ amore vacuus ſuſcipit, præſumat: nemo ſe juſtum credat, in quo divinus amor mundi amori non prævalet. [a] *Omnibus enim notum eſt*, inquit Cæſarius, *quia amor amore vincitur; & contraria*, ſicut idem ſanctus alibi dicit, *ſolent ſanare contraria, & nihil ita eſt adverſum vel contrarium charitati, quæ fundamentum eſt omnium bonorum, quàm cupiditas, quæ eſt radix omnium malorum.* Qui vult ergo juſtus fieri, ac cum Deo redire in gratiam [b] *imploret*, inquit idem ſanctus, *Dei adjutorium, ut poſſit extirpare cupiditatem, & plantare charitatem: hoc enim qui fideliter fecerit, omnia Dei præcepta cum gaudio & exultatione complebit; quia quoties & aliqua amaritudo ſæculi ſupervenerit, prævalere eam in illo charitatis dulcedo non permittit, & ſic ei vera charitas inſinuat dulcedinem bonorum cœleſtium, ut eum patienter faciat tolerare amaritudinem terrenorum.*

Quando autem erit magis neceſſe, ut quis extirpet cupiditatem, & plantet charitatem, ut amorem mundi contrario Dei pellat amore, ut meliora inferioribus ordinatà dilectione præponat, ut ſubdat rationi, quod habet commune cum beſtiis, & ſubdat Deo, quod habet commune cum Angelis; ut amorem à temporalibus, prout lex æterna jubet, ad æterna convertat; ut motus animi ab eo, quod minùs eſt, convertat ad illud, quod ſummè eſt. Quando erit magis neceſſe, ut quærat regnum Dei & juſtitiam ejus; ut, quod agit, in charitate faciat, ut opus ſuum in gloriam Dei di-

a *Cæſar. tomo octavo Biblioth. Patrum majoris. Exhortatio St. Cæſarii ad tenendam & cuſtodiendam charitatem.* b *Ibid.*

dirigat, quàm dum ſuſcepturus ſacramentum baptiſmi aut pœnitentiæ deſiderat cum Deo redire in gratiam, reſarcire quam ei intulit injuriam, reddere quem ei abſtulerat cultum ac venerationem? quando, inquam, magìs ſatagendum, ut ceſſet Dei offenſa, quæ in amore mundi poſita eſt, & vivat ac regnet Dei cultus, qui in Dei amore conſiſtit, quàm dum per viſibilia ſacramenta ſeſe profitetur cum Deo velle redire in gratiam, & ceſſantibus injuriis, ablatum ei honorem reddere? Certè ſi ullo tempore obliget illud Chriſti, *quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus*; ſive illud Pauli, *omnia veſtra in charitate fiant*, ſi unquam amor avertendus à temporalibus, & convertendus ad æterna, illud tum maximè præſtandum, cùm ſacramenta ſive ſigna reconciliationis uſurpantur. Qui vult ergo juſtus fieri, primùm quærat regnum Dei & juſtitiam ejus, & ante omnia imploret Dei adjutorium, ut poſſit extirpare cupiditatem, & plantare charitatem; hoc enim qui fideliter fecerit, omnia Dei præcepta cum gaudio & exultatione complebit: quia quoties ei aliqua amaritudo ſæculi ſupervenerit, prævalere eam in illo charitatis dulcedo non permittit, & ſic ei vera charitas inſinuat dulcedinem bonorum cœleſtium, ut eum patienter faciat tolerare amaritudinem terrenorum. Hæc vera juſtificatio, cui nihil ſimile habet ea ſpecies juſtificationis, quâ ſe illi efferunt, qui, licèt Deum ſuper omnia minimè diligant, adeóque peccandi voluntatem retineant, à ſacerdote abſolutionis ſimulacrum perceperunt. Etenim illi Dei præcepta neque cum gaudio complent, neque amaritudinem ſæculi vincunt, neque dulcedinem rerum cœleſtium percipiunt, ſed ſolummodò nutriti furfure, & non medullâ ſacramentorum, nec ſicuti oportet Dei præcepta ſervant, nec etiam ſapiunt, quæ Dei ſunt, & exortâ tentatione illicò deficiunt, & uti canes ad vomitum revertuntur, ut fiant noviſſima illorum deteriora prioribus.

Caput III.

1. Sine amore Dei ſecundùm Apoſtolum homo coram Deo nihil eſt. 2. Amor proximi non eſt ſine amore Dei. 3. Datur ratio, cur Chriſtus mandatum de diligendo proximo ſuum vocet, & infertur timorem gehennæ ſine amore Dei cum ſacramento baptiſmi aut pœnitentiæ ad juſtitiam non ſufficere. 4. & 5. locus Apoſtoli 1 *Cor.* 13. *de operante charitate intelligitur, non de ſegni & inerti illo amoris habitu, quem in adultis neque Apoſtolus neque Patres agnoverunt.*

§. 1. Timorem gehennæ & ſacramentum pœnitentiæ non eſſe per ſe idonea, ut hominem ſine Dei amore juſtum ſalvumquè reddant, evidentiſſimè probatur ex verbis Pauli ad Corinthios ita ſcribentis: [c] *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Etenim ſi nec Angelica eloquentia, nec Prophetiæ ſublime donum, nec profundiſſima myſteriorum cognitio, nec eleëmoſynarum diſtributio copioſiſſima, nec ipſum pro fide martyrium, quo nullum ſublimius opus Catholica Religio agnoſcit, & quod Chriſtus ipſe magnificè commendavit, dum dixit: [d] *Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt:* nobis valeat prodeſſe, aut talem conferre dignitatem, ut aliquid ſimus coram oculis Domini; pluſne valebunt timor & ſacramenta? Profectò qui habet omnia ſacramen-

c 1 *Cor.* 13. d *Matth.* 10. 32.

menta omnemquè gehennæ timorem ſine charitate, *ille* veriſſimè dicere poteſt: etſi habeam omnem timorem, & omnia ſacramenta, charitatem autem non habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt.

§. 2. Adverſæ opinionis patroni, ut vim hujus argumenti enervent, duo reſpondent. Ipſorum aliqui aſſerunt Apoſtolum hîc loqui de amore fraterno: alii dicunt, eum hîc commendare non actuoſum, ſed habitualem amorem. Quod primum reſponſum attinet, illud ambabus ulnis amplectimur, modò per amorem fraternum, eum intelligant, quo proximum diligimus, ſicut Chriſtus mandat, dum dicit: [c] *mandatum novum de vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos; ut & vos diligatis invicem.* Neque enim hîc loquitur Apoſtolus de illo proximi amore, quo homines ſibi invicem hujus vitæ bona apprecantur, & largiuntur. Talis enim amor etiam in Judæis, etiam in Mahometanis, etiam in gentilibus reperitur. Loquitur Apoſtolus de amore, à quo fides, prophetia, & ſcientia meritum, & ipſum martyrium ſuam dignitatem ac decus mutuatur. Loquitur Apoſtolus de fraternâ dilectione, quæ, ut proximum ſalvet, in ferendis ejus defectibus, *patiens eſt*; quæ, ut illum Chriſto lucretur, *benigna eſt*; quæ ejus æternam ſitiens ſalutem, ob ejus felicitatem *non æmulatur*; quæ, ne ei in viâ ſalutis offendiculum ponat, *non agit perperam*; quæ, ne illum contemnat, ob proprias dotes *non inflatur*; quæ *non eſt ambitioſa*, ut ei dominetur; verùm ut ei piè ſerviat, *non quærit quæ ſua ſunt*. Unde etiam injuriis laceſſita *non irritatur*, ut vindictam expoſcat; & ſi quas pœnas malefacienti proximo infligat, *non* ejus *cogitat malum*, ſed procurat medelam; proximique peccata ut ſua lugens *non gaudet ſuper* ejus *iniquitate*, ſed ejus virtutibus favet, quia *congaudet veritati*. Demùm agit Apoſtolus de charitate adeò divinâ, ut de illâ dicat, quòd *omnia ſuffert*, præ expectatione felicitatis æternæ; *omnia credit*, præ reverentiâ Dei revelantis; *omnia ſperat*, præ fiduciâ in potentiâ pollicentis; *omnia ſuſtinet*, præ deſiderio liberationis æternæ; *nunquam excidit*, quodquè fide & ſpe major ſit: *Major autem horum eſt charitas.*

[c] *Joan.* 13. *v.* 34.

Lau-

Laudem adeò divinam nemo ſanæ mentis in eam contulerit dilectionem, quæ merè humana eſt, & quæ in hominibus Deum ignorantibus etiam reperitur. Loquitur itaque Apoſtolus de eâ charitate, quâ mandat Chriſtus ut invicem diligamus, ſicut ipſe dilexit nos. Quomodo autem ipſe dilexit nos? Non ad mundi delicias, non ad opes caducas, non ad dignitates ſæculares; ſed ut juſti eſſemus, ſed ut cum ipſo regnaremus, ſed ut Deus viveret, & regnaret in nobis. Hic autem amor in nobis eſſe non poteſt, niſi etiam ſit in nobis amor æternæ juſtitiæ, Chriſti regnantis, ac Dei viventis & dominantis. [f] *Nolite itaque putare, fratres mei, in hoc quod ait Dominus*, MANDATUM NOVUM DO VOBIS, UT VOS INVICEM DILIGATIS, *illud majus prætermiſſum eſſe mandatum, quo præcipitur, ut diligamus* DOMINUM DEUM NOSTRUM EX TOTO CORDE, EX TOTA ANIMA, ET EX TOTA MENTE: *tanquam enim hoc prætermiſſo videtur dictum*, UT DILIGATIS INVICEM, *velut hoc ad illud alterum non pertineat, quo dictum eſt*, DILIGES PROXIMUM TUUM TANQUAM TE IPSUM: IN HIS ENIM DUOBUS PRÆCEPTIS, *inquit*, TOTA LEX PENDET ET PROPHETÆ. *Sed benè intelligentibus utrumque invenitur in ſingulis. Nam & qui diligit Deum, non eum poteſt contemnere præcipientem ut diligat proximum, & qui ſanctè ac ſpiritaliter diligit proximum, quid in eo diligit niſi Deum? Ipſa eſt dilectio ab omni mundanâ dilectione diſcreta, quam diſtinguendo addidit Dominus*, SICUT DILEXI VOS. *Quid enim niſi Deum dilexit in nobis? Non quòd habebamus, ſed ut haberemus: ut perducat nos, ſicut paulò ante dixi, ubi ſit* DEUS OMNIA IN OMNIBUS. *Sic etiam medicus rectè dicitur ægros diligere. Et quid in eis, niſi ſalutem diligit, quam cupit utique revocare, non morbum, quem venit expellere? Sic ergo & nos invicem diligamus; ut quantùm poſſumus ad habendum in nobis Deum curâ dilectionis attrahamur. Hanc dilectionem nobis donat ipſe, qui ait*: SICUT DILEXI VOS, UT ET VOS DILIGATIS INVICEM. *Ad hoc ergo nos*

f *Aug. in Tract. 65. in Joan.*

nos dilexit, ut & nos diligamus invicem, hoc nobis conferens diligendo nos, ut mutuâ dilectione conſtringamur inter nos, & tam dulci vinculo connexis membris corpus tanti capitis ſimus. IN HOC COGNOSCENT, inquit, OMNES, QUIA MEI DISCIPULI ESTIS, SI DILECTIONEM HABUERITIS AD INVICEM. *Tanquam diceret: Alia munera mea habent vobiſcum etiam non mei, non ſolùm naturam, vitam, ſenſum, rationem, & eam ſalutem, quæ hominibus pecoribuſque communis eſt, verùm etiam linguas, ſacramenta, prophetiam, ſcientiam, fidem, diſtributionem rerum ſuarum pauperibus, & traditionem corporis ſui, ut ardeant: ſed quoniam charitatem non habent, ut cymbala concrepant, nihil ſunt, nihil illis prodeſt. Non ergo in illis quamvis bonis muneribus meis, quæ habere poſſunt etiam non diſcipuli mei; ſed* IN HOC COGNOSCENT OMNES, QUIA MEI DISCIPULI ESTIS, SI DILECTIONEM HABUERITIS AD INVICEM.

Quid docemur his Auguſtini verbis, niſi quòd nemo ſanctè & ſpiritaliter diligat proximum, qui in eo non diligat Deum, gaudens quòd in ipſo ſit, vel annitens ut in ipſo ſit? Niſi, quòd diſcipuli Chriſti ex hoc amore, quo in ſe invicem Deum diligunt, conantes invicem ad Deum adducere, ut ipſe ſit omnia in omnibus, ejus cognoſcantur eſſe diſcipuli? Niſi quòd nota, ex quâ diſcipuli Chriſti ab illis, qui ejus non ſunt, diſcernuntur, non ſit in dotibus naturæ, non etiam in fide, non in prophetiâ, non in ſacramentis, non in diſtributione facultatum, non in traditione corporis ad flammas; ſed ſit in ſolâ charitate?

§. 3. Auguſtinus alibi referens hæc verba Chriſti: *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos;* hanc proponit quæſtionem ac difficultatem, cur illud ſuum vocet præceptum: [g] *Numquidnam ſolum ejus de iſtâ dilectione mandatum eſt, quâ diligimus invicem? Nonne eſt & aliud majus, ut diligamus Deum? Aut verò de ſolâ Deus nobis dilectione mandavit, ut alia non requiramus? Tria certe commendat Apoſtolus, dicens;* MANENT AUTEM FIDES, SPES, CHA-

g *Tract.* 83. *in Joan.*

CHARITAS, TRIA HÆC; MAJOR AUTEM HORUM CHARITAS. *Et ſi in charitate, hoc eſt, in dilectione concluduntur duo illa præcepta, major tamen dicta eſt eſſe, non ſola. De fide igitur nobis quàm multa mandata ſunt, quam multa de ſpe, quis poteſt cuncta colligere, quis enumerando ſufficere?* Hâc propoſitâ difficultate, & motâ quæſtione, ita eam reſolvit, ut clarè hæc quatuor doceat; primum, veram proximi dilectionem non eſſe, quæ eadem non ſit amor Dei; ſecundum, nihil ad ſalutem prodeſſe nequidem maxima dona, ſi charitate deſtituantur; tertium, nihil ad ſalutem deeſſe, ubi charitas reperitur; quartum, eos, qui ſe invicem propter Deum diligunt, facere quicquid Deus præcipit, hoc præcepto cætera præcepta comprehendente. Audiamus Auguſtinum. *Fruſtra quidem*, inquit, *ſed tamen poteſt ſperare veniam, qui non diligit: nemo autem poteſt deſperare, qui diligit. Itaque ubi dilectio eſt, ibi neceſſariò fides & ſpes: & ubi dilèctio proximi, ibi neceſſariò etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit eum, quomodo diligit proximum ſicut ſe ipſum, quandoquidem non diligit & ſe ipſum? Eſt quippe impius & iniquus.* QUI AUTEM DILIGIT INIQUITATEM, *non planè diligit*, SED ODIT ANIMAM SUAM. *Hoc ergo præceptum Domini teneamus, ut nos invicem diligamus: & quicquid aliud præcepit, faciemus: quoniam quicquid eſt aliud, hîc habemus. Diſcernitur quippe iſta dilectio ab illâ dilectione, quâ ſe invicem diligunt homines ſicuti homines: nam, ut diſcerneretur, adjunctum eſt*, SICUT DILEXI VOS. *Ut quid enim diligit nos Chriſtus, niſi ut regnare poſſimus cum Chriſto? Ad hoc ergo & nos invicem diligamus, ut dilectionem noſtram diſcernamus a cæteris, qui non ad hoc ſe invicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem ſe propter habendum Deum diligunt, ipſi ſe diligunt: ergo ut ſe diligant, Deum diligunt. Non eſt hæc dilectio in omnibus hominibus: pauci ſe propterea diligunt, ut ſit* DEUS OMNIA IN OMNIBUS.

Patet itaque, ſine amore Dei, neque timorem gehennæ, neque ſacramenta ei conjuncta ad ſalutem ſufficere, ſiquidem nihil iſtorum prodeſt ad ſalutem ſine amore fraterno, qui ab amore Dei ſeparari nullatenus poteſt: quia in proximo non

diligit niſi Deum, ſicuti verus amor, quo noſmetipſos diligimus, non eſt niſi amor, quo Deum tanquam bonum noſtrum cupimus & veneramur.

§. 4. Ex his, quæ diximus, elucet quoque error eorum, qui dicunt Apoſtolum loqui de charitate habituali. Etenim, ſi per charitatem habitualem intelligant, occultam, quæ inſtar coloris ornat, & non adjuvat, præbens decus, quod oculos oblectat, non adferens virtutem, quæ ad agendum movet & incitat; mentem Apoſtoli non attingunt. Loquitur ille de amore, quo nos invicem diligere juſſi ſumus, ſicuti Chriſtus dilexit nos. Dilexit autem ille nos, non amore, qui inſtar coloris non incitat ad operandum, ſed amore, qui inſtar flammæ concitatiſſimæ ipſum indeſinenter incitabat, ut orando, prædicando, miracula perpetrando, patiendo, & reſurgendo noſtram operaretur ſalutem. Loquitur ergo de amore, qui nos reddens imitatores Chriſti, reddit ſollicitos, ut proximus noſter Deo vivat, Deoquè perfruatur, ut in viâ ſalutis nulla ei impedimenta ponamus, ut quæcumque beneficia & auxilia à nobis proficiſci poſſunt, ei benignè præbeamus, quò feliciùs ad Deum valeat pervenire. Ex tali amore diſcipuli Chriſti dignoſcuntur & diſcernuntur à diſcipulis Philoſophorum & ſapientium hujus mundi, qui ſe invicem diligentes, non alia ſibi invicem bona procurant, quàm caduca, quàm viſibilia, quàm tranſeuntia. Neque enim ex inviſibili & inerti qualitate diſcernuntur diſcipuli Chriſti, ſed cognoſcuntur, & diſcernuntur ex illo amore, quo ſe invicem ad mundi contemptum, ad fugam voluptatum, ad renunciationem opum, ad faſtidium dignitatum excitantes æterna ſibi invicem bona ſtudent procurare; memores quòd Chriſtus iſtâ ratione ſuos dilexit ac diligat.

§. 5. Ut autem luce meridianâ clariùs appareat, Apoſtolum non loqui de habitu inerti, ſive dilectionis fraternæ, ſive etiam amoris Dei, ſed eum loqui de amore ad actiones incitante; velim hîc duo animadverti: primum, quòd tribus primis capitis decimi tertii verſibus nos revocet ab aſpectu eorum, quæ foris in operibus noſtris fulgent, ad conſcientiam noſtram, ut ex quo fonte ac radice illa dimanent, ibi diſcernamus,

mus, eaquè æſtimemus, non pro apparenti illorum ſpecie, quam homines intuentur, ſed pro dignitate radicis, quam nemo hominum præter nos ipſos intueri poteſt. Fuit hoc ab Auguſtino animadverſum, dum ita loquitur: [h] *Paſcit miſericordia, paſcit & ſuperbia. Hoſpitem ſuſcipit miſericordia, hoſpitem ſuſcipit & ſuperbia. Intercedit pro paupere miſericordia, intercedit & ſuperbia. Quid eſt hoc? In operibus non diſcernimus. Audeo aliquid dicere, ſed non ego. Paulus dixit. Moritur charitas, id eſt, homo habens charitatem, confitetur nomen Chriſti, ducit martyrium: confitetur & ſuperbia, ducit martyrium. Ille habet charitatem, ille non habet charitatem. Sed audiat ab Apoſtolo ille, qui non habet charitatem;* SI DISTRIBUERO OMNIA MEA IN CIBOS PAUPERIBUS, ET SI TRADIDERO CORPUS MEUM UT ARDEAM, CHARITATEM AUTEM NON HABUERO, NIHIL MIHI PRODEST. *Ergo ſcriptura divina intrò nos revocat à jactatione hujus faciei forinſecùs, & ab iſtâ ſuperficie, quæ jactatur ante homines, revocat nos intrò. Redi ad conſcientiam tuam, ipſam interroga. Noli attendere quod floret foris: ſed quæ radix eſt interna. Radicata eſt cupiditas: ſpecies poteſt eſſe bonorum factorum, verè opera bona eſſe non poſſunt. Radicata eſt charitas: ſecurus eſto; nihil mali procedere poteſt.*

Alterum quod animadvertere oportet, in eo poſitum, quòd poſt verſum tertium Apoſtolus totus ſit in commendatione bonorum operum, quæ charitas producit. Ne quis enim putaret, dum eum audit dicentem, *ſi linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens; & ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum; & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*; ne quis, inquam, dum audit Apoſtolum parvi facere præſtantiſſima opera, dum ſine charitate fiunt, ſibi perſua-

h *Aug. tract. 8. in Joan. epiſt. 1.*

ſuaderet, de operibus ſatagendum non eſſe, aut charitatem cum malis operibus eſſe poſſe, aut ſine operibus ſæpè reperiri; propterea, ne ullum iſti impiæ perſuaſioni locum relinqueret, primò ab eâ mala opera removet, dicens; *Charitas patiens eſt, benigna eſt; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate.* Deinde ei bona opera tribuit, dicens: *Congaudet autem veritati; omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Tanta opera charitati tribuit, ne quis ſibi perſuadeat, eam eſſe in animabus, ſicuti colores ſunt in corporibus, quæ nec animant, nec incitant ad opera, ſed illuſtrant ad pulchritudinem. Nonnè ridiculus foret, qui de crinibus, in quibus nulla incitatio, nullus impetus, nulla energia, ut hominem ad operationem concitarent, diceret, crines arant, ſeminant, occant, rigant, metunt, manipulos ligant, meſſem colligunt, grana purgant, omniaquè faciunt, quæ neceſſaria ſunt, ut ex farinâ panis fiat? Ita pariter ridiculus loquendi modus affingitur Apoſtolo, quando aſſeritur, quòd ipſe de habitu, qui tantùm inſtar coloris, aut veſtis ornat, & qui inſtar crinis nullum ad agendum præbet incitamentum, diceret, *congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Loquitur igitur Apoſtolus de actuosâ charitate, quam ipſe vocat [i] *legis plenitudinem*; quia ipſa incitat, movetque voluntatem, ne velit facere quod lex vetat, & deſideret facere, quod lex jubet. Hanc charitatem, quæ à malo avertit, & ad bonum voluntatem incitat „& convertit, deſcribit Auguſtinus, dum ait: Numquid „charitas permittit aliquid mali te facere ei quem diligis? Sed „fortè tantummodò mali nihil facis, non etiam aliquid boni. „Ergo nec charitas permittit te non præſtare quicquid potes „ei, quem diligis. Nonne illa eſt charitas, quæ orat etiam „pro inimicis? Ergo deſerit amicum, qui benè optat inimi„co? Itaque ſi fide ſine dilectione ſit, ſine opere erit. Ne au„tem multa cogites de opere fidei, adde illi ſpem & dilectio„nem, & noli cogitare quid opereris. Ipſa dilectio vacare non „po-

i *Rom.* 13. 10. k *Aug. præfat. in pſal.* 31.

„ poteſt. Quid enim de quoquam homine etiam malè opera-
„ tur, niſi amor. Da mihi vacantem amorem, & nihil ope-
„ rantem. Flagitia, adulteria, facinora, homicidia, luxurias
„ omnes, nonnè amor operatur? Purga ergo amorem tuum;
„ aquam fluentem in cloacam converte ad hortum. Quales
„ impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mun-
„ di. Non vobis dicitur, nihil ametis. Abſit. Pigri, mortui,
„ deteſtandi, miſeri eritis, ſi nihil ametis. Amate, ſed quid
„ ametis videte. Amor Dei, amor proximi, charitas dicitur.
„ Amor mundi, amor hujus ſæculi, cupiditas dicitur. Cu-
„ piditas refrænetur, charitas excitetur. Alio loco idem ſan-
ctus, dum naturam amoris deſcribit, eam deſcribit tanquam
incitantem, tanquam inflammantem, & tanquam perpetuò
„ moventem.[1] Sicut amor immundus, inquit, inflammat ani-
„ mam, & ad terrena concupiſcenda, & peritura ſectanda
„ vocat, & in ima præcipitat, atque in profunda demergit:
„ ſic amor ſanctus ad ſuperna elevat, & ad æterna inflammat,
„ & ad ea, quæ non tranſeunt, neque moriuntur, excitat ani-
„ mam, & de profundo inferni levat ad cœlum. Habet ta-
„ men omnis amor vim ſuam, nec poteſt vacare amor in ani-
„ mâ amantis: neceſſe eſt ut ducat. Sed vis noſſe qualis amor
„ ſit? Vide quò ducat. Non enim monemus ut nil ametis,
„ ſed monemus ne mundum ametis: ut eum, qui fecit mun-
„ dum, liberè ametis. Obligata enim anima amore terreno,
„ quaſi viſcum habet in pennis, volare non poteſt. Mundata
„ verò ab affectibus ſordidiſſimis ſæculi, tanquam extenſis
„ pennis, & duabus alis reſolutis ab omni impedimento, id
„ eſt, duobus præceptis dilectionis Dei & proximi volat.
„ Quò, niſi ad Deum aſcendens volando, quia aſcendit a-
„ mando? Quod antequam poſſit, gemit in terrâ, ſi jam
„ ineſt ei volandi deſiderium; & dicit: *Quis dabit mihi pen-
„ nas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.* Quò autem
„ volabit? De mediis ſcandalis, ubi gemebat etiam iſte, cu-
„ jus hæc vox eſt, quam commemoravi. De mediis ergo
„ ſcandalis, à commixtione malorum hominum, à paleis, qui-
„ bus grana commixta ſunt, volare vult, ubi non patiatur con-
„ jun-

1 *Præfat. in pſal.* 121.

„ junctionem & ſocietatem iniqui alicujus: ſed vivat in ſan-
„ ctâ ſocietate Angelorum, civium in æternâ Hieruſalem.

Alibi deſcribit Auguſtinus amorem ſui & amorem Dei, utrique ſuas actiones aſſignat; illi ædificare Babylonem, huic cœleſtem Hieruſalem; illi gloriari in ſe ipſo, huic gloriari in Domino; illi ſe ipſam exaltare, huic Deum ſuum exaltare; illi coæqualibus dominari, huic liberis affectibus proximo ſer-
„ vire. [m] Fecerunt, inquit, civitates duas, amores duo: ter-
„ renam ſcilicet amor ſui uſque ad contemptum Dei, cœ-
„ leſtem verò amor Dei uſque ad contemptum ſui. Denique
„ illa in ſe ipsâ, hæc in Domino gloriatur: illa enim quærit
„ ab hominibus gloriam, huic autem Deus conſcientiæ teſtis
„ maxima eſt gloria: illa in gloriâ ſuâ exaltat caput ſuum,
„ hæc dicit Deo ſuo, *gloria mea, & exaltans caput meum*:
„ illa in principibus ejus, vel in eis, quas ſubjugat nationibus
„ dominandi libidine dominatur; in hâc ſerviunt invicem in
„ charitate, & præpoſiti conſulendo, & ſubditi obtemperan-
„ do: illa in ſuis potentibus diligit virtutem ſuam, hæc dicit
„ Deo ſuo, *diligam te Domine, virtus mea.*

Et ut magis pateat quàm actuoſa ſit natura utriuſque amoris, quorum ille Babylonem, iſte Hieruſalem extruit, pro-
„ derit adhuc audire Auguſtinum, dum dicit: [n] Hi duo amo-
„ res, quorum alter ſanctus eſt, alter immundus; alter ſo-
„ cialis, alter privatus; alter communi utilitati conſulens pro-
„ pter ſupernam ſocietatem, alter etiam rem communem in
„ poteſtatem propriam redigens propter arrogantem domi-
„ nationem; alter ſubditus, alter æmulus Deo; alter tran-
„ quillus, alter turbulentus; alter pacificus, alter ſeditioſus;
„ alter veritatem laudibus errantium præferens, alter quo-
„ quo modo laudis avidus; alter amicabilis, alter invidus; al-
„ ter hoc volens proximo quod ſibi, alter ſubjicere volens
„ proximum ſibi; alter propter proximi utilitatem regens
„ proximum, alter propter ſuam: præceſſerunt in Angelis,
„ alter in bonis, alter in malis; & diſtinxerunt conditas in ge-
„ nere humano civitates duas, ſub admirabili & ineffabili
„ providentiâ Dei, cuncta, quæ creata ſunt adminiſtrantis
„ & or-

m *Aug. lib.* 14. *de Civit. c.* 28. n *Aug. l.* 11. *de Geneſ. ad litter. c.* 15.

„ & ordinantis, alteram juſtorum, alteram iniquorum,
„ quarum etiam quâdam temporali commixtione peragitur
„ ſæculum, donec ultimo judicio ſeparentur, & altera con-
„ juncta Angelis bonis in Rege ſuo vitam conſequatur æter-
„ nam, altera conjuncta Angelis malis, in ignem cum Rege
„ ſuo mittatur æternum. Ubi hîc ſegnis ille habitus? Ubi iners qualitas? Ubi charitas motu & actione carens? Nulla apud Apoſtolum, nulla apud Patres ejus veſtigia. Sit ergo certum ſine actuosâ charitate timorem & ſacramenta ei conjuncta ad juſtitiam non ſufficere; eoſque qui ſine operante charitate ſunt, tametſi ſacramenta ſumant, & ſpiritu timoris agantur, coram Deo nihil eſſe; nec inter cives cœleſtis Hieruſalem, ſed inter miſerrimos Babylonis cives reputandos.

CAPUT IV.

1. Anima vivit de Deo, eique inhærendo fit juſta & beata. 2. Anima amando inhæret Deo, & amando creaturas ab eo ſeparatur & moritur. 3. per Chriſtum animæ & corporis reſurrectio. Anima reſuſcitatur dum ei charitas inſpiratur. 4. proximus diligendus aut quia juſtus eſt, aut ut juſtus ſit. 5. charitas ut animam vivificet, oportet ut ſit actuoſa.

§. 1. AD probandum neminem, qui rationis ſit compos, à morte peccati ad vitam juſtitiæ revocari, niſi à charitate vitam mutuetur, meritò adhibentur hæc verba Joannis: [o] *Qui non diligit, manet in morte.* Quod ut pateat luculentiùs, & contra nonnullorum argutationes reddatur invictum, hocce capite exponemus, primò quòd Deus ſit animæ vita. Secundò, quod ſeparata ab illo mortua meritò dicatur. Tertiò, quòd reſuſcitetur, dum ei charitas inſpiratur. Quartò, quòd is, qui ſentit ſe diligere fratres ſuos, meritò confidat ſe de morte ad vitam eſſe tranſlatum. Variæ ſunt viventes naturæ: aliæ in ſe ipſis vita ſunt, aliæ in ſe ipſis quidem

o 1 *Joan.* 3.

dem mortuæ ſunt, ab aliis tamen vivificantur. Corpora ex ſe ipſis non ſunt niſi materia expers omnis ſenſus motuſque vitalis, ſi tamen animæ uniantur, ab eâ vivificantur. Animæ rationales, ut de aliis taceam, in ſe ipſis vitam habent, quia ſunt naturæ cogitantes atque amantes, quarum eſſe eſt vivere. Verùm licet animæ rationales in ſe ipſis vitam habeant, aliter „tamen, quàm Deus, vivunt. [p] Vivit Deus, inquit Augu-„ſtinus, vivit & anima: ſed vita Dei immutabilis eſt, vita a-„nimæ mutabilis eſt. Deus nec proficit, nec deficit; ſed eſt „ipſe ſemper in ſe, eſt ità ut eſt; non aliter nunc, aliter po-„ſtea, aliter antea. Animæ verò vita valdè aliter atque aliter: „vivebat ſtulta, vivit ſapiens; vivebat iniqua, vivit juſta; „nunc meminit, nunc obliviſcitur; nunc diſcit, nunc di-„ſcere non poteſt; nunc perdit quod didicerat, nunc perci-„pit quod amiſerat. Mutabilis vita animæ. Vita verò Dei „immutabilis, & ideo ſolus dicitur eſſe immortalis. [q] Nam u-„bi invenis aliter & aliter, facta eſt ibi quædam mors: mors „enim eſt non eſſe, quod fuit. Immortalis dicitur anima: „eſt quidem, quia vivit ſemper anima, eſt in illâ quædam vi-„ta permanens, ſed mutabilis vita. Secundum mutabilita-„tem vitæ hujus, & mortalis dici poteſt; quia ſi vivebat ſa-„pienter, & deſipit, mortua eſt in deterius: ſi vivebat inſi-„pienter, & ſapit, mortua eſt in melius. Nam eſſe mortem „in deterius, eſſe mortem in melius ſcriptura nos docet. U-„tique in deterius mortui erant, de quibus dicitur: [r] *Sine „autem mortui ſepeliant mortuos ſuos*: &, *ſurge qui dormis, „& exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*. Et de hac „lectione, [s] *quando mortui audient, & qui audierint vivent*. „In deterius mortui erant, ideo reviviſcunt. Reviviſcendo „moriuntur in melius, quia & reviviſcendo non erunt quod „erant. Non eſſe autem quod erant, mors eſt. Sed fortè, „ſi in melius eſt, non appellatur mors. Appellavit illam mor-„tem Apoſtolus. [t] *Si autem mortui eſtis cum Chriſto ab ele-„mentis hujus mundi, quid adhuc velut viventes de hoc mun-„do decernitis?* Et iterùm: [u] *Mortui enim eſtis, & vita „ve-*

p *Aug. tract.* 19. *in cap.* 5. *Joan.* q *Aug. tract.* 23. *in cap.* 5. *Joan.* r *Matth.* 8. *Epheſ.* 5. s *Joan. c.* 5. t *Coloſ.* 2. u *Coloſ.* 3.

„ *veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Mori nos vult, ut „ vivamus, quia viximus ut moreremur. Quicquid ergo & „ à meliore in deterius, & à deteriore in melius moritur, non „ eſt hoc Deus: quia neque in melius poteſt ire ſumma bo- „ nitas, neque in deterius vera æternitas.

Quia autem vita quæ eſt immutabiliter ſapiens, juſta, bona & beata, melior eſt, quàm natura, quæ nunc ſapiens, nunc inſipiens, nunc juſta, nunc iniqua, nunc bona, nunc mala, nunc beata nunc miſera eſt; hinc illa hanc poteſt vivificare, quia hanc poteſt ſuâ ſapientiâ, ſuâ juſtitiâ, ſuâque bonitate „ perfundere. [x] Cùm, inquit Auguſtinus, vivit anima in „ iniquitate, mors ejus eſt: cùm fit juſta, fit particeps alte- „ rius vitæ, quæ non eſt ipſa: erigendo ſe quippe ad Deum „ & inhærendo Deo, ex illo juſtificatur. Dictum eſt enim, „ [y] *credenti in eum, qui juſtificat impium, deputatur fides ejus* „ *ad juſtitiam.* Deficiendo ab illo fit iniqua, proficiendo ad „ illum fit juſta. Nonne videtur tibi quaſi aliquid frigidum „ igni admotum ferveſcere, remotum ab igne torpeſcere? „ Nonne videtur tibi quiddam tenebroſum admotum luci „ clareſcere, remotum à luce nigreſcere? Tale quiddam eſt „ anima, non tale aliquid Deus. Deus enim quod eſt, ſemper eſt, quia incommutabiliter eſt.

Eandem doctrinam paulò poſt laudata verba iterùm inculcat, & illuſtrat Auguſtinus, de animâ ità loquens: [z] Cùm „ verò ſe erigit ad aliquid quod ipſa non eſt, & quod ſupra „ ipſam eſt, & à quo ipſa eſt, percipit ſapientiam, juſtitiam, „ pietatem; ſine quibus cùm eſſet, mortua erat, nec vitam „ habebat, quâ ipſa viveret, ſed quâ corpus vivificaret. Aliud „ eſt enim anima, undè corpus vivificatur, aliud unde ipſa „ vivificatur. Melius quippe eſt quàm corpus: ſed melius „ quàm ipſa eſt Deus. Eſt ergo ipſa, etiam ſi ſit inſipiens, „ injuſta, impia, vita corporis. Quia verò vita ejus eſt Deus, „ quomodo, cùm ipſa eſt in corpore, præſtat illi vitam, vi- „ gorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum: ſic „ cùm vita ejus Deus in ipſâ eſt, præſtat illi ſapientiam, pie- „ tatem, juſtitiam, charitatem. Aliud eſt ergo quod præ- „ ſta-

x *Tract.* 19. *in Joan.* y *Rom.* 4. z *Aug. ibid.*

„ ſtatur corpori de animâ, aliud quod præſtatur animæ de
„ Deo. Vivificat & vivificatur: mortua vivificat, ſi ipſa
„ non vivificatur. Sicut autem hîc tradit, animam non poſſe eſſe juſtam, ſapientem & piam, niſi Deo, qui eſt æterna, ſapientia, & pietas, adhæreſcat; ità alibi ait; eam non poſſe eſſe beatam, niſi Dei, qui ſolus eſt beatitudo ejus,
„ particeps efficiatur; [a] ut quomodo anima, quæ inferior
„ Deo eſt, id quod ipsâ inferius eſt, hoc eſt corpus, facit
„ vivere; ſic eandem animam non facit beatè vivere, niſi
„ quod ipsâ animâ eſt ſuperius. Superior enim anima, quàm
„ corpus, & ſuperior quàm anima Deus; anima ut præſtet
„ aliquid inferiori, præſtatur illi à ſuperiore, ſerviat Domi-
„ no ſuo, ne conculcetur à ſervo ſuo. Hæc eſt, fratres
„ mei, Religio Chriſtiana, quæ prædicatur per totum
„ mundum, horrentibus inimicis, & ubi vincuntur, mur-
„ murantibus, ubi prævalent, ſævientibus. Hæc eſt reli-
„ gio Chriſtiana, ut colatur unus Deus, non multi Dii:
„ quia non facit animam beatam, niſi unus Deus. Parti-
„ cipatione Dei fit beata. Non participatione ſanctæ animæ
„ fit beata infirma anima, nec participatione Angeli fit bea-
„ ta ſancta anima: ſed ſi quærit beata eſſe infirma anima,
„ quærat unde beata ſit ſancta anima. Non enim beatus ef-
„ ficeris ex Angelo tu, ſed unde Angelus, inde & tu.

§. 2. Porrò ut de Deo vivat anima, eum ut amet neceſſe eſt; nam niſi eum amet, ab eo ſeparata eſt, ut de illo vivere non poſſit; neque enim locis, ſed affectibus illi jungitur, aut ab illo ſeparatur. Jungitur illi, ſi diligat illum, ſeparatur ab illo, ſi illum non diligat. Ipſa charitas eſt gluten, quo anima Deo adhæreſcit. Quia Regius Propheta Deo per illam adhærebat, propterea Deo ait: AGGLUTINATA EST ANIMA MEA POST TE. *Ubi eſt*, inquit Auguſtinus [b] *ipſum gluten? Ipſum gluten*, reſpondet, *charitas eſt*. Per illam ergo, ut de Deo vivat, ei anima agglutinatur; per illam, ut juſtitiæ, ſapientiæ, bonitatis ac beatitudinis ejus fiat particeps, ei connectitur; moritura ſimul ac rebus creatis adhærere ac frui volet. Nam,

a *Aug. tract.* 23. *in cap.* 5. *Joan.* b *Aug. in pſal.* 62.

Nam, ut idem Auguſtinus ait, *terrenis adhærere mors animæ eſt.* Illis enim adhærens fit minor, quia à lumine ad tenebras, à juſtitiâ ad iniquitatem, à decore ad turpitudinem & à beatitudine ad miſeriam deficit. Et hic ejus defectus, mors ejus. Nam mors vitæ ſive animæ, non eſt niſi *nequitia, quæ ab eo, quod nequicquam ſit, dicta eſt, & ideo nequiſſimi homines, nihili homines appellantur.* [d] *Vita ergo*, ſive anima rationalis, *voluntario defectu deficiens, ab eo, qui eam fecit, & cujus eſſentiâ fruebatur, & volens contra Dei legem frui corporibus, quibus Deus eam præfecit, vergit ad nihilum, & hæc eſt nequitia*, ſive mors animæ. *Hoc autem pacto vita*, ſive anima *carnalis* & terrena efficitur. Hæc Auguſtinus, ut doceat mortem animæ non eſſe niſi voluntarium defectum, ſive amorem, quo Deum deſerens rebus ab eo conditis adhæreſcit, quas cùm retinere non poſſit, earum amiſſione torquetur, ut non ſit dedecus peccati ſine decore vindictæ.

§. 3. Ne autem in hâc morte homines remanerent, Filius Dei factus eſt homo, ut ſine morte animæ, id eſt, ſine culpâ patiens mortem corporis, hominem ab animæ & corporis morte liberaret; & ideo cùm ſit mors pœna peccati, mors illius facta eſt hoſtia pro peccato. Per unum hominem mors, & per unum hominem reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur; priùs quidem in animâ, deinde in corpore. Hoc docet nos Evangelium, hoc prædicat Eccleſia, ut meritò dicat Auguſtinus: [e] *Tota prædicatio diſpenſatioque per Chriſtum hæc eſt, fratres, & alia non eſt; ut reſurgant animæ, & reſurgant corpora. Utrumque quippe mortuum erat, corpus ex infirmitate, anima ex iniquitate.... Quid utrumque? Anima & corpus. Per quid ergo anima niſi per Deum Chriſtum? Per quid corpus niſi per hominem eundem Chriſtum?* Unde Auguſtinus exhortans ut utramque hanc reſurrectionem à Chriſto quæramus: [f] *Reſurgat*, inquit, *anima tua ab iniquitate per id,* quod

c *Aug. in pſal.* 118. *Conc.* 10. d *Aug. lib. de verâ Relig. c.* 11.
e *Tract.* 23. *in cap.* 5. *Joan.* f *Aug. ibid.*

quod Deus eſt: reſurgat corpus tuum à corruptione per id, quod homo eſt.

Quod verò animarum reſurrectionem attinet, de quâ hîc præcipuè agimus, tranſeunt illæ de morte ad vitam, quando tranſeunt à morte infidelitatis ad vitam fidei, à morte falſitatis ad vitam veritatis; à morte iniquitatis ad vitam juſtitiæ, hoc eſt, quando tranſeunt ab amore creaturæ ad amorem Creatoris. Ex hâc conjunctione cum Deo ſuo animæ vivificantur. *Quomodo corpus tuum*, inquit Auguſtinus[g], *ſine ſpiritu, quod eſt anima tua, ſi fuerit, mortuum eſt: ſic anima tua ſine Spiritu ſancto, id eſt, ſine charitate ſi fuerit, mortua deputabitur.* Dum Chriſtus Spiritum ſuum, ſive charitatem per Spiritum ſuum diffundit in cordibus noſtris, tunc animas vitæ, à quâ defecerant, clementer reſtituit. Hanc niſi donet, quæcumque donet, animæ non reviviſcunt. *Qui non diligit*, inquit Joannes, *manet in morte.* mortem animæ dicit.

§. 4. Hanc mortem non auferunt nec fides, nec ſpes, nec ſacramenta, ſi charitas non accedat. [h] *Baptiſmatis & fidei myſterium*, adde ſacramentum pœnitentiæ, *illis*, inquit venerabilis Beda, *ſolummodò prodeſt, illos de morte trahit ad vitam, qui ſincerâ mente diligunt fratres.* Fratres autem ſincerâ mente nemo diligit, qui Deum non diligit: nam qui ſanctè & ſpiritaliter diligit proximos, eos „amat, aut quia juſti ſunt, aut ut juſti fiant. [i] Sic enim „& ſe ipſum amare debet, aut quia juſtus eſt, aut juſtus „ut ſit. Sic enim diligit proximum tanquam ſe ipſum, „ſine ullo periculo. Qui enim aliter ſe diligit, injuſtè ſe „diligit, quoniam ad hoc ſe diligit, ut ſit injuſtus, ad „hoc ergo ut ſit malus, ac per hoc jam non ſe diligit; *qui* „enim *diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Nemo autem proximos, aut quia juſti ſunt, aut ut juſti ſint, diligere poteſt, niſi quoque Deum tanquam fontem omnis juſtitiæ diligat. Nam quemadmodum nemo alterum diligere poteſt, aut quia muſicus eſt, aut ut muſicus ſit, niſi

g *Aug. tract. 9. in Joan.* h *In Epiſt. 1. Joan. c. 3.* i *Aug. apud Bedam in cap. 13. ad Rom.*

ſi muſicam præcipuè diligat: ita impoſſibile eſt, ut quiſpiam ametur, vel quia juſtus eſt, vel ut ſit juſtus, niſi æterna juſtitia, quæ Deus eſt, præcipuè diligatur. Qui itaque ſcit ſe diligere proximum eâ, quâ oportet, dilectione, is ſine jactantiâ gloriari poteſt, quòd ſciat, ſe de morte ad vitam eſſe tranſlatum, iis, qui non diligunt, in in morte manentibus, tametſi omnibus ſacramentis, aliiſque omnibus donis fuerint inſtructi. Nam *qui non diligit manet in morte*.

§. 5. Non poteſt eſſe dubium, quin ſanctus Joannes loquatur de charitate actuosâ, quando ait, *Qui non diligit manet in morte*: nam loquitur de dilectione, quâ proximus diligitur *non verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate*, nempe eleemoſynarum largitione, hoſpitalitate, aliiſque beneficientiæ ac dilectionis officiis. Ait ergo illos manere in morte, qui de proximi ſalute non ſatagunt, qui ei non conſulunt, & qui ei in neceſſitatibus ejus, dum poſſunt, non ſuccurrunt, hoc eſt, qui operatrice charitate deſtituti ſunt. Nemo ergo ex ſacramentis, quæ ſine dilectione Dei accipiuntur, juſtus, aut credatur, aut pronuncietur. Nam, ſicuti ait Joannes, [k] *in hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non eſt juſtus* nocendo nemini, & cui poteſt benefaciendo, *non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.* Dilectio ergo ſola, concludit venerabilis Beda, diſcernit inter filios Dei & filios diaboli. Qui habent charitatem nati ſunt ex Deo: qui non habent, non ſunt nati ex Deo. Quicquid vis habe, hoc ſolùm non habeas, nihil tibi prodeſt. Alia ſi non habeas, hoc habe, & impleſti legem. Qui enim diligit proximum, legem implevit, & plenitudo legis eſt charitas: quia ſacramentorum aliarumque exteriorum rerum abſentiam, dum ea opere exercere, aut re-ipsâ habere non poteſt, affectibus, deſideriis ac votis ſupplet; atque ita eſt legis plenitudo. Sacramenta verò, quatenus ſunt res externæ, atque inanimatæ, nihil cupiunt, nihil deſiderant. Undè nemo auderet dicere, qui accipit ſacramenta, le-

k 1 *Joan.* 3.

gem implevit, & plenitudo legis ſunt ſacramenta; ita ut in ſolam charitatem hæc laus poſſit conferri.

CAPUT V.

1. Converſis datur remiſſio peccatorum, remanentibus in peccato non datur. 2. requiritur non ſolùm ut corpus à malis operibus, ſed etiam poſtulatur ut cor à malis affectibus convertatur. 3. convertitur cor amore, non ſolo timore; 4. nec quovis, ſed amore prædominante. 5. dicitur homo Deum ex toto corde diligere, quando ipſum ſuper omnia diligens adhuc ferventiùs eum diligere deſiderat. 6. Nullus Deum ſuper omnia diligens crimina committit, uti ſibi perſuadent Calvino-reformati.

§. 1. EST dogma ab omnibus Catholicis receptum, [l] *quòd peccatorum remiſſionem ſola de Deo poſſit elicere cordis vera converſio.* Teſtatur illud ſcriptura, dum remiſſionem non aliis, quàm converſis, pollicetur. *Si converſus fueris & ingemueris*, inquit apud Iſaiam Deus, „*ſalvus eris.* In hoc teſtimonio conditionali, (loquor „cum Fulgentio [m]) Deus & præcepto utitur & promiſſo. „Dicens quippe, ſi converſus fueris & ingemueris, ſal„vus eris, oſtendit ex converſionis conditione promiſſio„nem ſalutis omninò pendere. Hæc eſt igitur inter Deum „hominemquè conditio, id eſt, inter præcipientem Do„minum ſervumquè poſcentem, inter judicem, qui ſine „juſtitiâ miſericordiam prærogat, & peccatorem, qui „miſericordiam juſtè judicantis expectat. Dicit igitur iſte „Dominus miſericors & juſtus, ſeverus & pius. Si hoc fe„ceris, hoc habebis. Ego tibi præcipio converſionem, „tu poſcis à me ſalutem. Si parueris præcepto, potieris „beneficio. Si juſſa fieri videam, poſtulata concedam. *Si*

„con-

l *Fulg. l. 1. de remiſſ. peccat. c. 6.* m *Ibid. c. 11.*

„*converſus fueris & ingemueris, ſalvus eris.* Cùm dici-
„tur igitur pecatori beneficium ſalutis accipere cupienti,
„quia ſi converſus fuerit & ingemuerit, ſalvus erit; con-
„ſequenter intelligitur, quia etiamſi ingemuerit, tamen
„converſus non fuerit, ſalvus non erit. Non enim fru-
„ſtrà utrumque divinus ſermo complexus eſt, niſi ut hæc
„duo, id eſt, converſionem & gemitum neceſſaria co-
„gnoſceremus ad conſequendum ſalutis effectum.

Ex Iſaiæ verbis patet ad indulgentiam conſequendam & orantis gemitum, & pœnitentis converſionem deſiderari. Deſideratur gemitus orantis, quia fixa eſt in Evangelio hæc regula, ut gratia non niſi orantibus detur. *Petite*, inquit Chriſtus, *& accipietis.* Non aliis quoque quàm petentibus ſua dona promiſit; [n] *Dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Unde etiam Jacobus Apoſtolus ait, eos qui divinis gratiæ muneribus carent, ideo illis deſtitutos eſſe, quia, ut ea peterent, operam non dederunt: *Non habetis*, inquit, *propter quod non poſtulatis.* Verùm non ſufficit gemitus o-
„rantis, niſi accedat converſio cordis. Nonnulli enim
„ſcelerum ſuorum conſideratione perterriti, pro iniqui-
„tatibus ſuis in oratione gemunt, nec tamen ab iniquâ o-
„peratione diſcedunt. Fatentur ſe malè feciſſe, nec ullum
„finem volunt malefactis ſuis imponere. Accuſant humi-
liter in conſpectu Dei peccata, quibus tenentur oppreſſi, & eadem peccata, quæ humilitate ſermonis accuſant, corde perverſo contumaciter cumulant. Indulgentiam, quam lacrymoſis gemitibus poſcunt, ipſi ſibi pravis operibus adimunt. Medelam poſtulant à medico, & in perniciem ſuam ſubrogant adjutorium morbo. Ac ſic inaniter verbis quærunt placare judicem, quem factis iniquis magis irritant ad furorem. Tales nunquam diluunt gemendo peccatum, quia non deſinunt peccare poſt gemitum. Pro criminibus namque gemunt, & poſt gemitum ad crimina redeunt. De talibus in libro Eccleſiaſtici ſcriptura divina ſic loquitur: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus? Sic homo qui je-*

n *Luc.* 11. 13.

junat pro peccatis ſuis, & iterùm eadem faciens, quid pro-
„*ficit humiliando ſe? Orationem ejus quis exaudiet?* Re-
„ctiſſimè igitur dicit Deus homini: *Si converſus fueris &*
„*ingemueris, ſalvus eris.* Apud Deum quippe ſeverum
„ & bonum tunc oratio gementis auditur, tunc poſcentis
„fletus attenditur, tunc flenti conceditur ſalus: ſi fuerit
„ad Deum contriti cordis humilitate converſus. Hujus rei ratio in eo collocata, quòd Deus ſimul ſit miſericors & juſtus. De illo canit Pſalmiſta: Miſericors Dominus & juſtus. Univerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas. Miſericordiam & veritatem diligit Dominus. De illó Moyſes ſcribit, quòd ſit multæ miſericordiæ & verax, ſive juſtus. De illo teſtatur Iſaias, quòd ſit juſtus & ſalvans. [o] Quia miſericors eſt, peccata dimittit, & ſicut novit à converſo ſubmovere ſupplicium, ſic in eo, qui converti noluerit, nullatenus ſinit inultum remanere peccatum: *Nam, ubi eſt*, quemadmodum ait Fulgentius, [p] *miſericordia juſtitiaque perfecta, nec favorem poteſt juſtus peccatis impendere, nec indulgentiam converſis miſericors abne-*
„*gare.* Ex hoc igitur, quòd juſtus & miſericors prædi-
„catur, facillimè cognoſcitur, nonniſi converſis remiſ-
„ſionem tribui peccatorum, nec niſi permanentibus in
„peccatis ſupplicium ſempiternæ damnationis inferri. [q] Et
„ideò, ut in eodem libro ait idem ſanctus, ſic Deus poſ-
„ſeſſionem regni ſui diſpoſuit, ut eam, quia juſtus eſt,
„impio & iniquo non donet: Quia verò miſericors eſt,
„omni veraciter converſo non deneget.

§. 2. Porrò converſio, quæ ad obtinendam peccatorum remiſſionem poſtulatur, non ſolummodò diſceſſum ab iniquis operibus, verùm etiam poſtulat ab iniquorum operum dilectione cordis receſſum; nec ſolùm requiritur, ut à fornicatione, ebrietate, furto, aliiſque criminibus membra corporis cohibeantur; ſed inſuper requiritur, ut iſtorum criminum cupidines cor deponat. Qui apud Iſaiam dicit, [r] *quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere*, ut converſionem ab iniquis operibus, impetrandæ veniæ ne-

o *Fulg. l. 1. de peccat. remiſ. c. 8.* p *Ibid. c. 11.* q *Ibid. c. 15.* r *Iſai. 1.*

neceſſariam oſtendat, apud eundem Prophetam ait: *Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis*, ut declaret ſine cordis converſione iniquitates minimè dimitti. Deus apud Ezechielem eam à peccatoribus converſionem exigit, quâ & ab iniquis operibus membra corporis quieſcunt, & ab iniquis affectibus cor recedit. *Convertimini*, inquit, [s] *& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* En converſionem ab iniquis operibus à Deo poſtulatam. *Projicite*, inquit deinde, *à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* En converſionem cordis peccatoribus ab illo imperatam.

In Joële Deus loquens converſionem cordis, ut peccantibus veniam tribuat, ante omnia poſtulat. [t] *Convertimini ad me, dicit Dominus, in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu & planctu.* Imperat converſionem cordis tanquam præcipuè deſideratam; imperat verò jejunium, fletum & planctum tanquam converſi cordis teſtes ac indices. Et, ut luculentiſſimè demonſtret, ſe converſionem corporis converſioni cordis poſthabere, proſequendo ait: *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum.*

Converſio itaque cordis, ut inter Deum & hominem amicitia redintegretur, ante omnia poſtulatur. Iſtud apud omnes in confeſſo eſt. Difficiliùs explicatur, quâ ratione cor ad Deum convertitur.

Non defuere qui exiſtimarunt, modò ſacramentum baptiſmi, vel pœnitentiæ accedat, cor ad Deum converti per ceſſantes ac dormientes habitus, ſicuti per ejuſmodi habitus, juxta ſententiam iſtorum theologorum, infantes in ſacramento baptiſmi ad Deum convertuntur, & adoptionis gratiâ donantur. Sed in adulto, quemadmodum ait Doctor Angelicus, [u] in quo ſunt actualia peccata, quæ conſiſtunt in deordinatione actuali voluntatis, non remittuntur peccata, etiam in Baptiſmo, ſine actuali immutatione voluntatis, quod fit per pœnitentiam.

s *Ezechiel.* 18. 31. t *Joël.* 2. 12. u 3. *Part. q.* 8. *ad* 1.

Deinde ex doctrinâ Auguſtini certum eſt, converſionem cordis, quæ ad juſtificationem adultorum neceſſaria eſt, infantibus deeſſe. Unde fit conſequens, adultos eâ ratione, quâ infantes cum Deo reconciliantur, in gratiam cum illo redire non poſſe. [x] Adultorum enim juſtificatio, ſicut docet Auguſtinus, tum ex converſione cordis, quæ infantibus, etiam juſtificatis deeſt, tum ex Baptiſmi ſacramento conficitur, quod ſolum infantibus juſtificandis ſufficit; quia non ſuo, ſed alieno peccarunt arbitrio, & quia cordis ad Deum converſio non eis ex voluntatis electione, ſed deeſt ex mentis infirmitate. Unde conſequens eſt, adultos nec in baptiſmo, nec in ſacramento pœnitentiæ juſtificari poſſe ſine actuali converſione ad Deum: quia quando illis deeſt iſta converſio, non eſt niſi ex defectu ſuæ voluntatis, & non „ uti in infantibus, ex ætatis indigentiâ. [y] In omni ergo pec„ catore, (cum Fulgentio loquor) qui arbitrio jam propriæ „ voluntatis utitur, per converſionem cordis beneficium „ divini muneris inchoatur. Cæterùm parvulos novimus „ non propriâ voluntate, ſed fidelium pro eis confitentium „ rectâ credulitate ſalvari. Convenit enim judicio veritatis „ parvulos miniſterio alienæ confeſſionis abſolvi, quos vin„ culo conſtat alienæ iniquitatis obſtringi; ut aliis ſpiritua„ liter confitentibus accipiant juſtificationis beneficium, qui „ aliis carnaliter generantibus portant originale peccatum. „ Quantum verò ad illos attinet, qui propriorum jam poſ„ ſunt actuum reddere rationem, nullus efficietur beatus, „ adde, juſtus, niſi qui malis actibus renuncians ad Deum „ fuerit totâ cordis humilitate converſus. Hæc Fulgentius; qui poſt laudata verba eandem doctrinam magis illuſtrat, dum dicit adultos tum donari remiſſione peccatorum, cùm mentis cæcitas ab eis aufertur, cùm veritatis lumen infunditur, cùm dominium concupiſcentiæ tollitur, cùm ſervitus peccati à voluntate removetur, hoc eſt, cùm ad Deum & mentis cognitione, & affectione voluntatis convertuntur. „ [z] Peccatis enim, inquit, cæcatur cor, remiſſione verò „ illuminatur: quia ſicut nihil eſt aliud cæcari, quàm lu„ mine

x *Lib. 4. de baptiſ. c. ult.* y *Lib. 1. de peccat. remiſſ. c. 14.* z *Ibid*

„mine privari, ita curatus oculus, in quantum potiri va-
„let viſione luminis, in tantum caret vitio cæcitatis. Qui
„tamen oculus videre lumen nullatenus valebit, niſi ſe illi
„lumen infuderit. Oculus igitur per luminis infuſionem
„poteſt recipere luminis viſionem. Sic & remiſſio peccato-
„rum cùm hominibus datur, procul dubio cæcitas cordis
„expellitur, ut lumen juſtitiæ oculo interiore cernatur.
„Cæterùm quomodo fieri poteſt, ut obſcuritas tenebra-
„rum removeatur, ſi luminis infuſio non donetur? Deus
„ergo, quibus propria peccata dimittit, lumen veræ con-
„feſſionis infundit. Quocirca ſicut cæcus quilibet quam-
„diu cæcus eſt, non poteſt lumen videre: ſic iniquus qui-
„libet aut impius remiſſionem non accipit peccatorum, ni-
„ſi præventus gratuitæ juſtificationis munere toto corde
„convertatur ad Deum. Ipſius enim remiſſionis effectus in
„cordis converſione conſiſtit. Cæterùm cui converſionis
„gratia non conceditur, peccatorum remiſſio non dona-
„tur. Quid eſt enim remiſſionem peccatorum conſequi,
„niſi à peccati damnatione liberari? Omnis enim, ſicut ve-
„ritas dicit, qui facit peccatum ſervus eſt peccati. Quo-
„modo autem potiri creditur ſplendifico liberationis mune-
„re, qui peccati non caret teterrimâ ſervitute? Sit igitur confectum, adultis nec extra, nec intra ſacramentum baptiſmi aut pœnitentiæ, remiſſionem peccatorum concedi, niſi & ſuæ mentis operatione, & cordis affectione lumen divinæ juſtitiæ hauriant, atque deguſtent, & niſi ipſis non ſervilis creaturarum amor, ſed caſta æternæ juſtitiæ dilectio dominetur.

Quod ut clarius evadat; deinceps docebimus cor ad Deum converti, non timore pœnarum, qui ex amore proprii commodi enaſcitur; ſed ex amore æternæ veritatis, quæ eſt omnium regula virtutum, & cunctorum affectuum norma atque directrix.

Quod ut intelligatur, notandum ex Bernardo, cor ex quatuor affectibus, ex amore, & timore, ex gaudio ac triſtitiâ coaleſcere. [z] Totum enim, inquit, cor hominis in

 „his

z *Serm. 2. in capite jejunii.*

„ his quatuor affectionibus eſt, & de his accipiendum puto, „ quod dicitur, in toto corde tuo convertaris ad Dominum. „ Convertatur proinde amor tuus, ut nihil omninò diligas, „ niſi ipſum, aut certè, propter ipſum. Convertatur etiam „ ad ipſum timor tuus; quia perverſus eſt timor omnis, quo „ metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & „ gaudium tuum & triſtitia æquè convertatur ad ipſum. Hoc „ autem ita fiet, ſi non niſi ſecundum eum doleas, aut læte- „ ris. Totum igitur cor noſtrum ad Deum convertitur, dum nihil perindè cupit, quàm ipſo perfrui, nihil perindè metuit quàm ab ipſo ſeparari, dum de nullâ re magìs quàm de ipſius dolet offensâ, ac de nullâ re magìs, quàm de ipſius gaudet honore.

Corde igitur ad Deum convertimur, dum affectibus ad illum convertimur. Confluunt autem omnes noſtri ad illum affectus, dum omnis noſter ad illum amor confluit. Nam ab eo timet cor noſtrum ſeparari, quo perfrui concupiſcit. Nec poteſt gaudere, niſi de eo, quod amat, bono: nec aliunde dolorem concipere, niſi de ejus boni, quod amat, amiſſione, aut offensâ: neque enim poteſt in carendo eſſe triſtitia, niſi in poſſidendo fuerit lætitia; nec eſt in poſſidendo lætitia niſi bonum, quod poſſidetur, etiam diligatur. Totum itaque cor ad Deum convertitur; quando totus ad illum amor convertitur.

Hæc converſio Deo grata. hanc nobis imperat, dum ait: *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* [a] *Converſio ergo illa in conſpectu Dei grata eſt, & accepta, in quâ ſimul & fidei rectitudo ſervatur, & vitæ bonæ regula cuſtoditur.* Quid eſt regula vitæ, niſi lex quæ imperat, ut Deus & proximus diligatur. *Tunc enim homo rectè ſe diligit, cùm dilectionem Dei,* ut ait Fulgentius, *ſibi devotus & humilis anteponit. Tunc etiam diligit proximum, ſi proximo, quantum poteſt, conſulat, ut ad Deum rectâ, & bonâ converſatione perveniat.*

Quia hæc cordis per caſtum amorem ad Deum converſio damnatis deeſt, propterea eorum pœnitentia & Deo ingrata, &

a *Fulg. l. 1. de remiſſ. peccat. c. 17.*

& ipſis inutilis eſt: [b] *quia etſi erit in inferno ſtimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis. A talibus enim iniquitas ſua ita culpabitur, ut nullatenus poſſit ab eis juſtitia vel diligi, vel deſiderari.* Undè alibi idem ſanctus ait, damnatorum pœnitentiam non eſſe ex largitate Dei, ,, ſed ex cruciatione ſupplicii. [c] In tali, inquit, pœnitentiâ luctus æternus erit; quia fructus ibi pœnitentiæ nullus erit. Non enim ibi mala voluntas ad bonum convertetur pœnitendo, quando ad hoc tantùm pœnitentiam ,, habebit iniquus in pœnâ, ut nec pœnitentiâ aliquando ,, poſſit carere, nec pœnâ.

Peccavit Saul, peccavit David: uterque à prophetâ fuit correptus, uterque ſuum confeſſus peccatum, uterque pœnitendo, dixit, PECCAVI, ſolus tamen David peccati veniam conſecutus; quia ſolus David ex amore juſtitiæ peccatum ſuum confeſſus pœnitentiam egit. Saul verò non ex amore juſtitiæ; ſed timore pœnæ, qui ex amore proprio naſcitur, ſuum agnoſcens, & lugens peccatum pœnam ſuſtinuit, veniam non meruit: quia cor ejus non ,, erat rectum coram Deo. [d] *Illa enim confeſſio peccati ex timore fuit ſupplicii, non ex horrore peccati. Non odit quod fecerat; ſed timuit, quod nolebat. Nec culpam ſuam converſione culpavit; ſed ad præſens divini furoris percuſſus terrore contremuit.* David quoque Rex carnalis concupiſcentiæ devictus illecebrâ, non ſolùm militis ,, ſui adulteravit uxorem, ſed ipſum quoque maritum peremit inſontem, nec ſolùm non ullius criminis ſui reum, ,, quin etiam conculcatæ uxoris ignarum. Ad quem tamen ,, cùm Nathan propheta deſtinaretur à Domino, ille propheticâ increpatione perterritus, exclamavit, peccavi. ,, cui ſic propheta reſpondit: Et Deus abſtulit peccatum ,, tuum, & non morieris. Ecce Saul dixit, *peccavi*; David quoque dixit, *peccavi*. Cùm ergo in confeſſione ,, peccati, utriuſque vox una fuerit, cur non una utrique ,, conceſſa eſt remiſſio? *Niſi quia in ſimilitudine confeſſionis*

b *Fulg. l. de fide ad Petrum. c. 3.* c *Lib. 2. de peccat. remiſſ. c. 15.* d *Fulgent. Ibid.*

nis videbat Deus diſſimilitudinem voluntatis: nec ſonum ſermonis attendit, ſed intentionem cordis in utroque diſcre-
„ *vit.* Unus enim converſus peccandi protinus abjecit de-
„ ſiderium, & pœnitendo ipſe ſuum punivit admiſſum:
„ alter verò confeſſionem quidem peccati ſui protulit; ſed
„ affectum peccandi, perverſi cordis obſtrictus vitio non
„ abjecit.

Ad veram itaque converſionem cordis nec confeſſio, nec pœnitentia ſufficit, niſi pœnitentiam ac confeſſionem peccati non timor pœnæ, ſed amor pariat juſtitiæ, & niſi pœnitentem magis concutiat horror peccati, quàm metus ſupplicii. Manet enim cordis perverſio, quæ in perverſo creaturarum amore collocata eſt, niſi eam expellat amor æternæ juſtitiæ, qui eſt cordis rectitudo atque converſio. Timor quidem ſupplicii manum, ne iniqua perpetret, cohibere poteſt. Patibuli metus à furto quidem furem revocat, furandi tamen voluntatem non magis ab eo aufert, quàm cupidinem oves rapiendi à lupo auferunt, dum eum terrent, armatus paſtor, & fortes pro ovium defenſione moloſſi. Undè de lupo, quem timor, ne rapiat, compeſcit, præclarè ab Auguſtino dictum: Lupus venit, lupus redit, prædam non tulit, ſævitiam non poſuit. Simile elogium eis poni poteſt, qui pœnæ timore non peccant: *quia etſi non impletur foris,* (cum Auguſtino loquor) *negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis.* Et quis coram Deo innocens invenitur, *qui vult fieri, quod vetatur, ſi ſubtrahas, quod timetur? Ac per hoc in ipſâ voluntate reus eſt, qui vult facere, quod non licet fieri, ſed ideo non facit, quia impunè non poteſt fieri. Nam quantum in ipſo eſt, mallet non eſſe juſtitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique, ſi mallet non eſſe juſtitiam, quis dubitaverit, quod eam, ſi poſſet, auferret? Ac per hoc quomodo juſtus eſt talis juſtitiæ inimicus, ut eam, ſi poteſtas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, ſi ejus amo-*

c *Epiſt. ad Anaſt.* 144.

amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit; ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit. Ipſe eſt timor caſtus permanens in ſæculum ſæculi. Nam ille timor pœnæ tormentum habet, & non eſt in charitate, eumquè perfecta charitas foras mittit. Tantùm ergo quiſque peccatum odit, quantùm juſtitiam diligit.

Quod hîc docet Auguſtinus non minori perſpicuitate do-
„ cet Gregorius Magnus, dum ait: Admonendi ſunt, qui
„ flagella metuunt, ut ſi malis veraciter carere deſiderant, æ-
„ terna ſupplicia perhorreſcant, neque in hoc ſuppliciorum
„ timore permaneant, ſed ad amoris gratiam, nutrimento
„ charitatis excreſcant. Scriptum quippe eſt: [f] *Perfecta cha-*
„ *ritas foras mittit timorem*. Et rurſum ſcriptum eſt: [g] *Non*
„ *accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed ſpiritum*
„ *adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*. Un-
„ dè idem Doctor iterùm dicit: [h] *Ubi ſpiritus Domini, ibi*
„ *libertas*. Si ergo adhuc à pravâ actione formidata pœna pro-
„ hibet, profectò formidantis animum nulla ſpiritus libertas
„ tenet. Nam ſi pœnam non metueret, culpam procul du-
„ bio perpetraret. Ignorat itaque mens gratiam libertatis,
„ quam ligat ſervitus timoris. Bona enim pro ſe ipſis aman-
„ da ſunt, & non pœnis compellentibus exequenda. Nam
„ qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala me-
„ tuit, vult non eſſe, quod metuat, ut audaciter illicita com-
„ mittat. Undè luce clariùs conſtat, quòd coram Deo in-
„ nocentia amittitur, ante cujus oculos deſiderio peccatur.

Lucem ſoli viderer velle inferre, ſi hanc voluntatem peccandi non auferri timore pœnæ, ſed duntaxat amore juſtitiæ, ſatagerem illuſtrare. Ipſa ſe ipſam propriâ luce ſignat. Ipſa ſe ipſam propriâ virtute reddit invictam, nec alios poteſt habere adverſarios, quàm vel tenebris aſſuetos, quos offendit ſplendor veritatis, vel rebelles lumini, qui libidinibus occultis ſervientes, agnitam oppugnant veritatem.

§. 4. Non ſufficit ad veram cordis converſionem quodcumque divini amoris rudimentum. Converſus peccator di-

ci

f 1 *Joan*. 4. *v*. 18. g *Rom*. 8. 15. h 2 *Cor*. 3. 17.

ci non poteſt, quamdiu in corde ejus amor creaturæ principem ſedem obtinet; tametſi motibus divini amoris, ſed imbecillis agitetur. Quamvis Auguſtinus Deo cupiens vacare ei ſuſpiraret, non poterat tamen converſus ad Dominum dici, quamdiu non ferro alieno, ſed ferreâ ſuâ voluntate vinctus erat; quamdiu voluntas nova, quæ ei eſſe cæperat, ut Deum gratis coleret, fruique eo vellet, non erat idonea ad ſuperandum mundi amorem vetuſtate roboratum. Unde ait illos, qui baptiſmum ſuſcipientes, mundo ita renunciant, ut tamen cordis vinculo tenaciùs ei, quàm Chriſto adhæreſcant, ſæculo verbis ſolis, & non factis renunciare, nec ad Chriſtum verè converti. [i] Cùm enim omnis, inquit Auguſtinus, „ qui renunciat huic ſæculo, ſine dubio renunciet omnibus, „ quæ ſunt ejus, ut poſſit Chriſti eſſe diſcipulus (ipſe enim, „ cùm de ſumptibus ad turris ædificium neceſſariis, & de „ bello adverſus alterum regem præparando, ſimilitudines „ præmiſiſſet, adjunxit; ſic, qui non renunciat omnibus quæ „ ſunt ejus, non poteſt meus eſſe diſcipulus) profectò renun„ ciat etiam divitiis, ſi quas habet, aut ſic, ut eas omninò „ non diligens, totas diſtribuat indigentibus, & ſuperflui „ exoneretur ſarcinis; aut ſic, ut plus diligens Chriſtum „ ſpem ab eis transferat ad ipſum, atque ità utatur illis, ut fa„ cilè tribuens & communicans, theſaurizet in cœlo; para„ tuſque ſit quemadmodum parentes, & filios, & fratres „ & uxorem, hoc modo & iſtàs relinquere, ſi talis fuer„ propoſita conditio, ut niſi dimiſſo Chriſto eas habere no„ poſſit. Nam ſi aliter huic ſæculo renuntiat, quando acce„ dit ad fidei ſacramentum, facit quod beatus Cyprianus in „ gemuit, dicens: *Sæculo verbis ſolis renunciantes, & n*„ *factis*. De hoc quippe dicitur, cùm veniente tentatio„ magìs iſta metuit amittere, quàm Chriſtum negare: *Ec*„ *homo, qui cœpit ædificare, & non potuit conſummare*.

Ex his Auguſtini verbis, quibus Chriſti verba expon conſtat, requiri ad verum Chriſti diſcipulum, ſive ad co verſum, ut renunciet ſæculo, & omnibus, quæ ſunt ſæc li, ut Chriſtum plus, quàm mundi bona diligens, ſpem

i *Epiſt. 89. ad Hilarium in reſponſ. ad quæſt. 4.*

eis transferat, ità animo affectus, ſi talis conditio proponatur, ut niſi dimiſſo Chriſto ea habere non poſſit, illis, quàm Chriſto, carere malit. Conſtat ſecundò eos, qui ſine hoc amore, qui Deum omnibus anteponit, ſuſcepturi baptiſmum ſæculo renunciant, ei ſolis verbis, & non factis renunciare, adeóque ipſos non veros, ſed ſolummodò fictos eſſe Chriſtianos, nec eis prodeſſe fidei ſacramentum, ſive baptiſma, quando ſine amore, qui Chriſtum omnibus præfert, ad illud audent accedere. Demùm de illo dici, qui veniente tentatione magìs mundum, quàm Chriſtum metuit amittere, *ecce homo qui cœpit ædificare, & non potuit conſummare.*

Deinde veros Chriſti diſcipulos deſcribit Auguſtinus tanquam homines, in quibus amor Chriſti omnibus aliis amoribus dominatur; tanquam homines, qui ſi bona terrena tenent, ab eis non tenentur, ut hæc Chriſto anteponant; tanquam homines, qui, ſi forte pro fide Chriſti pecuniaria damna perpetienda ſunt, oderunt divitias ſuas; ſi ſuorum orbitates vel ſeparationes pro Chriſto minatur hic mundus, oderunt parentes, fratres, filios, uxores; poſtremò deſcribit eos tanquam homines, qui, ſi de ipsâ hujus corporis vitâ cum adverſario paciſcendum eſt, ne deſertus deſerat Chriſtus, oderunt inſuper animam ſuam. De iis quippe omnibus mandatum acceperunt, quòd aliter Chriſti diſcipuli eſſe non poſſint. Liquet ex his remiſſionem peccatorum non aliis in baptiſmo infundi, niſi eis, qui Chriſtum omnibus præferentes, ità animo affecti ſunt, ut, ſi pro fide Chriſti omnia relinquenda ſint, iis renunciare parati ſint, ut Chriſtum lucrifaciant, verique ejus diſcipuli eſſe mereantur.

[k] Alibi idem ſanctus, cùm dixiſſet: Amanda eſt juſtitia, atque in hâc juſtitiâ amandâ gradus ſunt proficientium; ait *primum gradum eſſe, ut amori juſtitiæ non præponantur omnia, quæ delectant; ipſe eſt primus gradus*; adeò ut nemo coram Deo juſtus reddi poſſit, niſi juſtitiam ſuper omnia diligat. Ne quis verò cogitaret Auguſtinum de illo otioſo amore loqui, quem ſe habere exiſtimant, qui nunquam experiuntur ſe vero cordis affectu in Deum ferri, ſe ipſum exponit, docens, ſe fuiſſe locutum de actuoſo amore, quem delectatio parit, vel qui

[k] *Serm. 17. de verbis Apoſt.*

qui eſt ipſa delectatio. *Quid eſt*, inquit, *quod dixi*, *ut inter omnia quæ delectant*, *plus te delectet juſtitia*, *non ut alia non delectent*; *ſed plus delectet*. Et paulò poſt, ut clariſſimè oſtendat ſine amore, qui juſtitiam ſuper omnia diligit, nullum „ juſtificari, ita loquitur: Juſtitia ſic delectet, ut vincat non „ ſolùm illicitas; ſed etiam licitas delectationes, & ei delecta- „ tioni, quâ licitè delectaris, præpone juſtitiam. Ex mente igitur Auguſtini, ut quis coram Deo juſtus habeatur, ante omnia requiritur, ut amor & delectatio, quâ æternæ juſtitiæ adhæret, non ſolùm fœdos amores & delectationes vincat illicitas, verùm etiam deſideratur, ut omnes licitos ſuperet amores, & cunctas, quæ innocentes vocantur, delectationes eatenus excedat, ut illis Chriſtum anteponat.

Fulgentius Auguſtino, tanquam diſcipulus Magiſtro ſuo, concinens, etiam docet ad impetrandam reconciliationem, non quamlibet converſionem, ſed eam duntaxat ſufficere, quæ totum cor, divino ſcilicet amore, flectit ad Dominum. *Iniquus*, inquit, [l] *quilibet*, *aut impius remiſſionem non accipit peccatorum*, *niſi præventus gratuitæ juſtificationis munere* TOTO CORDE *convertatur ad Deum*. Alibi eandem doctrinam tradit idem Sanctus, dum ait, eos non vanè ſalutem ſperare, qui in præſenti vitâ pro iniquitatibus ſuis pœnitentiam agentes, toto corde, id eſt, maximo cordis amore, convertuntur ad Deum. „ [m] Quiſquis „ inquit, declinans à malo & faciens bonum, pro ſuis ini- „ quitatibus in præſenti vitâ pœnitentiam geſſerit, & con- „ verſus ad Deum *toto corde* malis operibus renunciaverit; „ ſpes ipſius vana non erit.

Quæ ex Bernardo verba laudavimus, clarè docent, ipſum ad veram cordis converſionem, quâ remiſſio peccatorum obtinetur, non quemlibet Dei exigere amorem, ſed talem, quo cor nihil niſi Deum, aut certè propter Deum diligere contendat.

Eandem doctrinam tradit Doctor Angelicus, dum ait, requiri [n] *ad rationem veræ pœnitentiæ*, ut diſpliceat peccatum,

l *Lib. 1. de remiſſione peccat. c. 15.* m *Lib. 2. de peccat. remiſſio. c. 4.* n *S. Thom. 3. p. q. 86. art. 3.*

tum, quia eſt contra Deum, non quolibet debili amore dilectum, *ſed contra Deum ſuper omnia dilectum.* Meritò hæc tradit ſanctus Doctor; non enim tollitur averſio & perverſio cordis, quæ in actuali creaturarum amore ſita eſt, niſi actuali converſione ad Deum, hoc eſt, niſi actuoſo Creatoris amore, quo omnia ei poſthabentur.

Si Scripturas conſulamus, in quibus converſis reconciliationis gratiam Deus pollicetur; non eam aliis pollicetur, quàm iis, qui toto corde convertuntur ad Dominum. Salomon iis, qui poſt peccata in univerſo corde ſuo revertuntur ad Dominum, relaxationem criminum pollicetur. [o] *Si reverſi fuerint ad te*, inquit, *in univerſo corde ſuo, & totâ animâ ſuâ.... propitiaberis populo, qui peccavit tibi.* Ezechias Rex eis, qui toto corde Deum requirunt, ejus ſpondet favorem. [p] *Dominus bonus*, inquit, *propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum ſuorum.* Si prophetas conſulamus, experiemur etiam ipſos non aliis, quàm omnia peccata relinquentibus, remiſſionis gratiam promittere. [q] *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*, inquit Ezechiel. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, vitâ vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Hîc eis, qui pœnitentiam agunt ab omnibus peccatis ſuis, quæ operati ſunt, & cuſtodiunt omnia, quæ præcepta ſunt, vita gratiæ, & gloriæ promittitur. Non receditur autem ab omnibus peccatis, nec omnia ſervantur mandata, niſi primum & maximum ſervetur mandatum: Hoc autem ſervari non poteſt, niſi Deus ſuper omnia diligatur. Apud eundem prophetam promittit Deus, quòd impio, ſi nihil eorum, quæ præcepta ſunt, omittat, & nihil eorum, quæ vetita ſunt, committat, veniam & vitam miſericorditer tribuet. [r] *Si autem dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritque judicium & juſtitiam, & pignus reſti-*

o 3 *Reg. cap.* 8. *v.* 48. *&* 50. p 2 *Paralip. c.* 30. *v.* 18. *&* 19.
q *Cap.* 18. *v.* 20. r *Cap.* 33. 14.

ſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in manddtis vitæ ambulaverit, nec ſecerit quicquam injuſtum, vitâ vivet, & non morietur. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei.

[s] *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, dicit apud Zachariam, *Dominus omnipotens*: ut doceat, quòd per remiſſionis gratiam non ad alios convertatur, quàm ad illos, qui ad ipſum convertuntur. Non ait hîc quidèm, convertimini ad me in toto corde veſtro; ſed hæc hîc ſubintelligenda ſunt. Nam quæ ibi poteſt eſſe vera converſio, ubi pars cordis potior à Deo manet averſa, ubi creatura præponitur Creatori, & ubi quod minus diligendum eſt, ſuper omnia diligitur, & quod ſuper omnia diligendum eſt, pari „ vel minori diligitur amore? Nam ſi amantur, inquit Ber„ nardus [t], quæ amanda ſunt; ſi magis amantur, quæ magis „ amanda ſunt; ſi non amantur, quæ amanda non ſunt, amor „ purgatus erit. Quid ergo niſi fœdus, niſi turpis erit, ſi Deus, „ qui ſuper omnia, imò ſolus propter ſe ipſum amandus eſt, „ æquali vel minori amore diligatur? Quod ſi fœdæ fuerint animæ affectiones, nonne eam fœdabunt potiùs, quàm ordinabunt, atque convertent? [u] *Purgatæ enim*, inquit Bernardus, *& ordinatæ glorioſam in virtutum coronâ reddunt animam; inordinatæ per confuſionem dejectam & ignominioſam.*

Demùm quæ ibi poteſt eſſe cordis rectitudo, ſive converſio, ubi bona creata, quæ non niſi propter Deum diligenda ſunt, perindè, aut etiam magis, quàm ſummum bonum, propter ſe ipſa diliguntur? Certè ubi hæc cordis perverſitas invenitur, non ibi cogitanda eſt cordis converſio; ſed potiùs averſio, non rectitudo; ſed perverſitas, nec juſtitia; ſed iniquitas. *Fit enim*, ut cum Auguſtino loquar, [x] *homo iniquus, cùm propter ſe ipſas diligit res propter aliud aſſumendas, & propter aliud appetit res propter ſe ipſas diligendas: ſic enim quantum in ipſo eſt perturbat ordinem naturalem, quem lex æterna conſervari jubet.* Quis autem non

s *Zach.* 1. 3. t *Serm.* 50. *de Diverſis.* u *Ibid.* x *Aug. l.* 22. *cont. Fauſt. c.* 78.

non videt, res propter aliud aſſumendas, propter ſe-ipſas, & non propter incommutabile bonum diligi, quando perinde, vel magìs quàm incommutabile bonum, diliguntur? Et quis adeò cæcus, ut non videat in æternam legem, quæ ordinem naturalem conſervari jubet, & perturbari vetat, graviſſimè peccari; quando tanta eſt in amore perverſio, ut bonum, quod ſummè diligendum eſt, minus aut æquè diligat, ac illa diligit, quæ non niſi propter ipſum amari poſſunt? Qui autem hujuſmodi amatoribus veniam peccatorum præberet, nonne illam perverſis præberet? Hoc autem quî poteſt Deus juſtus & miſericors, apud quem non eſt miſericordia amica injuſtitiæ, ſicuti apud ipſum non eſt juſtitia inimica miſericordiæ, quæ, dum nonniſi converſis peccata donat, non aliis eam donat, quàm amicis & cultoribus æternæ juſtitiæ?

Ex his licet concludere, quòd ad remiſſionem peccatorum requiratur ordinatus amor; eo enim ſolo convertitur homo; utque peccatorum remiſſionem percipiat, idoneus redditur. Atque illud eſt, quod ab Auguſtino docetur, dum ait: y *Fit homo juſtus, cùm ob aliud non appetit rebus uti, niſi propter quod divinitùs inſtitutæ ſunt; ipſo autem Deo frui propter ipſum, ſeque & amicum in ipſo Deo propter eundem ipſum Deum.*

§. 5. Forſan quis dicet, ſi non detur remiſſio peccatorum, niſi iis, in quibus eſt ordo amoris, qui amor ſolo Deo fruitur propter ipſum, homine autem in ipſo Deo, & propter ipſum Deum, rebus verò ratione carentibus utitur eum in finem, propter quem à Deo inſtitutæ ſunt: dicet, inquam, neminem reperiri, qui percipiendæ peccatorum remiſſioni ſit idoneus, nullo exiſtente in carne mortali, qui ex toto corde Deum diligat: ſi quidem nullus eſt, qui non aliquem amoris rivum, quo amor Dei minuitur, ad creaturas derivet.

Verùm repono, cùm nobis imperatur, ut toto corde ad Deum convertamur, vel toto illum corde diligamus, duo nobis imperari; primò quidem, (loquor cum ſanctiſſimo

y *Aug. l. 22. cont. Fauſt. c. 78.* z *Lib. 10. c. 10. de divino amore.*

„ Gebennenſium Epiſcopo Saleſio) ut inter omnes amores „ divinus præcipuum in corde locum obtineat, ut toti nimirùm dominetur cordi; ut ille dilectiſſimus ſit, totum „ videlicet animum poſſidens, ut latiſſimè regnet, omnes „ nimirùm facultates ſibi mancipans; & quia illo Deum diligimus, quaſi ſupremum voluntatis bonum, amor eſt ſupremæ dilectionis. Hic amor omnibus & ſingulis mortalibus generatim præcipitur, quamprimùm ad rationis uſum „ pervenerunt. Secundò præcipitur, ut quotidie ſtudeamus „ minuere quicquid in nobis reperitur, quod divino adverſetur amori, ut quotidie detrahamus de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis; ut quæ retrò ſunt, obliviſcentes, nos in anteriora extendamus, ut eamus de virtute in virtutem, hoc eſt, de minori ad majorem. Atque hâc de causâ nobis præceptum, ut ad perfectionem cœleſtium ſpirituum, in quibus nullæ ſunt affectiones, quæ divinæ voluntati adverſentur, quotidie aſpiremus, dicendo: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terrâ; ut quotidie gemendo Deo ſupplicemus, libera nos à malo concupiſcentiæ, quod ejus amori repugnat ex nobis: adeò ut præclarè ab Auguſtino dictum ſit, *totam Chriſtiani hominis vitam non eſſe niſi ſanctum deſiderium.* De hoc Dei amore, qui omnes alios vincit amores, & qui, ut perficiatur, quotidie gemit, ait Saleſius, *quòd ſit ſingulis ſufficiens, & omnibus neceſſarius ad ſalutem.*

Eſt igitur hominis amor, ut peccatorum remiſſione donetur, ad Deum ſufficienter converſus, & ordinatus, ſi his duabus dotibus ſit inſtructus, nempè ſi omnes alios excedens amores, mortificationis & orationis ſtudio eos non deſinat extirpare. De homine qui iſtiuſmodi amore adornatus eſt, ſine veritatis offensâ dici poteſt, quòd ad Deum ex toto corde ſit converſus, ipſumque ex toto corde diligat; nam licet in eo concupiſcentia non ſit omninò mortua, ei tamen vitam invidens, non ceſſat illam quotidie magìs magíſque mortificare, ut, ſi effectu Deum ex toto corde necdum diligat, affectu tamen optet ex toto illum corde diligere: adeo ut dicere poſſit, dum concupiſcentiæ motibus commovetur:

[a] *Non*

a *Non quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*

Porrò nemo ſibi perſuadeat, quemadmodum ſeverioris Calviniſmi aſſeclæ ſibi ipſis cum deteſtabili errore perſuadent, laudata Apoſtoli verba ab iis, qui ſemel regeniti ſunt, etiam tunc uſurpari poſſe, quando criminum deſideriis commoti, iis adeò debiliter reſiſtunt, ut victi illis mente conſentiant, & ſi opportunitas detur, ea opere perpetrent. Undè ſecundùm puritatem Ethicæ Calvinianæ Lot inceſtu, Aäron idololatriâ, David adulterio, Petrus abjuratione Chriſti ſe ipſos polluentes, adeò remanebant innocentes, adeò caſtitatis, & religionis, & fidei ac charitatis tenaces, ut cum Apoſtolo unuſquiſque illorum dicere potuiſſet: *Non quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Sed hic illorum error, non ſolùm iis, qui Chriſtiano nomine recenſentur, ſed etiam quovis homine, indigniſſimus eſt. Quid enim Chriſtiano nomini rectæquè rationi magìs adverſum, quàm ut credat Chriſtianus, ſe poſſe eſſe caſtum & ſanctum, adoratorem in ſpiritu & veritate, ſervum Dei bonum & fidelem, etiam eo tempore, quo inceſtui & adulterio, idololatriæ & perfidiæ tum conſenſum cordis ſui, tum membrorum ſuorum miniſteria præbet & accommodat? Contra hunc peſſimum errorem præclarè ſcribit Auguſtinus, dum ait: b Multùm autem fallitur homo, qui conſentiens concupiſcentiæ carnis ſuæ, &, quod illa deſiderat, decernens facere, & ſtatuens, putat ſibi adhuc eſſe dicendum, *non ego operor illud*, etiamſi oderit, quia conſentit. Simul enim eſt utrumque, & ipſe odit, quia malum eſſe novit, & ipſe facit, quia facere ſtatuit. Jam verò, ſi illud addat, quòd ſcriptura prohibet: *Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato*, ut quod facere ſtatuit corde, etiam corpore compleat, & ideo dicat: *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*; quia, cùm id decernit & facit, diſplicet ſibi:

 tan-

a *Rom.* 7. 19. b *Lib.* 1. *de Nuptiis & concupiſc. c.* 28.

„ tantùm errat, ut nec ſe ipſum agnoſcat, quando cùm ex
„ toto ipſe ſit, & corde ſtatuente & corpore implente, ad-
„ huc ſe-ipſum eſſe non putat. Qui ergo dicit: *Jam non ego*
„ *operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, ſi tan-
„ tummodò concupiſcit, verum dicit; non, ſi cordis con-
„ ſenſione decernit, aut etiam corporis miniſterio perficit.

Non poterat ergo Lot, non poterat Aäron, non poterat David, non poterat Petrus, nec poteſt ullus homo, quantumvis regenitus, dum criminum deſideriis ac motibus conſentit, dicere: *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*; tantùm abeſt ut is ſic loqui poſſit, qui non ſolùm nutu conſenſionis; ſed etiam operatione membrorum ſuorum, hoc eſt, ſe toto, quia corpore & ſpiritu, crimina perpetrat. Illi ergo ſoli dicere poſſunt, non, quod volumus bonum, hoc facimus; ſed, quod odimus malum, hoc agimus. Si autem, quod nolumus, illud facimus, jam non nos operamur illud, ſed quod habitat in nobis peccatum; illi, inquam, ſoli hæc dicere poſſunt, qui flagitiorum deſideriis tacti, immobiles in majori charitate conſiſtunt, non ſolùm non eis exhibentes membra corporis ad malè operandum, ſed neque nutu conſenſionis ad exhibendum conſentientes. Non enim jam regnat peccatum in eorum mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus, quamvis habitet in eorum mortali corpore peccatum, hoc eſt, concupiſcentia peccati, quæ peccatum vocatur, quia ex peccato primi hominis orta eſt, & quia ad peccatum inclinat. [c] *Aliud enim eſt non peccare, aliud non habere peccatum*, ſive concupiſcentiam. *Nam in quo peccatum non regnat*, (cum Auguſtino loquor) *non peccat; id eſt, qui non obedit deſideriis ejus. In quo autem non exiſtunt omninò iſta deſideria, non ſolùm non peccat, ſed etiam non habet peccatum. Quod etiamſi ex multis partibus in iſtâ vitâ poſſit effici, ex omni tamen parte nonniſi in reſurrectione ſperandum eſt.* Illi ergo manent innocentes, ſancti, religioſi, ſervi boni & fideles, qui concupiſcentiis peccatorum commoti, iis non conſentiunt. In illis perſeverant fructus Spiritus Sancti, gaudium, pax, longa-

c *In epiſt. ad Galat. num. 48. juxta novam edit. Pariſ.*

ganimitas, bonitas, fides, manſuetudo & continentia, non qui, ſicuti Lot, Aäron, David & Petrus, contrariis vitiorum deſideriis ac motibus pulſati, iis ſuæ mentis aſſenſum, & ſui corporis uſum accommodant; ſed qui mente ab iſtis motibus averſi, cum Paulo Apoſtolo, nec iis condelectantur, nec illa in ſuo corpore regnare permittunt, quemadmodum illi eis regnum & dominatum in ſuum corpus conce-
„ dunt, qui ſinunt ut illis ſua membra obſequantur. [d] Re-
„ gnant ergo ſpirituales iſti fructus in homine, inquit Augu-
„ ſtinus, in quo peccata non regnant. Regnant autem iſta
„ bona, ſi tantùm delectant, ut ipſa teneant animum in ten-
„ tationibus, ne in peccati conſenſionem ruat. Quod enim
„ ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt;
„ ut verbi gratiâ, occurrit forma ſpecioſæ fœminæ & movet
„ ad delectationem fornicationis: ſed ſi plus delectat pulchri-
„ tudo illa intima, & ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam,
„ quæ eſt in fide Chriſti, ſecundùm hanc vivimus, & ſecun-
„ dùm hanc operamur, ut non regnante in nobis peccato ad
„ obediendum deſideriis ejus, ſed regnante juſtitiâ per chari-
„ tatem cum magnâ delectatione faciamus, quicquid in eâ
„ Deo placere cognoſcimus. Quod autem de caſtitate & for-
„ nicatione dixi, hoc de cæteris intelligi volui.

Ex quibus omnibus id unum deduco: ſine cordis converſione non poteſt eſſe peccati remiſſio, etiam in ſacramento: atqui non eſt converſio cordis ex timore pœnæ, ſed ex amore actuoſo juſtitiæ, & quidem ſummo, ſeu omnem creaturæ amorem ſuperante: ergo etiam in ſacramento non poteſt eſſe peccati remiſſio ex timore pœnæ, ſed ex amore actuoſo juſtitiæ, & quidem ſummo, ſeu omnem creaturæ amorem ſuperante.

d *Ibid. num.* 49.

CAPUT VI.

1. *Ad veniam peccatorum impetrandam quovis tempore neceſſaria fuit contritio, quæ eſt dolor de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero.* 2. *Illud propoſitum ſincerum eſſe non poteſt, niſi ſervetur primum & maximum mandatum.* 3. *Exponitur quâ ratione primum & maximum mandatum ſit, & non ſit generale.*

§. 1. AMorem, qui Deum omnibus anteponit, eſſe neceſſarium, ut homo etiam in ſacramento pœnitentiæ peccatorum remiſſionem conſequi queat; certiſſimè probatur ex iis, quæ ex omnium Catholicorum conſenſu ad remiſſionem peccatorum requiruntur. Nam à Tridentinâ Synodo exigitur, ut quis cum Deo in gratiam redeat, *contritio*, *quæ*, uti loquitur, [c] *animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Ut autem Synodus declaret, quantopere ad reconciliationem Dei cum hominibus hæc contritio neceſſaria ſit, deinde ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt baptiſmum lapſo ità demùm præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiduciâ divinæ miſericordiæ & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc ſacramentum requiruntur.* Non facit ergo ſacramentum, ut hæc contritio minùs ſit neceſſaria tempore novæ legis, quàm veteris, tam in uſu ſacramenti pœnitentiæ, quàm extra uſum ejus.

Deinde *declarat ſancta Synodus hanc contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere.* Hic autem dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, ſive veteris vitæ odium in pœnitente eſſe non poteſt, quin ipſum pœniteat ſui amoris, quo creaturas Deo præpoſuit, dum bona infima magìs, quàm

[c] *Seſſ. 14. de pænit. c. 4.*

quàm ſummum dilexit. Etenim uti vita hominis maximè in amore ſita, ità vetus vita in veteri amore, ſive in cupiditate rerum caducarum præcipuè collocata eſt. Quomodò autem poteſt quempiam veteris amoris pœnitere, qui novo non ſit amore incenſus? Quomodò creaturarum cupidinem deteſtari, qui cor ſuum non devoverit Creatori? Quomodò dicere, [f] *iniquitatem odio habui, & abominatus ſum*, qui unà non dicat, *legem autem tuam dilexi?* Deinde quomodò poteſt quis habere propoſitum non peccandi de cætero, qui non habeat propoſitum non ampliùs transgrediendi primum & maximum mandatum? Et quomodò poteſt quis habere propoſitum non ampliùs transgrediendi primum & maximum mandatum, qui non habet propoſitum illud deinceps obſervandi?

§. 2. Porrò quâ ratione poteſt quis habere propoſitum obſervandi primum & maximum mandatum, qui illud revera non obſervet? Nonne impoſſibile eſt, ut quis ſincerè velit obſervare primum & maximum mandatum, hoc eſt amare Dominum Deum ſuum, & tamen illum non amet? Nonne fur eſt, quiſquis gerit furandi propoſitum? Nonne adulter eſt, quiſquis firmum adulterandi propoſitum concepit? Nonne avarus, ſive amator pecuniæ eſt, quiſquis firmo propoſito decrevit pecuniam amare? Nonne eâdem ratione Dei amator eſt, quiſquis firmo propoſito decrevit Deum amare, ſive obſervare primum & maximum mandatum? Eſt igitur neceſſe, ut is ſit amator Dei, qui habet propoſitum non peccandi de cætero, ſive ſervandi divina mandata, ac proinde maximè ſervandi maximum & primum mandatum. Deum enim non velleitate, ſed verâ & ſincerâ voluntate velle amare, eſt amare; ſicuti fortiter velle eſſe caſtum, ſobrium, humilem, & juſtum, eſt revera eſſe caſtum, ſobrium, humilem ac juſtum. Hinc ab Auguſtino dictum: [g] *Juſta vita cùm volumus adeſt; quia eam ipſam plene velle juſtitia eſt; nec plus aliquid perficienda juſtitia, quàm perfectam voluntatem requirit.* Quicumque enim actus ità à voluntate dependent, ut ad eos producen-

 dos

f *Pſal.* 118. 163. g *Epiſt.* 45.

dos externis membris aut inſtrumentis minimè indigeat, illi hoc ipſo producuntur, quò eos ipſa vult eſſe productos.

Poteſt quis fortiter & ardenter velle ambulare, vel ſcribere, vel ædificare, qui tamen nec ambulet, nec ſcribat, nec ædificet, quòd vires corporis, inſtrumenta & facultates voluntatem deficiant. Verùm nemo ardenter & fortiter vult amare, odiſſe, deſiderare, metuere, qui revera non amet, oderit, deſideret ac metuat. Hos enim actus ſi revera voluntas velit, ſtatim adſint neceſſe eſt, cùm eos producere nihil aliud ſit, quàm eos velle. Amatur ergo revera Deus, dum voluntas verè & fortiter vult amorem ejus; ſicuti movetur manus non impedita, ſimulac voluntas ejus motionem imperat. [h] *Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta eſt facilitas, ut vix à ſervitio diſtinguatur imperium.* Ità multò magìs adeſt in voluntate motus amoris, ſimulac illum ipſa exigit: Nam eum à ſe-ipsâ, & non à corpore, vel membro corporis exigit atque deſiderat.

Non ſolùm ire, verùm etiam pervenire in pactum amoris cum Deo, nihil aliud eſt, ut præclarè advertit Auguſtinus, quàm velle ire; ſed velle fortiter & integrè, non ſemiſauciam hâc atque hâc verſare & jactare voluntatem, partem aſſurgentem cùm aliâ parte cadente luctantem. [i] *Ibi enim facultas ea quæ voluntas, & ipſum velle facere eſt.* Facultas autem amandi eſt ipſa voluntas, ergo & velle Deum amare eſt Deum amare. Quòd ſi amare velit, nec tamen amet, non ex toto vult, ſed ex parte vult, & ex parte non vult, & eatenus non fit, quod vult. [k] *Imperat animus, ut velit animus, nec alter eſt, nec facit tamen. Quarè iſtud? Imperat, inquam, ut velit, qui non imperaret, niſi vellet: & non fit, quod imperat; ſed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat: nam in tantum imperat, in quantum vult, & in tantum non fit, quod imperat, in quantum non vult; quoniam voluntas imperat, ut ſit voluntas, nec alia, ſed ipſa. Non utique plenè imperat, & ideò non eſt, quod imperat: Nam ſi plena eſſet, nec imperaret ut eſſet, quia jam eſſet.* Undè ſi plena voluntate vult amare, ſine morâ amat. Nam ipſum

h *Aug. lib. 8. Confeſſ. c. 9.* i *Ibid. c. 8.* k *Ibid. c. 9.*

ipſum velle amare, amare eſt. Quid eſt enim velle amare, quàm amorem concupiſcere, ſive deſiderare? Et quid eſt deſiderium amoris, quàm amor amoris? [1] *Dilectio*, inquit ſanctus Fulgentius, *nullatenus diligetur, niſi dilectio habeatur, quâ ipſa dilectio diligatur. A ſe ipsâ igitur dilectio diligitur, quia tunc diligitur, cùm habetur, nec diligitur, niſi habeatur. Equidem poteſt diligi à nobis, etiam cùm petimus, ut augeatur in nobis: ſed non diligit ejus augmentum, qui non habet initium. Non ergo ſic charitas diligitur ſicut nummus, aut aliquid ejuſmodi. Poteſt enim quiſque unum non habere nummum, & multitudinem diligere, ac deſiderare nummorum. Diligit ergo iſte nummorum multitudinem, cùm ne unius quidem nummi habeat facultatem.... Charitas tamen non habetur, ſi non diligatur; nec diligitur, ſi non habeatur.*

Quando ergo in homine eſt propoſitum ſive voluntas non violandi, ſed ſervandi divina mandata, tunc quoque adeſt in homine voluntas ſervandi primum & maximum mandatum. Hæc verò voluntas, ſi ſit plena, ſive dominans, eſt vel ipſe Dei amor, vel ità promptè eum producit, ut effectus non facilè à causâ, nec à ſervitio facilè diſtinguatur imperium.

Cùm itaque ad peccatorum remiſſionem ac juſtificationem requiratur voluntas ſive propoſitum non tranſgrediendi, ſed implendi divina mandata, ac præſertim mandatorum primum & maximum; & cùm hoc propoſitum ſine amore Dei eſſe non poſſit; hinc efficitur hominem ætate adultum, nec remiſſionem peccatorum, nec juſtificationem à Deo adipiſci unquam, niſi amoris pondere in Deum feratur.

§. 3. Forſan quis dicet, mandatum de Deo amando eſſe mandatum generale, non ſpecialem actum, ſive affectum imperans, ſed ſolùm vetans, ne quis aut flagitiis aut facinoribus Deum offendat, tametſi amoris motibus in Deum nec æſtuet, nec feratur.

Verùm repono ab Alexandro ſeptimo eſſe condemnatam hanc

1 *Fulgentius epiſt. ad Eugyppium. Ut oſtendat ſine charitate ſive dilectione fieri non poſſe ut quis Deum diligere velit.*

hanc propoſitionem, *homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium.*

Ab Innocentio verò undecimo proſcriptas eſſe has propoſitiones. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vitâ eliceret. condemnare non audemus.* Item hanc, *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.* Item hanc, *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſumus.*

Etenim ex his cenſuris manifeſtum eſt, mandato de Deo ex toto corde diligendo præceptum eſſe non ſolùm, ut flagitiis & facinoribus Deum non offendamus, verùm etiam præceptum eſſe, ut illum internis actibus fidei, ſpei, & charitatis veneremur ac promereamur; adeò ut in illum peccet, quicumque divino amore vacuus cor ſuum creaturis addicit, atque affigit.

Repono ſecundò, dubium eſſe non poſſe, quin Deus principi hominis facultati, ejus nempe voluntati, ex cujus amore omnis morum bonitas dependet (nam [m] *mores noſtri,* ut inquit Auguſtinus, *non ex eo quod quiſque novit, ſed ex eo quod diligit, dijudicari ſolent. Nec faciunt bonos vel malos mores, niſi boni vel mali amores*) legem præfixerit. Quid enim abſurdius fingi poſſet, quàm quòd non ſategiſſet de primâ hominis facultate, ex cujus bono vel malo amore homo bonus vel malus exiſtit, dum interim leges præſcripſit tum oculis, tum auribus, tum aliis membris, quorum opera, ſiquidem ex ſe ipſis indifferentia ſint, non aliundè meritum aut demeritum mutuantur, quàm à rectâ aut perversâ voluntate, à quâ imperantur. Hoc ergo mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum*, primam, præcipuam, & inceſſantem humani cordis operationem, nempe amorem ejus afficit ac gubernat. Primum ergo cordis humani officium, prout ſupra etiam oſtendimus, eſt diligere Dominum Deum ſuum.

Hic autem actus divini amoris, ſive hæc Dei dilectio, tam

m *Epiſt. 52. ad Maced.*

tam non poteſt eſſe ſine motu voluntatis, ſive cordis humani, quàm cognitio & reminiſcentia Dei ſine actu intellectus atque memoriæ eſſe non poſſunt. Præcipitur ergo humano cordi, quod ſine amore eſſe non poteſt, ſpecialis actus, tum quia præcipitur amor, non rei cujuſcumque, ſed Domini Dei ſui; tum quia ei præcipitur, ut amor Dei ſit *ex toto corde*, hoc eſt, nullum rivum ex ſe duci patiatur, cujus derivatione minuatur; ſive ut nihil cor diligat, quod non propter Deum diligat, producente amore Dei omnes alios cordis amores.

Hic autem dilectionis actus, quamvis ſit in ſuâ ſpecie ab aliarum facultatum actibus diſtinctus, ſuâ tamen virtute atque imperio ad eos omnes ſeſe extendit, efficiens ut nihil eorum, quæ Deus vetat, perpetretur, & nihil eorum, quæ Deus præcipit, negligatur. Si quis diligit me, inquit Chriſtus, ſermonem meum ſervabit. Neque enim fieri poteſt, ut quem ſuper omnia amas, eum facinoribus aut flagitiis offendas. [u] *Dilige*, inquit Auguſtinus, *& quod vis, fac. Sive taceas, dilectione taceas; ſive clames, dilectione clames; ſive emendes, dilectione emendes; ſive parcas, dilectione parcas. Radix ſit intus dilectionis; non poteſt de iſtâ radice niſi bonum exiſtere.* Idem poſt Auguſtinum magiſtrum ſuum Fulgentius docet. [o] *Charitas ſine bonâ voluntate*, inquit, *non poteſt haberi: quia voluntatem in quâ charitas fuerit, malam fieri non permittit. Charitas enim non agit perperam, nec cogitat malum. Et quia non gaudet ſuper iniquitate, neceſſe eſt, ut, in quâ eſt, bonam faciat voluntatem.* Quia ergo neceſſe eſt, ut etiam omnia alia mandata ſerventur, dum mandatum de diligendo Deo ſervatur, ea propter illud mandatum generale dici poteſt; ſicut ob eandem rationem à Paulo dilectio dicitur eſſe legis plenitudo.

Non autem dici poteſt generale mandatum quaſi cenſeretur impleri, dum alia præcepta forinſecùs ſervantur, tametſi illorum obſervatio ex imperio divini amoris minimè dimanet. Etenim iſtiuſmodi mandatorum obſervatio Dei ocu-

u *Aug. tract. 7. in epiſt. Joan.* o *Epiſt. ad Eugyppium.*

oculis parùm grata. [p] *Si forinſecùs* [c] inquit Auguſtinus; *ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant, nemo eſt tam inſulſus, qui præcepta arbitretur impleri.* Non implentur mandata ſicut ea oportet impleri, dum fit quod Deus præcipit, nec tamen fit propter id, propter quod fieri præcipit. [q] *Propter mercedem terrenam atque carnalem,* inquit Auguſtinus, *Dei mandata conabantur ſervare Judæi, neque faciebant, quia non ipſa, ſed aliud diligebant.* In aliis itaque mandatis non ſervatur mandatum de Deo diligendo, niſi illorum obſervatio prodeat ex radice charitatis eam imperantis.

Et quia Deus vult, ut omnia noſtra *in charitate fiant*, ſive ut omnia præcepta ex charitatis ſervemus imperio, propterea ait Gregorius Magnus, [r] *omne mandatum de ſolà dilectione eſſe, & omnia unum præceptum eſſe; quia quicquid præcipitur in ſolà charitate ſolidatur. Ut enim,* inquit, *multi arboris rami ex unâ radice prodeunt, ſic multæ virtutes ex unâ charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis. Præcepta ergo Dominica & multa ſunt, & unum: multa per diverſitatem operis, unum in radice charitatis.* Mandatum itaque primum & maximum non ſervatur in aliis præceptis, dum forinſecùs fiunt, ſed potiùs in illo alia ſervantur & adimplentur: quia amor Dei in corde regnans non permittit, ut agendo vel omittendo dilectus offendatur: vel quia victrix dilectio ad omnia mandata Dei expedita eſt: [t] *Nam fides quæ per dilectionem operatur, etſi non ſit, in quo exterius operetur, in corde tamen illa fervens ſervatur.*

Ex quo conficitur ſine actu & motu amoris tam non perfici mandatum, quo jubemur Deum ſuper omnia amare, quàm ſine cogitatione & attentione mentis non perficitur præceptum, quo jubemur de Deo cogitare, eumque in mente præſentem habere. Requiritur itaque ad redintegrandam noſtram cum Deo amicitiam actus divini amoris, ſi-

p Quæſt. 54. ſuper Deuteron. q Aug. in pſal. 118. r Greg. hom. 27. in Evang. t Aug. Serm. 72. de temp.

ſiquidem ex omnium conſenſu ad eam requiratur dolor de peccatis præteritis, & propoſitum non peccandi de cætero, quod propoſitum in nobis eſſe non poteſt ſine propoſito ſervandi divina mandata, quorum primum & maximum eſt de Deo ſuper omnia diligendo. Hoc autem mandatum, ut demonſtratum eſt, ſine actu divini amoris obſervari non poteſt. [x] *Summum bonum*, inquit Auguſtinus, *quod etiam optimum dicitur, non modò diligendum eſſe nemo ambigit, ſed ità diligendum, ut nihil ampliùs diligere debeamus*; idque ſignificatur & exprimitur, eo quòd dictum eſt, ex totâ animâ, & ex toto corde, & ex totâ mente. Diligere autem agentis & non ceſſantis eſt. Ut liqueat hìc de habituali amore minimè agi. Quod eodem loco Auguſtinus diſertiſſimè indicat, dum ait: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum.* Motus igitur animi ſive vitalis actio præcipitur, non habitus, de quo præcepta non dantur. Hoc etiam advertit ſanctus Thomas, dum non uno loco docet, quòd præcepta non dantur de habitibus, ſed de actibus virtutum. Nec modò id generatim de cæteris præceptis, ſed ſpeciatim de actu amoris Dei tradit. [y] *Licet charitas*, inquit, *ſit una virtus, habet tamen duos actus, quorum unus ordinatur ad alium ſicut ad finem. Præcepta autem dantur de actibus virtutum, & ideo oportuit eſſe plura præcepta charitatis.* Neque enim vult Deus, ut eum habitibus, qui dormientibus & ceſſantibus ineſſe poſſunt, ſed ut, quemadmodum ait Joannes, eum [z] *opere & veritate diligamus* atque colamus. Dum præcipit ut ablata reſtituamus, non reſtitutionis habitum, quo nemo, quod ſuum eſt, recipit, ſed actum præſcribit, quo redditur, quod ablatum erat. Dum eleëmoſynas fieri jubet, non de habitibus, quibus pauper non paſcitur, ſed de erogatione victûs, quo pauper ſuſtentatur, ſermo eſt. Dum parentibus mandatur, ut in timore Domini ſuas proles educent, actualis cura, quæ ſola proli prodeſt, non habitualis, à quâ nulla inſtructio dimanat, à Deo præcipitur. Præci-

x *Aug. lib. de moribus Eccleſ. Cathol. c.* 11. y 2.2. Q. 39. a. 4. *ibid. art.* 2. *ad* 1. z 1 *Epiſt. c.* 3. *v.* 18.

cipiuntur ergo non habitudines, ſed actiones, non ceſſantes qualitates, ſed conatus & opera.

Quod ſi habitus virtutum à nobis exigat, non eos exigit, ut ab actionibus ceſſemus; ſed ut cum virtutum habitibus perfectiùs & faciliùs operemur. Dum ergo jubet Deus, ut ſe diligamus ex toto corde, tum jubet ſe diligi dilectione actuosâ, non ceſſante; dilectione vigili, non ſopitâ; dilectione attentâ, non verò dilectione, quæ inſtar ſopitorum habituum ſine cogitatione, ſine attentione, & ſine actione exiſtimatur reperiri. Manet itaque certum & evidens, adultos ſine actuali amore Dei nec peccatorum remiſſionem nec juſtificationem poſſe adipiſci; atque, ſi doctrina Concilii Tridentini ſpectatur, neminem cum Deo redire in gratiam, qui non deſideret cuſtodire primum & maximum mandatum, neminemque iſtud velle obſervare, quin illud reverà obſervet: *ibi enim facultas ea quæ voluntas, & ipſum velle facere eſt.*

CAPUT VII.

1. Gentilis eſt pœnitentia, quæ dolet de bonis operibus. 2. Non pœnitendum niſi de peccato. 3. pœnitentia punit ac deteſtatur peccatum. 4. non tantùm propter gehennam, ſed propter ſe ipſum. 5. peccatum non verè odio habetur, quando propter gehennam odio habetur. 6. non remittitur, niſi dum propter ſe ipſum odio habetur; nec propter ſe ipſum odio habetur, niſi diligatur juſtitia.

§. 1. EGimus ſuperiori capite de contritione, quatenus continet propoſitum non peccandi de cætero; hoc autem capite de illâ tractabimus, prout eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo.

Tertullianus de pœnitentiâ agens, gentilibus vitio dat, quòd contra rationem ipſos bonorum operum tum pœniteret, cùm illi, quibus benefecerant, ingrati beneficiis vi-

cem non redderent. [a]*Quàm*, inquit, *in pœnitentiæ actu irrationabiliter deverſentur, vel uno iſto ſatis erit expedire, cùm illam etiam in bonis factis ſuis adhibent. Pœnitet fidei, amoris, ſimplicitatis, patientiæ, miſericordiæ; prout quid in ingratiam cecidit, ſemetipſos execrantur, quia benefecerint: eamquè maximè pœnitentiæ ſpeciem, quæ optimis operibus irrogatur, in corde figunt; meminiſſe curantes, ne quid boni rursùs præſtent: contra pœnitentiæ malorum leviùs incubant. Denique faciliùs per eandem delinquunt, quàm per eam rectè faciunt.* Optandum foret hunc pœnitentiæ abuſum penes ſolos gentiles eſſe: etiam Chriſtiani hoc vitio laborant. Si de quopiam, qui beneficia beneficiis non rependit, benè meriti ſint, ſuam accuſant imprudentiam, quæ indignis benefecerit; ſimplicitatem, quæ de malis, dum boni apparebant, benè fuerit opinata; amorem, qui non redamantes potuerit amare. Eam quoque pœnitentiæ ſpeciem, quæ optimis operibus irrogatur, Chriſtiani ſæpè in corde figunt, dum immemores Evangelii non cogitant, quæcumque bona ſimplici oculo, id eſt, non intento, niſi in unum & ſimplex bonum, Deum ſuum, erogantur, æterno præmio, ſummo bono fore remuneranda. Denique plurimi Chriſtiani faciliùs per eandem delinquunt, quàm per eam rectè faciunt; quia ſæpè execrantes, quòd benefecerint, proponunt verbis & factis ingratos lædere. Quod ſi, ut cum eodem Tertulliano loquar, *Dei, ac per hoc rationis quoque compotes agerent, merita primo pœnitentiæ expenderent, nec unquam eam ad argumentum perverſæ emendationis adhiberent; modum denique pœnitendi temperarent*, quia & delinquendi tenerent, timentes Dominum ſcilicet. Sed hæc ſatis de gentilium & pſeudochriſtianorum ſtultâ & peccatrice pœnitentiâ. De peccato pœnitendum eſt. Illud, illud deteſtandum, illud afficiendum pœnis. Peccatum enim impunitum eſſe non poteſt. Si peccatum impunitum remaneat, injuſtum eſt. Ergo ſine dubitatione puniendum eſt. [b]*Hoc tibi*, inquit Auguſtinus, *dicit Deus*

 tuus:

a *Tertull. de pœnit. c. 1.* b *Serm. 4. inter eos, quos edidit Sirmondus.*

tuus: puniendum eſt peccatum, aut à te, aut à me. Punitur ergo peccatum, aut ab homine pœnitente, aut à Deo judicante. Punitur ergo aut à te ſine Deo, aut à Deo tecum. Quid eſt enim, inquit idem ſanctus, *pœnitentia, niſi ſua in ſemetipſum iracundia? Qui pœnitet, iraſcitur ſibi.*

§.3. Vera pœnitentia, quemadmodum non niſi de peccato commiſſo dolet, ità non contenta eſt ab eo ceſſare, niſi etiam illud dolendo, flendo & vindictam exigendo delere contenderit. [c] Neque enim ſcriptor, inquit Gregorius „ Magnus, ſi à ſcriptione ceſſaverit, quia alia non addidit, „ etiam illa, quæ ſcripſerat, delevit; nec qui contumelias „ irrogat, ſi ſolummodò tacuerit, ſatisfacit: cùm profectò neceſſe ſit, ut verba præmiſſæ ſuperbiæ verbis ſubjunctæ humilitatis impugnet; nec debitor abſolutus eſt, quia „ alia non multiplicat, niſi & illa, quæ contraxerat, debita ſolvat. Ita & cùm in Deum delinquimus, nequaquam „ ſatisfacimus, ſi ab iniquitate ceſſamus, niſi voluptates quoque, quas diliximus, contrariò appoſitis lamentis inſequamur. Si enim nulla nos in hâc vitâ culpa maculaſſet, nequaquàm nobis hîc adhuc degentibus ipſa ad ſecuritatem „ innocentia ſufficeret, quia illicita animum multa pulſarent. „ Quâ ergo mente ſecurus eſt, qui perpetratis iniquitatibus „ ipſe ſibi teſtis eſt, quia innocens non eſt? Neque enim „ Deus noſtris cruciatibus paſcitur; ſed delictorum morbos „ medicamentis contrariis medetur; ut, qui voluptatibus „ delectati diſceſſimus, rursùm fletibus amaricati redeamus: „ & qui per illicita defluendo cecidimus, etiam à licitis nos „ reſtringendo ſurgamus: & cor, quod vana lætitia effuderat, ſalubris pœnitentia exurat: & quod vulneraverat elatio ſuperbiæ, curet abjectio humilis vitæ. Undè etiam meritò Concilium Tridentinum definivit veram contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere; juxta illud: PROJICITE À VOBIS OMNES INIQUITATES VESTRAS, IN QUIBUS PRÆVARICATI ESTIS, ET FACITE VOBIS COR NOVUM ET SPI-

c 3. *Part. Reg. paſt. Admon.* 31.

SPIRITUM NOVUM. *Et certè*, ut idem Concilium ait, *qui illos ſanctorum clamores conſideraverit*: TIBI SOLI PECCAVI, ET MALUM CORAM TE FECI. LABORAVI IN GEMITU MEO. LAVABO PER SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM. RECOGITABO TIBI OMNES ANNOS MEOS IN AMARITUDINE ANIMÆ MEÆ: *& alios hujus generis; facilè intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe.*

§. 4. Porrò quamvis omnes Catholici ad veram pœnitentiam, odium ac deteſtationem peccati commiſſi exigant; non tamen inter ipſos omnes convenit, quâ ratione peccatum ſit deteſtandum, aliis contendentibus iſtud odium ſufficere, quod peccatum ſub eà ratione odit, quâ pœnas æternas nobis inferens integritatì noſtræ, commodo, ac quieti contrarium eſt; aliis aſſerentibus, non aliam peccati deteſtationem peccatori reconciliando idoneam eſſe, præter illam, quæ peccatum odit, quatenùs injuſtum, ac divinæ juſtitiæ adverſum eſt. His venerandus ſanctorum Patrum Senatus, quorum ſapientia de porticu Salomonis eſt, auctoritatem præbet; iſtis ſuffragatur nonnulla ſcholaſticorum turba, qui verſatilem diſputandi artem in Lyceo ab Ariſtotele didicerunt.

Si Chryſoſtomo credimus, fatebimur eos omnes, ſi alia cauſa deeſſet, vel ideò ſolùm æternis pœnis dignos eſſe, qui gehennam magìs, quàm peccatum exhorreſcunt. [d] *Deum enim offendiſſe*, inquit ſanctus Chryſoſtomus, *quàm puniri gravius.* Unde ibidem eos acerrimè reprehendit, qui ſe gehennæ timore potiùs, quàm amore juſtitiæ à criminibus continent. *Nunc verò*, inquit, *tam miſerè nos habemus, quòd niſi gehennæ timor eſſet, non eligeremus boni quid facere.* Propterea ſi non ex quoquam alio, ex hoc certè gehennâ digni eſſemus, gehennam plùs quàm Deum timentes. Deinde probat Paulum magìs Deum, quàm gehennam timuiſſe, magìſque Dei offenſam, quàm infernum formidaſſe. *Non ita Beatus Paulus*, inquit, *ſed in contrarium. Sed quoniam nos*

d *Homil. 5. in Epiſt. ad Rom.*

aliter, propterea gehennæ damnamur. Deinde hanc hominum turpitudinem magis infernum, quàm peccata timentium, ait ex eo manare, quòd deſtituti amore Chriſti, peccati dedecus nec cognoſcere, nec dijudicare valeant. *Quippe ſi Chriſtum,* inquit, *diligeremus, ſicut oportet diligere, cognoſceremus, quòd gehennâ gravius eſt, dilectum offendere: quoniam autem,* pergit idem ſanctus, *non diligimus, hujus pœnæ ignoramus magnitudinem.*

St. Hieronymus, poſtquam Ruſticum Monachum ad extirpanda vitia hortatus fuerat, eum deindè docet, quo fine illud ſtudium à Chriſtiano capeſſendum ſit, nempè amore virtutis & deſiderio ſervandæ divinæ legis, non verò cupidine ullius commodi temporalis, aut propriæ quietis. [e] *Philoſophi ſæculi,* inquit, *ſolent amorem veterem amore novo, quaſi clavum clavo expellere: quod & Aſſuero Regi ſeptem principes fecêre Perſarum, ut Vaſthi Reginæ deſiderium aliarum puellarum amore compeſcerent. Illi vitium vitio, peccatumquè peccato medicantur: nos amore virtutum vitia ſuperemus.* DECLINA, *ait,* à MALO, ET FAC BONUM: QUÆRE PACEM, ET PERSEQUERE EAM. *Niſi oderimus malum, bonum amare non poſſumus: quin potiùs faciendum eſt bonum, ut declinemus à malo.* Vult ergo Hieronymus, ut amore virtutum turpitudinem vitiorum reformidemus.

Sanctus Ambroſius jubet, ut reus vitia pœnitentiæ operibus ità impugnet, ità eorum fœditatem fletibus abluat, ità humilitate eorum faſtum conterat, [f] *ut de ipſo dicat Dominus Jeſus: Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Conſtituit ergo in amore meritum, ut peccata relaxentur, & videtur exiſtimare, non aliis, quàm Chriſtum amantibus, ea remitti.

St. Auguſtinus eos inimicos juſtitiæ dicit, qui pœnæ timore non peccant, aitquè, ut quis juſtus evadat, neceſſarium eſſe, ut quis peccatum ipſum ſicut gehennas oderit. [g] *Inimicus,* inquit, *juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat: ami-*

e *Hieron. ep. 4. ad Ruſtic. Monach.* f *Ambroſ. l. 1. de pœnit. c. 16*
g *Aug. epiſt. 144.*

amicus autem erit, ſi ejus amore non peccet; tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit. Vult igitur ſanctus Auguſtinus, ut peccatum in ſe ipſo ſpectatum, quatenùs ſcilicet peccatum eſt, ſive quatenùs æternæ juſtitiæ oppoſitum eſt, eatenùs enim peccatum eſt, odio habeatur.

Alibi idem ſanctus jubet, ut examinantes occulta conſcientiæ noſtræ ea confiteamur, accuſemus, & odio habeamus, ſi divinæ juſtitiæ eſſe contraria reperiamus. Ac deinde ait, iſto peccati odio nos Deo ſimiles reddi, qui peccatum non propter gehennas; ſed ideò odit, quia ejus juſtitiæ „adverſum eſt. [h] Nos ergo, inquit, reſpiciamus nos; & „ſi nihil in nobis invenerimus, niſi peccata, oderimus pec„cata, & deſideremus juſtitiam. Cùm enim, ait, cœperi„mus odiſſe peccata, jam ipſum odium peccatorum ſimiles „nos incipit facere Deo, quia hoc odimus, quod odit & „Deus. His ſuis dictis ſubjungit Auguſtinus, Deum ad neminem tanquam ad ſuum venire amicum, qui per iſtam juſtitiam, quæ in accuſatione & odio peccati poſita eſt, ſuum cor ad Chriſti adventum non præparaverit. Exponens enim illa verba: *Juſtitia ante eum præibit, & ponet in via greſſus „ſuos*, ita loquitur: Juſtitia illa eſt, quæ eſt in confeſſione „peccatorum. Veritas enim ipſa eſt: juſtus enim debes eſſe „in te, ut punias te: ipſa prima eſt hominis juſtitia, ut pu„nias te malum, & faciat te Deus bonum. Quia ergo, ait „deinde idem ſanctus, ipſa eſt prima hominis juſtitia, ipſa „fit via Deo, ut veniat ad te Deus: ibi illi fac viam in con„feſſione peccatorum. Ideò & Joannes cùm baptizaret in „aquâ pœnitentiæ, & vellet ad ſe venire pœnitentes de ſuis „prioribus factis, dicebat hoc, *Parate viam Domino, & „rectas facite ſemitas ejus.* Placebas tibi in peccatis tuis ò ho„mo, diſpliceat tibi quod eras, ut poſſis eſſe quod non „eras. Parate viam Domino; præcedat iſta juſtitia, ut con„fitearis peccata.

Sicut his verbis Auguſtinus docet, ſine odio peccati & de-

h *Aug. in pſal.* 84.

ſiderio juſtitiæ ad Deum venire neminem, ut in eo per gratiam commoretur, ita pariter docet Gregorius Magnus, neminem à peccato recedere, qui ſe, ne illud committat, ſolo conſtringit timore. [i] *Sancta*, inquit, *electorum Eccleſia ſimplicitatis & rectitudinis ſuæ vias timore inchoat, ſed charitate conſummat: cui tunc eſt funditùs à malo recedere, cùm ex amore Dei jam cœperat nolle peccare. Cùm verò adhuc timore*, ſive odio inferni, *bona agit, à malo penitùs non receſſit; quia eo ipſo peccat, quo peccare vellet, ſi inultè potuiſſet.* [k] Alibi fortiùs eandem veritatem exprimit, ità Deum alloquens: *In conſpectu tuo juſtus eſſe non valet, qui tibi non per dilectionem, ſed per formidinem ſervit.* Qui ergo ipſa peccata non deteſtatur, licet inferni pœnas maximè habeat exoſas, coram Deo tamen juſtus eſſe non poteſt. Nam peccata non deteſtatur, qui ea non deteſtatur ex amore juſtitiæ, ſed ſolùm ex odio pœnæ.

§. 5. Etenim docet ratio illud haud propriè odio haberi, quod non propter ſe, ſed propter aliud odio habetur. Nam ſicut, (cum Bernardo loquor.) [l] *Quicquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quò amoris finis pertendit*, non per quod tendit: ità quicquid propter aliud odio proſequeris, illud odio proſequeris, quò odii finis tendit, non per quod tendit. Dum quis delicatulus horret curationem corporis propter medicamentorum amaritudinem, non curationem propriè horret, ſed horret amaritudinem, quæ eſt in medicamentis. Qui opiparas menſas propter ſumptus refugit, non menſarum delicias, ſed expenſas propriè refugit. Qui navigationem non niſi propter naufragia odit, non ſecuram navigationem, ſed ſola odit naufragia. Nemo dixerit Regium Prophetam malos, quatenùs creaturæ ſunt, odio habuiſſe, quando eos odio habebat, non propter naturam, quam Deus fecerat, ſed propter peccatum, quod ipſi fecerant. [m] *Nonne*, inquit Deo, *qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos.* [n] „Quid eſt perfecto odio? O-„ de-

i *Gregor. l. 1. Moral. c. 11.* k *Ibid. l. 11. c. 20.* l *Bernard. epiſt. 11.* m *Pſal. 138.* n *Ibid. Auguſtin.*

„ deram in eis iniquitatem eorum, diligebam conditionem „ tuam. Hoc eſt perfectò odio odiſſe, ut nec propter vitia „ homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Sicut ergo homines non propriè odio habentur, dum propter ſua vitia odio habentur, ità pariter nec peccata propriè odio habentur, quando ſolùm propter pœnas, quas merentur, odio habentur.

Miſerrimè contra hoc telum ſe illi defendunt, qui dicunt peccatum verè odio haberi timeriquè, quando propter infernum odio habetur ac fugitur; quemadmodum lupus, verè horretur & fugitur, quando ob læſionem, quam infert, horretur ac fugitur. Etenim quando lupus fugitur ob malum, quod ab eo timetur, tunc propter ſe ipſum tanquam læſionis cauſam efficientem fugitur & timetur; perindè ſicuti infernus propter ſe ipſum horrori eſt, quando horretur propter dolores, quibus ipſe damnatos excruciat. Non eſt ergo lupus exemplum rei, quæ propter aliud timetur; ſed eſt exemplum ejus, quæ propter ſe ipſam formidini eſt. In turpem ergo paralogiſmum illi prolabuntur, qui exemplo lupi, adinſtar inferni, per ſe ipſum exoſi, nituntur probare peccatum revera odio haberi, tametſi nonniſi propter pœnas, quas infert infernus, odio habeatur. Perinde ergo peccatum propter infernum fugitur, ſicuti via lupis infeſta, propter lupos timetur. Et ſicuti talis via non propriè horretur, dum nonniſi propter lupos horretur; ita horror noſter, quo peccatum propter infernum exhorreſcimus, non propriè peccatum, ſed infernum exhorreſcit. Nam ſicuti viæ iſtiuſmodi odium mox evaneſcit, atque à graſſatione luporum libera creditur; ita omnis timor, odiumquè peccati, dum iſtud non niſi propter infernum timetur atque horretur, ſublato inferno, promiſſâque impunitate, mox evaneſceret. Eſt itaque indubitatum, nihil propriè timeri præterquam iſtud, quod propter ſemetipſum timori horrorique eſt: quod in peccatis veriſſimum eſt: nam dum illa propter infernum, qui ab illis differentiâ naturæ valdè diſtinctus eſt, horrori ſunt; per ſe ipſa tamen, quia blanda & jucunda ſunt, pla-

cent iſtis hominibus, quos divini amoris dulcedo deſtituit. Nam non amantibus divinæ juſtitiæ pulchritudinem, licet infernum timeant, in ſe ipſis ſpectata placet excellentia, ſcientia, voluptas, ſufficientia, quies &c. quas in creaturis, neglecto Creatore, in quo ſolo reperiuntur, ſuperbi, curioſi, luxurioſi, avari & deſides quærunt. Placet ergo illis dulcedo peccati eodem tempore, quo illos terret, vel cruciat gehenna.

Illi autem peccatum propter ſe ipſum deteſtantur, qui recreati pulchritudine divinæ juſtitiæ ipſum peccati dedecus adeò exhorreſcunt, ut ne quidem illud, tametſi poſſent impunè, committere vellent. Non horrent itaque dedecus peccati, quod turpis concupiſcentia perpetrat, propter decus vindictæ, quod adoranda juſtitia decernit: ſed ipſi decore vindictæ ſe ipſos ornant, ut contra peccati fœditatem ſua odia exercentes, eam tollant & deſtruant. Hoc peccati odium, hæc deteſtatio Deo grata: & hæc eſt, quam Concilium Tridentinum exigit tanquam omninò neceſſariam, ut quis cum Deo in gratiam redire poſſit.

§. 6. Sine iſto odio & deteſtatione peccati nulla eſt peccati venia, nulla remiſſio, tametſi in ſacramentis baptiſmi aut pœnitentiæ cum gehennæ timore quæratur. Ut quis ex flagitiorum ac ſcelerum reo in Dei amicum evadere valeat, ità eum animo affectum eſſe oportet, ut verè Domino cantare poſſit: [o] *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum; legem autem tuam dilexi.* Hæc verba nemo rectè uſurpaverit, qui Deum non ſuper omnia dilexerit. Undè ab Alberto Pighio Eccleſiæ Ultrajectenſis ad ſanctum Joannem Præpoſito, in iis controverſiis, quas Paulo tertio Pontifici Maximo inſcripſit, præclarè ſcriptum: [p] Si ex
„ Dei tantùm amore procedat ejuſmodi peccatorum deteſta-
„ tio, ac diſplicentia, ità tamen, ut Dei amor primas te-
„ neat, & amori noſtro præponderet, & ea quoque pœni-
„ tudo & contritio ſalutaris eſt: quoniam eâ ità deteſtamur
„ divinam offenſam, ut ob rem nullam velimus Deum of-
„ fendiſſe ampliùs. Sed ſi Dei amor nondum vicerit in regno
„ ani-

o *Pſ.* 118. 163. p *Controverſ.* 9.

„ animæ, ſit verò, quod illi præfero, illo plùs diligo, nec
„ ex ejuſmodi quidem amore ſalutaris pœnitentia, pecca-
„ torumquè deteſtatio proficiſcitur. Quæ niſi ſimpliciter,
„ & in univerſum diſpliceant, quia divinæ majeſtatis oculos
„ offenderunt, atque ità diſpliceant, ut ob nullam rem,
„ nec vitam quidem propriam ſervandam, ipſum velimus
„ offendiſſe ampliùs, & ſincero hoc ipſum corde agatur,
„ non ore tantùm dicatur, & labiis; non eſt ea ſalutaris, ut
„ diximus, pœnitentia. Talis verò eſſe non poteſt, niſi
„ ex vincenti Dei amore procedat. Nam ſi eſt, quod illi
„ præſero, conſequens eſt, ut non dubitem in illius plùs
„ amati gratiam, minùs amatum Deum offendere. Quo af-
„ fectu quamdiu ſum, cor verè contritum humiliatumquè
„ non habeo. Certè non eſſe rem tam levem, tam facilem,
„ tamquè perfunctoriè peragendam, quàm vulgò creditur,
„ pœnitudinem, per quam Deo reconciliari quærimus, imò
„ ex totò corde nobis quærendam ſalutem noſtram, ubique
„ clamat divina ſcriptura, & ſancti Patres nos commoneſa-
„ ciunt. Itaque per Moyſen, quæ mala manerent peccato-
„ res & legum ſuarum transgreſſores, hoc eſt, captivita-
„ tem, exterminium, & alia quàm plurima populo ſuo præ-
„ dicens ac denuncians Dominus, hoc tamen adjecit, pa-
„ ratum ſe ſemper, vel in mediis malis revertenti ad ſe igno-
„ ſcere, & impartiri ſuam gratiam, modò ex toto corde re-
„ vertatur. q *Cùm*, inquit, *quæſieris ibi*, hoc eſt, in ter-
„ râ captivitatis tuæ, in quam ob peccata tua ejectus fueras,
„ *Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto*
„ *corde quæſieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Toto
„ ergo corde quærendus nobis eſt, ſi modò ejus gratiam
„ invenire voluerimus. Quod ſi fiat, jam amor ejus amores
„ omnium, qui ſunt in corde noſtro, revera vincat, &
„ ſuperet neceſſe eſt. Per amorem enim quæritur, & ſimul
„ cum tribulatione animæ noſtræ, afflictione & diſplicentiâ
„ de eo quòd ipſum offendimus. Quæ non qualiſcumque
„ ſufficit, ſed tota ſit oportet: hoc eſt, perfecta, vincens,
„ & dominans, ita ut nihil æquè nobis ac peccaſſe diſpliceat.
„ Dicit proinde, tum demum, nec aliter nos invenire Deum

q *Deut.* 4. 29.

 „ pro-

„ propitium, poſtquam ipſum offendimus, ſi toto corde,
„ hoc eſt, amoris affectu, & totâ animæ tribulatione, &
„ animi contritione, & diſplicentiâ divinæ offenſæ ipſum
„ quæſierimus. Ità ubique, ut toto corde peccatores con-
„ vertantur, revertanturque ad Dominum, quò viciſſim
„ convertatur ad ipſos, ſcriptura clamat, atque intonat,
„ hoc facientibus beatitudinem ſalutemque promittens.

CAPUT VIII.

1. *Non debili, ſed robuſtâ voluntate ceſſatur à peccatis, non ſolùm externis; ſed etiam internis. 2. probatur quòd voluntas peccandi non excludatur per timorem pœnæ ab amore juſtitiæ ſejunctum. 3. id ipſum alio, nempe ex naturâ peccati petito argumento aſſeritur. 4. contrariæ ſententiæ auctores eâ ipsâ ratione arguuntur erroris, quam pro ſe afferunt. 5. impium eſt aſſerere quod Chriſtiano Dei amor non ſit præceptus, ſed ſolùm ſit illi vetitum, ne illum odio proſequatur. 6. concluditur non metu gehennæ, ſed juſtitiæ duntaxat amore voluntatem peccandi excludi.*

§. 1. CAtholici ſemper crediderunt, uti ſupra oſtendimus, ad remiſſionem peccatorum neceſſariam eſſe ceſſationem à peccato.

Ceſſatur autem à peccato, non quidem cùm voluntas debilis eſt, qualis erat Auguſtini, dum peccata relinquere
„ volebat, nec tamen re ipsâ relinquebat. q Sarcina, inquit,
„ ſæculi, velut ſomno aſſolet, dulciter premebar; & co-
„ gitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conati-
„ bus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis al-
„ titudine remerguntur. Et ſicut nemo eſt, qui dormire
„ ſemper velit, omniumquè ſano judicio vigilare præſtat;
„ diſ-

q *Aug. l. 8. Confeſ. c. 5.*

„ differt tamen plerumque homo ſomnum excutere, cùm „ gravis torpor in membris eſt, eumque jam diſplicentem „ carpit libentiùs, quamvis ſurgendi tempus advenerit; itâ „ certum habebam, eſſe melius tuæ charitati me dedere, „ quàm meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat & vince- „ bat, hoc libebat & vinciebat. Non ceſſatur ergo à pecca- to per voluntatem infirmam, ſed per fortem & robuſtam, qualem in ſe ſentiebat Auguſtinus, dum ex imo altoquè captivitatis ſecreto liberum ejus arbitrium poſt longam duramquè luctam in momento evocabatur, ut ſubjiceret ipſe cervicem ſuam leni jugo Chriſti, & levi ſarcinæ ejus ſuos „ humeros ſubderet, ac ſubditus exclamaret: [r] Quam ſua- „ ve mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum, & „ quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. „ Ejiciebas enim eas, inquit ibidem Deo ſuo, à me, vera „ tu & ſumma ſuavitas: ejiciebas, & intrabas pro eis omni „ voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luce „ clarior, ſed omni ſecreto interior, omni honore ſubli- „ mior, ſed non ſublimibus in ſe.

Non ſatis eſt vacatio à peccatis, quæ foris patent, niſi etiam ab internis peccatis, ſive à peccatorum affectibus animus ferietur. Verbum Salomonis eſt, [s] *Omni cuſtodiâ ſer-* „ *vâ cor tuum, quia ab ipſo vita procedit.* [t] Non enim ſatis „ eſt ad ſalutem, ſicut præclarè ait Petrus Bleſenſis, extraor- „ dinarios reprimere motus carnis, quos à noſtræ originis „ corruptione contraximus, niſi profectus animæ ſummâ „ diligentiâ procuremus. Quid enim prodeſt, quemad- „ modum ait idem auctor, ſi extra aut circa vineam ſtirpes „ ſpinarum veternoſas explantes, nec ſpinas aut tribulos in- „ teriùs eradices? Non decet etiam de partu ancillæ eſſe ſol- „ licitum, & in dominâ non dolere ſterilitatis opprobrium. „ Non expedit, ut terram corporis pœnitentialiter excolas, „ ſi de animâ plantaria ſuperbiæ, cupiditatis, & invidiæ non „ evellas. Nec etiam multum intereſt, ſi domitâ carne pec- „ catum obtineat mentis arcem, ut, qui foris victor appa- „ ret,

r *Aug. l. 9. Confeſ. c. 1.* s *Proverb. 4. 23.* t *Petrus Bleſenſis lib. de Confeſ. ſacramentali.*

„ret, partem ſui perdiderit meliorem. Iis, qui tali ſtudio tenentur, ait Salvator: q *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi, qui mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapinâ & immunditiâ. Phariſæe cæce, munda priùs quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat id, quod deforis eſt, mundum. Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ; quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ aforis apparent hominibus ſpecioſa, intùs verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitiâ. Sic & vos aforis quidem paretis hominibus juſti, intùs autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.* Ceſſandum ergo eſt à malâ voluntate; unde etiam in Concilio Tridentino docetur contritionem imperfectam, ſive attritionem non diſponere ad juſtitiam; niſi quatenus nòn ſolùm peccatum, ſed etiam voluntatem peccandi excludit.

§. 2. Et hâc quidem de re nulla inter Chriſtianos diſcordia eſt, omnibus credentibus, neminem juſtitiâ & remiſſione peccatorum donari poſſe, niſi voluntatem mortaliter peccandi animitùs deponat. Verùm magnâ contentione inter Theologos diſputatur, num timor gehennæ Dei amore carens voluntatem mortaliter peccandi excludere poſſit. Et quamvis, cui parti in hoc opinionum conflictu adhærendum ſit, ex iis, quæ hactenùs diximus, facilè diſcerni poſſit; attamen ut veritas clariùs eluceſcat, erit operæ pretium, hîc unam aut alteram rationem afferre, quæ oſtendat voluntatem peccandi non timori gehennæ, ſed ſolùm cedere amori juſtitiæ incommutabilis. Is à quo voluntas peccandi exulat, ita animo comparatus eſt, ut nollet ab æternâ lege recedere, tametſi nullum bonorum, quæ amat, amiſſurus, nec ullum malorum, quæ timet, paſſurus foret. E contra ille, qui eâ ſolùm de causâ facit, quod jubetur, quia timet pœnas incurrere, quas lex minatur, bonaquè amittere, quibus animo adhæreſcit; is ita affectus atque conſtitutus eſt, ut ab officio recederet, niſi ad officium timoribus & pollicitationibus urgeretur. Nam ſi certus bonorum, quæ concupiſcit, & ſecurus contra mala, quæ metuit, à divinâ juſtitiâ vellet deflectere, id argumento foret, quòd re-

q *Matth.* 23.

bus

bus vetitis animo adhæreret, & in illa corde propenderet; nec ei juſtitia per ſe ipſam placeret; ſed mente ab eâ foret averſus; nam niſi ei diſpliceret, ab eâ recedere non averet; nemo enim illud, quod ipſum delectat, refugit, niſi vel contrariâ atque majore delectatione, vel malorum impendentium timore, ut illud refugiat, compellatur. Quòd autem nobis juſtitiæ pulchritudo moleſta ſit, quòdque aliæ res magìs, quàm ipſa, delectent, earumquè nos magìs, quàm juſtitiæ, terreat amiſſio, ægrotantis eſt animi, cui bonum ſuum atque perfectio tædioſa & oneroſa ſunt: juſtitia enim verum hominis bonum, veraquè ejus perfectio atque felicitas eſt, quæ ſanis mentibus nunquam gravis, nunquam moleſta, nunquam tædioſa eſſe poteſt. Is ergò, à quo voluntas peccandi ſecluſa eſt, delectatus pulchritudine juſtitiæ, eam propter ſe ipſam diligit, nec cupidine alterius boni, nec formidine alterius mali eam amplectitur, quemadmodum ſanitatis amantes, hauriunt, quas non amant, potiones; vel quemadmodum timentes naufragia jactum faciunt bonorum, quæ retinere vellent, niſi majoris mali periculum, ut ea projicerent, ipſos urgeret. Qui enim ſolò impendentis mali timore ad id, quod facit, urgetur, ei id, quod facit, grave atque moleſtum eſt. Undè qui ob eam ſolùm rationem facit quod Deus jubet, quia timet, quod Deus minatur, ei mandatum eſt onus grave & jugum affligens. Non poſſunt autem juſtiſſima atque æquiſſima Dei mandata voluntatem inſtar ponderis onerare, & inſtar jugi affligere, niſi quatenùs ægra morbidis deſideriis ſuæ saluti contraria concupiſcit. Nam mandata per ſe ipſa voluntatem oblectant, eiquè onus leve ac jugum ſuave ſunt; nec premunt vice ponderum, ſed ſublevant vice pennarum. Quis enim ſuâ ſalute premi, quis ſuâ felicitate cruciari, quis ſuò bono affligi poſſet, niſi concupiſcentia & cæcitas, morbi animorum, ea faſtidirent? Dum ergo opus eſt pœnarum timore, ut quis feratur in illud, quod Deus jubet, tunc neceſſe eſt, ut voluntas vel præ cæcitate ignoret, vel præ nauſeâ faſtidiat bonum ac felicitatem ſuam; nam illuminata & ſana in illud ſuâ ſponte ferretur, nec minis ac pœnis compel-

pellenda foret. Timor ergo non excludit voluntatem malam; ſed eam averſam, dum urget, malam eſſe oſtendit: neque enim reluctaretur jubenti juſtitiæ, niſi ægra malaquè foret. Manet autem tamdiu mala, quamdiu ei juſtitia per ſe ipſam non placet, quamdiu mandatum velut onus grave & jugum durum averſatur, quamdiu opus eſt, ut metu pœnarum ad illud amplectendum compellatur. Nam ſi ſana foret, præcipientem juſtitiam tanquam bonum ac beatitudinem ſuam intimis affectibus proſequeretur, & tam parùm metu pœnarum ad eam ſectandam compelleretur, quàm parùm urgetur metu ſuppliciorum vel caſta conjux, ut conjugalem marito ſervet fidem, vel probus filius, ut patri deferat honorem, vel pia mater, ut ſui uteri infantem curet ac nutriat. Et in hoc ſenſu ait Apoſtolus, *Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis & non ſubditis*, hoc eſt, ei non eſt impoſita tanquam onus, quod ipſum gravet, dum minando pœnas cogit ad illud, quod animo averſatur. [u] *Quod imponitur alicui*, inquit ſanctus Thomas, *imponitur ſicut onus: lex enim juſtis non imponitur ſicut onus; quia habitus illorum interior inclinat eos ad hoc, ad quod lex, & ideo non eſt onus eis.* Hinc etiam capite ſecundo Epiſtolæ ad Rom. prout quoque advertit Doctor Angelicus, de juſtis dicitur, quòd *ipſi ſibi ſunt lex*; quia ſcilicet timore pœnarum, quas leges prævaricatoribus comminantur, non coguntur ad bonum, ſed intimis animi affectibus ad illud feruntur. Ipſi ergo ſibi ſunt lex, quia legem diligentes, eiquè dilectione adhærentes unus ſpiritus unaque voluntas cum lege efficiuntur. Qui ergo timore pœnarum ad legem coguntur, injuſti ſunt; quia illorum affectus non inclinatur ad hoc, ad quod lex inclinat, atque hâc de causâ eis lex gravis ac oneri eſt. Ubi ergo ſolus timor ad legis obſervantiam cogit, nec juſtitiæ amor voluntatem inflectit, illic peccandi voluntas vivit, licet compreſſa.

Hæc ratiocinatio ab Auguſtino traditur, quando dehortans à timore eorum, qui non poſſunt niſi corpus occidere, adhortatur primò quidem ad timorem gehennæ, deinde verò

u *In Comment. cap. 1. epiſt. 1. ad Timoth.*

rò ad timorem caſtum, quo Dei timetur offenſa, tametſi „ex illâ nulla pœna ſequeretur. [x] Time, inquit, gehennas; „nihil meliùs times, nihil eſt quod magìs timere debeas. Sed „interrogo te, ſi non te videret Deus, quando facis, nec „quiſquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te „vide. Non enim potes ad verba omnia mea reſpondere, in-„ſpice te ipſum. Faceres? Si faceres, ergo pœnam times, ca-„ſtitatem nondum amas, charitatem nondum habes, ſer-„viliter times, formido eſt mali, nondum dilectio boni. „Sed time tamen, ut iſta formido cuſtodiat te, ut perdu-„cat ad dilectionem. Timor enim iſte, quo gehennam ti-„mes, & ideò mala non facis, continet te: & ſic volentem „peccare animum interiorem non ſinit: eſt enim quidam „cuſtos timor, quaſi pædagogus legis, littera eſt minans, „nondum gratia juvans. Cuſtodiat tamen te timor iſte, dum „non facis timendo, & veniat charitas, intret in cor tuum, „& quantùm illa intrat, tantùm timor exit. Timor enim id „agebat, ne faceres, charitas id agit, ne velis facere, etiam „ſi impune poſſis admittere. Dixi quid timeatis, dixi quid „appetatis. Sectamini charitatem, intret charitas, admitti-„te illam timendo peccare, admittite amorem non peccan-„tem, admittite amorem benè viventem. Illâ, ut dicere „cœperam, intrante, incipit timor exire. Quantò plus illa „intraverit, tantò timor minor erit. Cùm illa tota intrave-„rit, nullus timor erit; *quia perfecta charitas foras mittit* „*timorem* [y]. Intrat ergo charitas, pellit timorem: non au-„tem intrat & ipſa incomitata. Habet ſecum ſuum timorem, „quem introducit ipſa: ſed illum caſtum permanentem in „ſæculum ſæculi. Servilis timor eſt, quo times cum diabo-„lo ardere: timor caſtus eſt, quo times Deo diſplicere. Con-„ſiderate chariſſimi, & ipſos humanos interrogate affectus. „Timet ſervus offendere dominum ſuum, ne jubeat eum „verberari, jubeat in compedes mitti, jubeat carcere inclu-„di, jubeat eum piſtrino conteri. Hæc timens ſervus non „peccat: ſed quando ſenſerit abſentes oculos domini ſui, „nec habuerit teſtem, à quo poſſit convinci, facit. Quare

fa-

x *Serm. 18. de verbis Apoſt.* y *1 Joan. 4.*

„facit? Quia pœnam timebat, non juſtitiam diligebat. Vir „autem bonus, vir juſtus, homo liber (nam ſolus juſtus „eſt liber; *omnis enim qui facit peccatum, ſervus peccati „eſt;*) delectatur ipsâ juſtitiâ, & ſi poſſet ſine teſte pecca-„re, & teſtem reformidat & Deum: & ſi poſſet audire „Deum dicentem ſibi, video te cùm peccas, non te damna-„bo, ſed diſplices mihi. Ille nolens diſplicere oculis patris, „non formidoloſi judicis, timet, non ne damnetur, non „ne puniatur, non ne crucietur; ſed ne offendat gaudium „paternum, ne diſpliceat oculis amantis. Si enim amat ipſe, „& amantem ſui Dominum ſentit, non facit, quod diſpli-„cet amanti ſe. Lubricos & inhoneſtos amatores attendite. „Si quis amore fœminæ laſcivus & nequam veſtit ſe aliter, „quàm illi placet, veſtit ſe aliter, quàm amatæ ſuæ placet, „aut ornat ſe aliter, quàm illi placet, & illi dixerit: Nolo „te habere tale byrrhum, non habet: ſi per hiemem illi di-„cat; in lacernâ te amo, eligit tremere, quàm diſplicere. „Numquid illa cui diſplicet, damnatura eſt? Numquid in „carcerem miſſura? Numquid tortores adhibitura? Hoc „ſolum ibi timetur, non te videbo: hoc ſolum ibi contre-„miſcitur, faciem meam non videbis. Si hoc impudica di-„cit, & terret: Deus dicit, & non terret? Sanè pluri-„mùm: ſed ſi amamus. Si autem non amamus, non indè „terremur: ſed terremur ut ſervi de igne, de gehennâ, de „atrociſſimis tartareis minis, de exaggeratiſſimis diaboli an-„gelis, ejuſquè ſuppliciis, vel inde terreamur. Si illud mi-„nùs amamus, vel illa timeamus. Hæc Auguſtinus, ut o-ſtendat ibi adhuc vivere peccandi voluntatem, ubi quod lex jubet non fieret, ſi tranſgreſſoribus nulla foret pœna à Deo judice timenda.

§. 3. Hæc aſſertio etiam probari poteſt ex naturâ peccati. Etenim peccatum juxta ſanctum Thomam [z] omneſquè Doctores eſt defectus voluntarius rectitudinis moralis. Hic autem defectus non eſt niſi amor deficiens à communi & incommutabili bono ad propria, vel aliena, vel infima atque commutabilia bona.

Re-

z 1. 2. *Quæſt.* 71. *a.* 6.

Rectitudo verò moralis; à quâ iſto amore deficitur, in eo poſita, ut rationalis creatura ſit infra Deum, juxta puriſſimos ſpiritus, ſupra creaturas corporeas. In omni autem peccato creatura rationalis ſe ſubdit vel iis, quæ infra vel juxta eam creata ſunt, vel ſibi Deum ſubjicere contendit, quod ſit, quando creaturis frui, vel Deo uti deſiderat. Nam, uti ait Auguſtinus, [a] *omnis humana perverſio eſt, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui.* [b] *Nec eſt alia*, quemadmodum alibi ait idem ſanctus, *vita hominum vitioſa atque culpabilis, quàm malè utens, & malè fruens. Frui* verò eſt *amore alicui rei inhærere propter ſe ipſam. Uti* autem, *quod in uſum venerit, ad id, quod amas, obtinendum referre.* [c] Res autem, quibus fruendum eſt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, eademque Trinitas: cæteris autem utendum eſt, ut ad Trinitatis fruitionem pervenire poſſimus. Subjicit itaque ſe creatura rationalis rebus infra vel juxta ſe creatis, quando illis frui, ſive beata fieri deſiderat: Utitur verò Deo, quando ei ſervit, ut creaturis frui poſſit. Impoſſibile verò eſt, ut hæc voluntas malè fruens, in quo peccatum omniſquè vitioſitas generis humani poſita, ſeponatur & excludatur, niſi fiat benè fruens & benè utens; hoc eſt, niſi creaturas propter ſe ipſas, & Deum propter eas amare deſiſtat; amando ſcilicet Deum propter ſe ipſum, creaturis autem utendo, ut ad Dei pleniorem fruitionem pervenire mereatur. [d] *Neque enim ſuum aliquid*, (cum ſancto Bernardo loquor) *non felicitatem, non gloriam, non aliud quippiam tanquam privato ſui ipſius amore deſiderat anima, quæ hujuſmodi eſt; ſed tota pergit in Deum, unicumquè ei ac perfectum deſiderium eſt, ut introducat eam Rex in cubiculum ſuum, ut ipſi adhæreat, ipſo fruatur.*

Non poteſt itaque nec mercenaria ſpes vitæ æternæ, nec ſervilis timor inferni voluntatem malè utentem, & malè fruentem excludere: quia & ſpes mercenaria, & timor ſervi-

a *Lib. 83. quæſt. quæſt. 30.* b *Lib. 10. de Civit. Dei c. 10.* c *Vide Aug. lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 21. 31. 35.* d *S. Bernard. Serm. 8. de diverſis.*

viſis gehennæ quærunt quæ ſua ſunt, & non quæ Jeſu Chriſti; uterque enim Deo vult uti, illa quidem, ut propria commoda conſequatur, ille verò, ut meritas pœnas evadat: uterque verò de Dei honore & gloriâ minimè ſollicitus, quod eſt profectò Deo uti, & ſe ipſo frui velle, quod eſt deteſtandæ perverſitatis. Undè æternæ veritatis contem-
„ platio atque fruitio neutri iſtorum concedetur: [e] nam PA-
„ TER NOTAM FACIET FILIIS VERITATEM
„ SUAM. *Non revelatur ſervo veritas*, inquit Bernardus, [f] QUIA SERVUS NESCIT, QUID FACIAT DOMINUS EJUS. *Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam veritatem, qui propriam quærit utilitatem. Filio autem Pater notam faciet veritatem ſuam, quem audit dicentem:* [g] VERUNTAMEN NON QUOD EGO VOLO, SED QUOD TU PATER. *Revelatur itaque ſervo Dei poteſtas, mercenario felicitas, filio veritas: non quòd in Deo iſta diſcreta ſint, cui idem poſſe, quod felicem & veracem eſſe: ſed quòd à creaturâ Creator pro diverſis ejuſdem creaturæ affectibus, diverſis ſentiatur reſpectibus:* [h] *Cum ſancto enim ſanctus, & cum perverſo erit perverſus. Audi denique vocem filii.* DOMINE SALVUM ME FAC. *Quare? Fortè ne ardeat in inferno, fortè fraudetur præmio? Non, inquit, ſed* PSALMOS NOSTROS CANTABIMUS CUNCTIS DIEBUS VITÆ NOSTRÆ IN DOMO DOMINI. *Non, inquit, quæro ſalutem, ut pœnas vitem, aut in cœlo regnem: ſed ut te in æternum cum illis laudem, de quibus ſcriptum eſt.* [i] BEATI QUI HABITANT IN DOMO TUA DOMINE, IN SÆCULA SÆCULORUM LAUDABUNT TE. *Servus dicit:* VADAM AD PORTAS INFERI. *Mercenarius:* NON VIDEBO DOMINUM DEUM IN TERRA VIVENTIUM. *Filius:* PSALMOS NOSTROS CANTABIMUS CUNCTIS DIEBUS VITÆ NOSTRÆ IN DOMO DOMINI. [k] *Cui ſimile eſt illud:* APERITE MIHI PORTAS JUSTITIÆ, INGRESSUS IN

EAS

e *S. Bernard. Serm. 3. de diverſis.* f *Joan.* 15. g *Matth.* 26.
h *Pſal.* 17. i *Pſal.* 83. k *Pſal.* 117.

EAS CONFITEBOR DOMINO. *Et qui timet ire ad portas inferi, & qui Deum cupit videre propter quietem ſui, uterque profectò quærit quæ ſua ſunt. Porrò qui pſalmos cantare deſiderat in domo Domini, non ſua vel pericula fugit, vel lucra appetit, ſed illum procul dubio diligit, quem laudare geſtit cunctis diebus vitæ ſuæ.*

Credit ergo Bernardus, eos, qui non diligunt ſicut filii, ſed vel cupiunt ut mercenarii, vel timent ut ſervi, ad æternæ veritatis contemplationem fruitionemque minimè perventuros; quod profectò non crederet, ſi vel ſpes mercenaria, vel timor ſervilis voluntatem peccandi excludere valerent: illi enim, à quorum cordibus ea voluntas exulat, ſub Deo juſto in æternum miſeri eſſe non poſſunt: quia ab eo, qui non relinquit virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, innocentia æternis ſuppliciis, quæ ſunt virga peccatorum, cruciari non poteſt.

§. 4. Illi qui opinantur ſpem mercenariam metumquè gehennæ, tametſi caſto Dei amore deſtituta, voluntatem peccandi poſſe excludere, ſuam ſententiam hoc argumento ſtabilire præcipuè nituntur. Dari poteſt, inquiunt, deſiderium alicujus boni creati ſic efficax, ut inferat poſitionem omnium eorum, quæ ad illius conſecutionem neceſſaria ſunt, & quibus non poſitis, vel periculum tantummodò eſſet illo bono excidendi; ergo dari poteſt mercenarium vitæ æternæ deſiderium, quod excludat omnem voluntatem peccandi. Conſequentia, inquiunt, clara eſt: quia medium ad conſecutionem beatitudinis certum, ſeu ſine periculo excidendi eſt abſtinere ab omni peccato mortali tam interno, quàm externo. Verùm quis non videt in hoc argumento ſupponi, caſtam Dei dilectionem non eſſe neceſſariam, ut quis beatus evadat; cùm tamen eâ nihil magìs ſit neceſſarium, utpote nobis commendatâ primo & maximo mandato, legequè naturali atque æternâ? Eſt ergo hoc argumentum non argumentum, ſed fucus atque ſallacia, quæ à Dialecticis petitio principii appellatur, quia ea res, de quâ controvertitur, perindè inducitur, ac ſi ab omnibus admiſſa foret.

Deindè iſtud argumentum in auctorem ſuum hâc ratione re-

retorquetur. Ut deſiderium beatitudinis ſit efficax, oportet illo includi *poſitionem omnium eorum, quæ ad illius conſecutionem neceſſaria ſunt.* Sed neceſſarium eſt ad conſecutionem beatitudinis, ut mandata obſerventur, juxta illud, *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata,* quorum primum & maximum, à quo nemo ſolutus eſſe poteſt, eſt illud, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Ergo nemo poteſt habere deſiderium efficax beatitudinis, qui Deum ex toto corde non diligat, ſive non omnibus anteponat.

§. 5. Nihil eſt quod evidentiſſimæ huic ratiocinationi opponi queat, niſi impium illud dogma, quo docetur, à nobis non exigi, ut Deum amemus; ſed tantummodò poſtulari, ne ipſum odio habeamus, ejuſquè mandata ex honeſto quodam intuitu cuſtodiamus, tametſi illa ad ejus amorem minimè referamus. Impium hoc dogma voco; quid enim magìs impium, quàm ſibi perſuadere, quòd non ſit officii noſtri Deum amare; ſed eum non odiſſe; hoc eſt, ſufficere ità erga ipſum nos affectos eſſe, ſicuti erga res viles, quas nec amore nec odio proſequimur, affecti ſumus? Huccine redit magnifica illa charitatis commendatio, quâ Paulus dotes charitatis collaudat ac celebrat, ut aliud non ſit, quàm Dei negligentia, quâ eum nec amamus, nec odimus? In hoc ne poſita chariſmata meliora, & via excellentior, ut ſine ardore charitatis impunè poſſint corda noſtra algere, dummodò in Deum odio non effervescant? Hæccine laus charitatis, quæ omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, quòd ſibi dum Deum negligit, ab ejus tamen odio temperet? Si hæc doctrina admittatur, eâdem ratione licebit dicere, quæcumque de fide, de ſpe, de obedientiâ Deo debitâ extant præcepta, aliud non præcipere, quàm fidem ſine aſſenſu, ſpem ſine deſiderio, & obedientiam ſine propriæ voluntatis abnegatione; poterimuſquè dicere, ea aliud non exigere, quàm ut revelatæ veritati non contradicamus, promittenti bonitati non reluctemur, & præcipienti majeſtati non ſimus rebelles. Ex quo ſequeretur, nos poſſe eſſe ſalvos, modò declinemus à malo, tametſi bonum nullum faciamus. Verùm iſtud opinionis monſtrum, quo exiſtimatur, præcepto

pto primo & maximo non amorem præcipi; ſed tantùm odium vetari, Alexander ſeptimus cenſurarum ſuarum fulmine contrivit, quando hanc propoſitionem proſcripſit: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei ſpei & charitatis, ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium.* Idem portentum damnatum quoque eſt, quando Innocentius undecimus, cui Deus annos addat de noſtris, probroſo ſtigmate notavit has propoſitiones: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vitâ eliceret, condemnare non audemus.* Item: *Probabile eſt, nec ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.* Item: *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſumus.* Manet ergo invictum, neminem habere poſſe deſiderium efficax beatitudinis, qui Deum ex toto corde non diligat.

§. 6. Sed iterum objicies: Chriſtianus, qui vult cum Deo redire in gratiam, novit, à Deo non tantùm puniri malum opus, ſed etiam mali operis deſiderium; ergo ſicuti metu gehennæ malum opus excludit, ità eodem metu potens eſt excludere mali operis affectum.

Verùm repono, hanc conſequentiam eſſe futilem, uti patet ex hoc ſimili argumento: Chriſtianus novit, à Deo non tantùm bonorum operum defectum, ſed etiam divini amoris abſentiam puniri; ergo ſicuti ſolo gehennæ metu poteſt agere, quod foris rectum eſt, ità ſolo ejuſdem ſupplicii timore Deum amare poteſt. Uti hujus poſtremi argumenti concluſio inepta eſt, ità & prior vitioſa eſt.

Hujus conſecutionis vitium patebit, ſi animadvertamus metum gehennæ non opponi voluntati peccandi, ſed cruciatui gehennæ: unde is metus malum opus, malive operis affectum tanquam ſua contraria excludere non poteſt, ſicut frigus calorem, nigredo albedinem abſque alterius rei interventu expellunt. Quòd enim metus gehennæ pellat voluntatem hîc & nunc peccandi, iſtud hinc oritur, quòd eo metu mens perculſa imperet ſuis membris, ne flagitia aut facinora perpetrent. Minor autem ſanitas & virtus vo-

luntatis requiritur, ut ab externis membris, quàm ut à ſe ipsâ obedientiam impetret. Concitata voluntas metu impendentis naufragii imperabit ſuis membris jactum mercium, & ſine morâ manus obediet; ſed ſi imperet ſibi ipſi voluntas, ut jacturam mercium non doleat, tum ægrè parebit. Efficacius ergo & fortius requiritur imperium voluntatis, ut ipſa ſibi ipſi perfectè obediat, quàm exigitur, ut ipſa membris externis dominetur. Non valet itaque conſequentia: voluntas per metum commota poteſt excludere voluntatem hîc & nunc peccandi; ergo pari facilitate à ſe ipsâ poterit impetrare, ut omnem ponat peccandi voluntatem.

His ad majorem claritatem adde, non poſſe voluntatem impetrare obedientiam à membris externis, ut illa ſine inſtrumentis opera producant, quæ abſque inſtrumentis producere nequeunt. Fruſtrà imperaveris manui, ut ſine calamis ſcribat, ſine acu ſuat, & neat ſine fuſo. Ità pariter fruſtrà imperaverit voluntas ſibi ipſi, ut peccandi ponat libidinem, ſi illud à ſe ipsâ fieri voluerit, abſque ejus rei acceſſu, ſine quâ id fieri non poteſt. Ut voluntas ponat libidinem peccandi, ſive amorem fruendi rebus creatis, omninò neceſſarium eſt, ut infundatur ei cœleſtis dulcedo, quâ fiat, ut ei placeat atque delectet, quod ab æternâ juſtitiâ ei præcipitur. Poteſt itaque timor gehennæ efficere, ut voluntas ſibi ipſi imperet averſionem ab omni affectu inordinato; verùm inefficaci iſtud imperio imperabit, niſi oret ac precetur, ut detur ſibi delectatio cœleſtis dulcedinis, quâ ei lex jucunda & amabilis fiat.

Manet itaque invictum, non metu gehennæ, ſed duntaxat amore prædominante voluntatem peccandi vinci & ſecludi.

CAPUT IX.

1. Ab homine, ut juſtificetur, diligendus eſt Deus tanquam fons omnis juſtitiæ. 2. Non ſufficit ut diligatur tanquam origo bonorum externorum; & datur ratio, cur Deus temporalia bona Judæis promiſerit. 3. Exponitur, quid ſit Deum diligere tanquam fontem omnis juſtitiæ. 4. Dum Deus tanquam fons omnis juſtitiæ diligitur, tunc caſto amore diligitur. 5. Qui Deum mercenario amore diligunt, eum non diligunt tanquam fontem juſtitiæ. 6. Præclarè hoc docet Hugo Victorinus. 7. Amor fontis juſtitiæ non ſolùm decens; ſed etiam neceſſarius eſt.

§. 1. INter argumenta, quæ Concilium Tridentinum [m] ſuggerit ad probandum, ſine amore Dei amicitiam cum eo redintegrari non poſſe, illud celebrius & efficacius, quòd ſcilicet ad pœnitentiam, quam ante baptiſmum à catechumenis agi oportet, requirat, ut Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant. Nemini autem dubium eſſe poteſt, quin ad hominem in ſacramento pœnitentiæ cum Deo reconciliandum non minor præparatio poſtuletur, quàm ea eſt, quæ ad baptiſmum exigitur.

Nonnulli, ut hujus argumenti vim infringant, ajunt, non loqui Concilium de amore caſto, quo propter ſe ipſum Deus diligitur; ſed de impurâ quâdam amoris ſpecie, qui Deum non propter ſeipſum, ſed propter bona, quæ ab ipſo expectat, conſequi deſiderat.

Alii, ut ab hoc argumento ſe expediant, ajunt, Concilium non definire iſtiuſmodi amorem eſſe neceſſarium, ſed ſolùm definire, quod oporteat, ut baptizandus Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiat. Vocem verò, *oportet*, exiſtimant illi, ſolùm deſignare, quid decens ſit, non verò præſcribere, quid neceſſe ſit.

m *Seſſ. 6. c. 6.*

Utraque hæc exceptio à veritate deviat. Et primam quidem falſitatis arguemus, exponendo, quid ſit Deum tanquam juſtitiæ fontem diligere, & unà oſtendendo eſſe impoſſibile, ut Deus tanquam fons omnis juſtitiæ alio quàm gratuito & caſto amore diligatur. Alteram refutabimus, declarando, ex verbis Concilii, & ex ipſo baptiſmali fœdere, amorem iſtum requiri, ut quis cum Deo in gratiam redeat, non ſolùm tanquam diſpoſitionem congruam; ſed tanquam omninò neceſſariam.

§. 2. Deus poteſt ab homine ſub diverſâ conſideratione diligi, vel enim diligitur tanquam fons terrenæ & externæ felicitatis, vel tanquam fons juſtitiæ, hoc eſt, internæ & „ æternæ beatitudinis. [n] Volens Deus, inquit Auguſtinus, „ oſtendere, etiam terrenam temporalemquè felicitatem „ donum ſuum eſſe, nec aliunde niſi ab ipſo ſperari oporte-„ re, prioribus ſæculi temporibus diſpenſandum judicavit „ teſtamentum vetus, quod pertineret ad hominem vete-„ rem, à quo iſta vita neceſſe eſt, ut incipiat. Qui Deum tanquam fontem externorum bonorum diligunt, eum non tam propter ſe ipſum, quàm propter iſta, quæ ab ipſo dimanant, bona diligunt. Qui fontem aquarum prout fontem aquarum diligunt, qui ſolem uti originem externi luminis amant, neque ab aquarum, neque ab externi luminis amore recedunt. Ità pariter qui Deum tanquam fontem terrenæ felicitatis diligunt, iſti amore terrenæ felicitatis toti inardeſcunt. Nihil ergo grande in ipſo diligunt, dum terrena in „ ipſo diligunt. [o] Exigitur à te, inquit Auguſtinus, ut & „ tu gratis eum colas, non quia dat temporalia; ſed quia „ præſtat æterna. Et ne quis arbitraretur amorem æternorum „ ſemper Deo gratum eſſe, mox addit Auguſtinus: ſed ipſa „ æterna vide ne aliter cogites, & cogitando æterna carnali-„ ter nihilominus Deum gratis non colas. Quid enim ſi ideò „ colis Deum, quia dat tibi fundum, non eum culturus es, „ quia tollit tibi fundum? Sed fortè tu dicis; ideò eum co-„ lam, quia dabit mihi villam, non tamen temporalem, „ nihilominus adhuc corruptam mentem geris: amore enim

„ caſto

n *Epiſt.* 120. *cap.* 2. o *Aug. in pſal.* 43.

„ caſto eum non colis: adhuc mercedem expetis. Ea enim „ vis habere in futuro ſæculo, quæ hîc neceſſe eſt ut relin„ quas. Mutare vis voluptatem carnalem, non amputare „ Non laudatur in illo jejunium, qui ad luxurioſam cœnam „ ſervat ventrem ſuum.

Deinde illi, qui Deum tanquam fontem terrenæ & externæ felicitatis diligunt, illi eum ferè eâ ratione diligunt, quâ canes diligunt dominos, qui eis pabula præbent: nam iſtiuſmodi dilectores, dum felicitati iſtius ſuæ vitæ, quâ beſtiis aſſimilantur, inhiant, aut parùm, aut nihil cogitant de felicitate ejus ſuæ vitæ, quâ Angelis coæquantur; cùm tamen, quicquid cupiunt, quicquid diligunt, debeant diligere, ut ſummum ſuæ mentis bonum, æternam ſapientiam atque juſtitiam Deum aſſequantur.

His adde, Deum poſſe tanquam fontem terrenæ felicitatis diligi, & nihilominus tanquam fontem juſtitiæ odio haberi. Diligit canis dominum ſuum, ut ſuæ felicitatis fontem; ſed non diligit eum uti ſapientem ac juſtum. Veroſimiliter diligebat fraudulentus Siba Davidem, uti divitiarum ſuarum auctorem, cùm eum minimè diligeret tanquam juſtitiæ cuſtodem & vindicem. Aulicorum plerique principes ſuos amant tanquam fontes ſuæ felicitatis, cùm de illis amandis, quatenùs Deum timentibus & juſtitiam colentibus, minimè cogitent. Judæi carnales amabant & invocabant Deum tanquam fontem eorum, quæ diligebant, bonorum: erga illum verò quatenùs omnis juſtitiæ fons eſt, toti frigebant, quia pulchritudinem juſtitiæ, cùm non cognoſcerent, amare non poterant. Undè Deus, ut eos à cultu idolorum revocaret, terrena ipſis, quæ noverant & amabant, ubique promittit. Inviſibilia verò bona, quæ mente excæcati & corde carnales nec cognoſcere, nec amare poterant, nulla promittit; quia non poterant capere. „ [p] Per viſibilia, inquit Auguſtinus, tenebantur. Quare „ tenebantur? Ne penitùs interirent, & ad idola laberentur. „ Quibus ergo modis populus talis tenebatur, niſi promiſſis „ carnalibus? Et quia iſtis promiſſis carnalibus tenebantur, ideò

p *Tract. 3. in Joan.*

deò nec firmiter, nec conſtanter iſto carnali amore Deo adhærebant. Etenim ſimul atque eis ſpes affulgebat, quòd colendo idola, temporalem felicitatem conſequi poſſent, ſtatim ad idola defluebant; & ſi ab idolorum cultu ad ejus cultum redibant, ideò redibant, quia experimento diſcebant, ſe toties omni etiam terrenâ felicitate deſtitui, quoties eam ab idolis expectabant. [q] *Quare*, inquit Auguſtinus, *invocas Deum? Ut det tibi lucrum? Lucrum invocas, non Deum. Quia hoc lucrum, quod concupiſcis, non potes habere per ſervum tuum, per colonum tuum, per clientem tuum, per ſatellitem tuum*, adde, per idola tua, *invocas Deum; miniſtrum lucri tui facis Deum.*

Quicumque igitur Deum tanquam fontem terrenæ felicitatis diligunt, impuro ipſum amore diligunt, quia iſtâ ratione eum diligentes, nec à cupiditate rerum tranſeuntium recedunt, nec eum uti fontem juſtitiæ ſitiunt, nec ei ſe reverenter ſubdunt; ſed eo utuntur tanquam miniſtro terrenæ, quam concupiſcunt, felicitatis, parati ab ejus cultu recedere, ſi ſine ipſo, quam amant, animalis vitæ felicitatem conſequi poſſent. Sunt ergo tales in cultu Dei eo ferè modo, quo Abſalom erat in obſequio ſui patris, tam diu ei ſerviens, ac ſibi neceſſarius erat, ut ab exilio ad natalis ſoli opes ac delicias revocaretur, ab illo verò deficiens, ſimulac ſpes affulgebat, quòd eo pulſo aut occiſo, felix & Rex evaderet.

§. 3. Supereſt, ut exponamus, quòd oporteat Deum diligere tanquam fontem omnis juſtitiæ. [r] Verus Deus, inquit Auguſtinus, Summa eſt juſtitia, quam ſitire & eſurire noſtra eſt in hâc peregrinatione juſtitia, & quâ poſtea ſaturari, ea noſtra eſt in æternitate plena juſtitia. Unde alibi docet Auguſtinus, amandam eſſe juſtitiam, eâque nos debere præ omnibus rebus delectari. Dum autem Deus tanquam fons omnis juſtitiæ diligitur, tunc etiam omnia ejus præcepta diliguntur; cùm illa aliud non ſint, quàm radii juſtitiæ, ex omnis juſtitiæ fonte dimanantes. Qui autem victrici dilectione præcepta diligunt, ea violare non poſſunt, quamdiu diligunt, quia violare non volunt: unde qui Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligunt, e-

q. *In Pſal.* 30. r *Epiſt.* 222.

jus

jus mandatis delectati, lubentes obtemperant. Quare etiam Auguſtinus paſſim docet, neceſſarium eſſe, ut quis juſtè vivat, quòd ſeſe convertat ad incommutabilia juſtitiæ lumina ſive præcepta, quæ in ſole juſtitiæ ſupra mentes noſtras nunquam non lucent. [s] Cùm ſis injuſtus, inquit, eſſe non potes juſtus, niſi convertendo te ad quandam juſtitiam, id eſt, Deum, à quâ ſi recedis, injuſtus es; ad quam ſi accedis, juſtus es. [t] Et alibi: juſtitia præſto eſt juſtè viventi; ſecundùm ejus regulam videt, quemadmodum juſtè vivat: & ſicuti juſti, benè vivendo, eam vident; ita injuſti, malè vivendo, eam non vident. Nam & ille juſtè vivit, cùm eam videt, ut ſecundùm eam actus ſuos dirigat, qui, niſi ſecundùm juſtitiæ regulam direxit actus ſuos, in errorem iniquitatis impingitur. Ad fontem verò omnis juſtitiæ, & ad fulgentia in eo virtutum lumina, ut alibi docet Auguſtinus, convertimur & accedimus [u] *non pedibus; ſed affectibus: nec migrando; ſed amando.*

§. 4. Porrò dum Deus tanquam ſumma juſtitia, ſive ſons omnis juſtitiæ diligitur, tunc caſto amore diligitur. Caſtus enim amor Dei eſt amor, quo propter ſe ipſum diligitur & ſititur. Diligitur autem propter ſe ipſum, quando fontem juſtitiæ ſive ſummam juſtitiam diligimus, nihil aliud ab ipsâ cupientes, quàm ut ipſa ſit bonum ac beatitudo noſtra. Neque enim ad caſtum requiritur amorem, ut bonum ſuum non intendat; ſed requiritur, ut à ſummo bono, æternâ juſtitiâ non aliud quàm ipſam, aut ſi quid aliud cupiat quàm ipſam, ideò cupiat, ut illâ perfectiùs & pleniùs perfruatur. Dum autem ſumma juſtitia tanquam bonum noſtrum diligitur, non ad noſtrum commodum deprimitur; verùm diligitur, ut nobis imperet, nos ſibi conformes reddat, nos perficiat atque illuſtret: neque dum quis æternam juſtitiam tanquam bonum ſuum diligit ac ſitit, in ſe ipſo vult requieſcere; ſcit enim ſe, niſi æternæ juſtitiæ adhæreat, turpem, iniquum, cæcum & miſerrimum eſſe. Vult ergo æternam juſtitiam, ut in illâ quieſcat, ut illâ tanquam

s *In Pſal. 61.* t *Serm. 44. de diverſis. c. 6.* u *Aug. tract. 32. in Joan.*

quam ſine ſuo perfectus ſit, atque beatus. Neque dicas, quòd ſummam juſtitiam tanquam bonum ſuum ſibi ipſi velle ſit opus, non caſti; ſed impuri amoris, ſive ſit non amicitiæ; ſed concupiſcentiæ deſiderium. Etenim qui æternam juſtitiam tanquam regulam & perfectionem ſuam diligit, illam amore adorante diligit, ut ſcilicet ſeſe illi omninò ſubdat, illi obtemperet, atque in hâc amanti ſubjectione, & obſervantiâ adamatâ beatitudinem ac felicitatem ſuam conſtituit, quod certè puriſſimi amoris eſt. Quis enim dicet Auguſtinum non ex puriſſimo & gratuito divini amoris affectu oraſſe, quando Deum ſuum his verbis allocutus eſt? „[x] O Domine Deus noſter ut veniamus ad te, fac nos beatos „ de te. Nolumus de auro, neque de argento, nec de fun- „ dis; nolumus de terrenis iſtis & vaniſſimis, & caducæ „ vitæ tranſitoriis. Non loquatur os noſtrum vanitatem. „ Fac nos beatos de te; *beatus populus cujus Dominus Deus* „ *ipſius*. Neque enim contra amoris puritatem eſt, ut bonum, ad quod factus es, conſequi velis: Cùm amor non ſit, [y] *niſi vita, ſive vitalis motus duo aliqua copulans, vel copulare appetens*, amantem ſcilicet & amatum; vel, ut alibi dicit Auguſtinus: Dilectio nihil eſt aliud, quàm voluntas fruendum aliquid appetens, vel tenens. Verùm contra divini amoris puritatem eſt Deum appetere non ad fruendum, ſed ad utendum, ut aliud ab illo bonum conſequaris.

Certè idem ſanctus, dum caſtum Dei amorem caſtumquè amatorem deſcribit, ad ejus notionem plura non requirit, quàm ut Dei viſionem ardenter cupiat, & præ illà res omnes contemnat, æſtimans ſe ſine Deo in quantalibet abundantiâ eſſe non poſſe niſi miſerum, niſi ærumnoſum. „ [z] Amor caſtus in te, inquit, eſſe debet, quo amore de- „ ſideres videre non cœlum & terram, non campos liqui- „ dos maris, non ſpectacula nugatoria, non fulgores nito- „ reſque gemmarum: ſed deſidera videre Deum tuum, „ amare Deum tuum: quia dictum eſt: *Dilectiſſimi, filii* *Dei*

x *Aug. Serm. 35. de verbis Domini.* y *Aug. lib. 8. de Trinit. c. 10.*
z *Aug. Serm. 19. de verbis Apoſt.*

„*Dei ſumus, & nondum apparuit quod erimus. Scimus „autem, quia cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam „videbimus eum ſicuti eſt.* Ecce propter quam viſionem fac „bonum, ecce propter quam noli facere malum. Si enim „amas videre Deum tuum, ſi in hâc peregrinatione illo „amore ſuſpiras, ecce probat te Dominus Deus tuus, qua- „ſi dicat tibi: Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, „extende nequitiam, dilata luxuriam, quicquid libuerit „licitum puta: non hinc te punio, non te in gehennas mit- „to; faciem meam tantùm tibi negabo. ſi expaviſti, ama- „ſti; ſi hoc quod dictum eſt, faciem ſuam tibi negabit „Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum „tuum, magnam pœnam putaſti, gratis amaſti. En quid ſit ex mente Auguſtini Deum amore puro, ſive gratis amare, nempe à Deo non quærere niſi Deum, & æſtimare, quòd nihil nobis ſine ipſo ſufficiat, nihil reddat beatos.

Neque etiam ſemper eſt amor concupiſcentiæ, dum homo hominem diligit, quia bona ab ipſo accipit. Nam ſi quis diligat proximum, quia ab illo per inſtructiones, per exhortationes aliaquè ſubſidia ad Deum ducitur, ille profectò perindè benevolo & honorifico amore proximum diligit, quàm is benevolo proximum amore proſequitur, qui illum diligit, ut eum docendo, & pro illo preces fundendo ad Deum adducat: uterque enim illum propter Deum diligit. Neque etiam ſemper amor, quo proximo benefacimus eſt amor Chriſtianæ benevolentiæ: ſi quis enim illi benefaciat, ut ei in hoc mundo benè ſit, nec de æternâ ejus ſalute ſatagat, is proximum perverſo amore concupiſcentiæ diligit, quia illum non in Deo, aut propter Deum diligit. E contra ſi quis à proximo eleëmoſynas percipere deſideret, ut is iſtâ beneficentiâ Deum promereatur, ille proximum benevolentiſſimo amore proſequitur. Undè caſtiſſimo & benevolentiſſimo amore Philippenſes, quorum eleëmoſynis nutriebatur, Paulus diligebat; quia eleëmoſynas ab eis accipiendo non quærebat *datum*; ſed requirebat *fructum* abundantem in ratione, ſive pro ſalute ipſorum. Amor ergo ille purus eſt, qui à Deo non quærit niſi Deum, aut

aut ſi quid aliud quærat, non quærat niſi ut ipſo abundantiùs perfruatur. Qui autem Deum tanquam fontem omnis juſtitiæ diligit, non poteſt illum appetere ad utendum: hoc enim in ſummâ, quam amat, juſtitiâ videt & iniquiſſimum & turpiſſimum eſſe. Licet itaque conficere, quòd omnis amor, quo Deus tanquam fons omnis juſtitiæ diligitur, ſit amor benevolus, ſit amor caſtus, ſit amor ab omni concupiſcentiâ alienus; imò quòd ſit impoſſibile, ut amor, quo Deus tanquam ſumma juſtitia appetitur, ſit amor concupiſcentiæ. Dum igitur Tridentina Synodus exigit à baptizando, ut Deum tanquam fontem omnis juſtitiæ diligere incipiat, procul dubio non impurum; ſed caſtum Dei amorem, ut juſtificetur, ab illo requirit.

§. 5. Huic doctrinæ ne minimum quidem ſanctus Bernardus adverſatur, dum ait: [a] Eſt qui confitetur Domino, quoniam potens eſt: & eſt qui confitetur, quoniam ſibi bonus eſt. Et item qui confitetur quoniam ſimpliciter bonus eſt. Primus ſervus eſt, & timet ſibi: ſecundus mercenarius eſt, & cupit ſibi: tertius filius, & defert patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, uterque pro ſe agunt. Sola quæ in filio eſt charitas, non quærit quæ ſua ſunt. Etenim eo in loco mercenarium vocat non illum, qui Deum diligit, quia eſt commune bonum mentis rationalis; ſed illum duntaxat, qui Deum privato amore diligit, non tanquam & ſuum & omnis mentis rationalis bonum, ſed quia ſibi bonus eſt, concedendo illa, quæ mundi cupiditas, & non amor juſtitiæ quærit. Numquid enim, ait Bernardus [b], mercenarium eum quis æſtimet, qui paternæ inhiat hæreditati, eamquè toto affectu expetit & expectat, quam nimirùm filii mercedem eſſe, non mercenarii, Propheta teſtatur? *Cùm dederit*, inquit, *dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris.* Imò eodem loco ait idem ſanctus, eos, qui Deum tanquam ſponſum perfectiſſimâ ratione diligunt, maximè cupere, ut ipſe ſit bonum illorum. Anima, inquit, quæ ſub Deo tanquam ſub ſponſo eſt, penitùs caſtificato corde ni-

a *Epiſt.* 11. b *Serm.* 8. *de diverſis.*

„ nihil aliud à Deo quærit, quàm ipſum Deum. Crebro „ ſiquidem didicit experimento, quoniam bonus Dominus „ ſperantibus in ſe, animæ quærenti ipſum, ita ut jam ex „ affectu cordis atque ſententiâ clamet illud de pſalmo: *Quid* „ *enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* „ *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars* „ *mea Deus in æternum.* Neque enim ſuum aliquid, non „ felicitatem, non gloriam, non aliud quicquam *privato* „ *ſui ipſius amore* deſiderat anima, quæ ejuſmodi eſt: ſed „ tota pergit in Deum, unicumquè ac perfectum deſide- „ rium eſt, ut introducat eam Rex in cubiculum ſuum, ut „ ipſi adhæreat, ipſo fruatur. Non diligit itaque privato amore Deum, qui à Deo non quærit, niſi Deum.

§. 6. Non poſſum non hîc referre, ut natura caſti amoris meliùs intelligatur, quæ Hugo Victorinus contra eos ſcripſit, qui putant puro amori, quo Deus diligendus, eſſe adverſum, ſi quis eum diligat, ut eo fruatur, atquè in æ- „ ternum ei adhæreſcat. [c] Sed fortè, inquit, mercenarius „ eris, ſi diligis Deum, & ſervis ei, ut præmium ab illo ac- „ cipias. Dicunt hoc ſtulti quidam, & tam ſtulti, ut ſe ipſos „ non intelligant. Diligimus Deum, & ſervimus illi; ſed „ non quærimus præmium, ne mercenarii ſimus: etiam „ ipſum non quærimus. Dabit ſi voluerit, ſed nos non quæ- „ rimus. In tantum enim excutimus manus ab omni mune- „ re, ut etiam ipſum non quæramus, quem diligimus. Pu- „ râ enim & gratuitâ & filiali dilectione diligimus, nihil quæ- „ rimus. Ipſe cogitet, ſi quid dare voluerit, nos nihil re- „ quirimus. Diligimus ipſum; ſed non quærimus aliquid, „ etiam ipſum non quærimus, quem diligimus. Audite ho- „ mines ſapientes. Diligimus, inquiunt, ipſum; ſed non „ quærimus ipſum. Hoc eſt dicere diligimus ipſum; ſed „ non curamus de ipſo. Ego homo ſic diligi nollem à vobis. „ Si me ſic diligeretis, ut de me non curaretis, ego de veſtrâ „ dilectione non curarem. Vos videritis, ſi dignum eſt ut Deo „ offeratis, quod homo dignè reſpueret. Quomodo, in- „ quiunt, mercenarii non ſumus, ſi Deum propter hoc di- li-

c *Hugo Victorin. lib. 2. de Sacram. cap. 8.*

„ligimus, ut præmium ab ipſo accipiamus. Non eſt gratis „hoc amare, neque amor iſte filialis: ſed mercenarii & ſer„vi, qui pretium quærit pro ſervitute ſuâ. Qui hoc dicunt, „virtutem dilectionis non intelligunt. Quid eſt enim dili„gere, niſi ipſum velle habere? Non aliud ab ipſo, ſed „ipſum, hoc eſt gratis. Si aliud quæreres ab ipſo, gratis „non amares. Nunc autem non aliud quæris pro eo, quod „amas, & tamen aliquid quæris & deſideras in eo ipſo, quod „amas. Alioquin non amares, ſi non deſiderares. Sed a„liud eſt pro ipſo, aliud in ipſo. Si pro ipſo aliquid amas, „mercenarius: Si in ipſo amas, & ipſum amas, filius es. „Etiam ſi vitam æternam aliud aliquid eſſe cogitaveris, & „diverſum ab ipſo bono, quod Deus eſt, & pro ipſo adi„piſcendo tantùm ſervieris, non eſt pura ſervitus, neque „dilectio gratuita. Filii illi Zebedæi, qui conſeſſum dex„træ & ſiniſtræ petierunt in regno ejus, quiddam aliud co„gitaverunt alienum & diverſum à bono iſto, & pro eo adi„piſcendo aliquamdiù illi adhæſerunt, donec increpati & „mutati veritatem cognoverunt, & intentionem correxe„runt. Putaverunt enim, quòd Deo ſerviendum eſſet pro „eo, quod ipſe non eſſet: quia non intellexerunt ipſum eſ„ſe bonum, quod ſolum amandum eſt propter ſe ipſum; & „quicquid amandum eſt præter ipſum, amandum eſt pro„pter ipſum. Quod quidem tantò amatur feliciùs, quantò „ardentiùs. Qui hoc amat, ſe ipſum amat, quia bonum „ſuum amat: & verè amat; quia verum bonum amat. Pro„pterea ſcriptura non dixit tibi, Te ipſum diligas: ne for„tè errares & putares indulgendum tibi, & ſtudendum iis, „quæ foris ſunt commoda, & carni tuæ ſuavia: & exiſti„mares, quòd ſic te diligere deberes, & occaſionem ſume„res à ſcripturâ, ut ſolam carnem tuam foveres, & animam „tuam negligeres: propter hoc non dixit tibi, ut te ipſum „diligas, ne hoc intelligeres, ubi magìs diligeres, & hoc „negligeres, ubi periculoſiùs deperires. Non ergo tibi di„xit, ut te ipſum diligas, nec tamen omninò tacuit, cùm „dixit, ut Deum tuum diligas. Cùm enim diligis Deum „tuum, diligis bonum tuum: & melius bonum, & me-

„lio-

„lioris bonum. Et cùm diligis bonum tuum, diligis te „ipſum: qui bonum ipſius diligis, & quod bonum eſt illi „diligis.

§. 7. His expoſitis, ut oſtenderemus Deum tanquam fontem omnis juſtitiæ diligi non poſſe, quin caſto amore diligatur: reſtat ut demonſtretur eum à Concilio Tridentino ad juſtificationem requiri, non ſolùm tanquam diſpoſitionem, quæ decens ſit, verùm poſtulari tanquam præparationem, quæ neceſſaria ſit.

Concilium Tridentinum, dum deſcribit modum, quo peccatores ad juſtitiam præparantur, dicit quòd 1. fide imbuantur, 2. timore concutiantur, 3. ſpe erigantur, 4. Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant, ac propterea, nempe quia Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, moveantur adversùs peccata per odium aliquod ac deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet. Hoc enim odium ac deteſtatio peccati eſt effectus dilectionis, quâ Deus, tanquam omnis juſtitiæ fons, diligitur: ſi enim Deus non diligatur tanquam fons juſtitiæ, ſed ſolùm diligatur tanquam fons terrenæ felicitatis; adversùs peccata per odium ac deteſtationem nullus movetur, ſed ſolùm movetur per timorem, odium, ac deteſtationem adversùs peccati pœnas ac cruciatus, tanquam adversùs ea, quæ ſunt terrenæ paci & integritati carnis contraria.

Eſt autem vox *oportet* eodem modo intelligenda hoc in loco, quemadmodum intelligenda eſt in canone tertio ejuſdem ſeſſionis, ubi Concilium ſic loquitur: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* In hoc enim canone vox, *oportet*, apertè denotat, non quid fieri deceat; ſed quid fieri debeat, ut cuipiam juſtificationis gratia conferatur. Ergo eandem habet ſignificationem capite ſexto, cùm & caput & canon exponant, quænam præparatio, ut quis juſtitiâ donetur, requiratur.

Deindè ut omnis cavillandi tollatur occaſio, ſeſſ. 14. de pœnitentiâ cap. 4. diſertiſſimè declarat, quovis tempore, non ſolùm decentem, ſed neceſſariam fuiſſe ad impetrandam veniam peccatorum, iſtam contritionem, quam definit eſſe animi dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero: ex quo ſequitur, quovis tempore ad juſtitiam conſequendam fuiſſe neceſſe, ut quis Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiat; cùm ex iſtâ dilectione, quemadmodùm expreſsè declarat Seſſ. 6. cap. 6. odium ac deteſtatio oriantur, quibus peccator adversùs peccata movetur. Horror enim ac deteſtatio pœnæ non eſt deteſtatio peccati; ſed eſt deteſtatio ejus, quod tanquam fructus ex peccato, tanquam ex radice, conſequitur; nec hæc pœnarum deteſtatio ſequitur dilectionem, quâ Deus tanquam juſtitia diligitur; ſed conſequitur ex amore, quo homo ſua commoda, ſuæ carnis integritatem ac pacem proſequitur.

His accedit, Concilium Tridentinum, dum ait, eos, qui Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, moveri adversùs peccata per odium aliquod ac deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet, loqui de eâ pœnitentiâ, quam Petrus ante baptiſmum exigebat, dum dicebat: [d] *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Etenim Concilium laudat iſta Petri verba, ut oſtendat ſe meritò ante baptiſmum exegiſſe eam pœnitentiam, quâ peccator incipiens Deum, tanquam omnis juſtitiæ fontem, diligere, movetur per odium ac deteſtationem adversùs peccatum. Eſt autem extra dubium, Petrum indicere pœnitendi neceſſitatem, dum ait: Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum. Ex quo conficitur vocem, *oportet*, denotare quid ſit neceſſitatis, & non ſolùm quid ſit decoris, ut quis pœnitendo in ſacramento baptiſmi juſtitiâ ac peccatorum remiſſione donetur.

Sit ergo confectum, neminem in ſacramento pœnitentiæ juſti-

d *Actor.* 2. 38.

juſtitiam conſequi poſſe, qui Deum, tanquam omnis juſtitiæ fontem, non incipiat diligere.

Nec eſt quòd quis exiſtimet dilectionem Dei, de quâ loquitur Concilium, eſſe tantùm inchoatam dilectionem; ideóque non requiri, ut per illam Deus ſuper omnia diligatur.

Primò enim non dicit Concilium de iis, qui ad Deum convertuntur, quòd Deum diligant inchoatâ dilectione, ſed quòd timore primùm perculſi, & poſtea ſpe erecti, Deum diligere incipiant, tanquam omnis juſtitiæ fontem. Undè patet, quod verbum, *incipiant*, notet tantùm ordinem inter illos tres motus timoris, ſpei, & dilectionis; non verò quòd dilectio illa ſit tantùm inchoata. Ut ſi de Paulo dicerem: Poſteaquam fuit à Chriſto proſtratus & cæcitate perculſus, illum cœpit diligere, neutiquam id notaret, Paulum Chriſtum dilexiſſe inchoatâ tantùm & imperfectâ dilectione.

Parùm tamen intereſt dilectionem illam Dei dici *inchoatam*, modò indè non concludatur, non requiri, ut illa dilectio ſit amor Dei ſuper omnia. In amore enim Dei ſuper omnia, qualem jam ante oſtendimus neceſſarium omninò eſſe, ut homo verè dicatur ad Deum converſus, multi ſunt gradus. Quare prima illa catechumenorum dilectio poterit dici inchoata, etſi per illam Deus ſuper omnia diligatur; quia ut plurimum minùs firma & robuſta eſt in illâ gratiæ infantiâ, quàm in ætate provectiori.

Talis autem victrix dilectio poſtulatur, ut quis amicus fiat æternæ juſtitiæ, quæ ſe ipſam ſuper omnia diligi mandat. Namque huic præcepto quiſquis non paret, ſummæ juſtitiæ adverſarius & inimicus eſſe convincitur. Iniquum enim eſt, ut, quod minùs diligendum eſt, magìs; & quod magìs diligendum eſt, minùs diligatur. E contra ad juſtitiam poſtulatur ordo amoris, ſive amor, qui pro naturarum dignitate majori vel minori, eas majori vel minori amore proſequitur. [e] Bona ſunt omnia, inquit Auguſtinus, „ quæ creavit Deus, ab ipſâ rationali creaturâ uſque ad infi-

 „ mum

e *Epiſt*. 120. *ad Honorat*. *c*. 2.

„mum corpus. Ità benè in his agit anima rationalis, ſi or-
„dinem ſervet, & diſtinguendo, eligendo, pendendo
„ſubdat minora majoribus, corporalia ſpiritualibus, tem-
„poralia ſempiternis; ne ſuperiorum neglectu, & appeti-
„tu inferiorum, quoniam hinc fit ipſa deterior, & ſe &
„corpus ſuum mutet in pejus, ſed potiùs ordinatâ charitate
„& ſe & corpus ſuum convertat in melius. Cùm enim ſint
„omnes ſubſtantiæ naturaliter bonæ, ordo, ſcilicet amo-
„ris, in eis laudatus honoratur, perverſitas culpata damna-
tur. Nihil autem magis contra ordinem amoris, quàm ſi ſempiterna bona, æterna juſtitia ac ſapientia Deus noſter vel omninò non diligatur, vel minùs, quàm temporalia, diligatur. Nemo ergo eſſe juſtus poteſt, qui æternam juſtitiam non omnibus anteponit.

CAPUT X.

1. In baptiſmo initur cum Deo fœdus amoris. 2. Nemo baptiſmo ſuſcipiendo idoneus, qui idem non ſit paratus divina ſervare mandata, & Deum ſuper omnia diligere. 3. Si vota baptiſmi crimine violentur, non eſt reditus ad juſtitiam, niſi in ſacramento pœnitentiæ redintegrentur. 4. Duplex juſtitiæ tribunal, unum, in quo punitur peccator, nec emendatur; alterum, in quo ſic punitur, ut etiam Deo reconcilietur, quod ſine ejus amore fieri nequit. 5. in amore mundi omnia immunda.

§. 1. TAmetſi quæ hucuſque tractavimus, invictè probent, ſine amore Dei, qui omnibus aliis amoribus dominetur, peccatorem nec juſtitiâ nec remiſſione peccatorum, aut in baptiſmo, aut in pœnitentiæ ſacramento donari: non erit tamen inutile, illud ipſum denuò probare à fœderibus, quæ in ſacramentis baptiſmi ac pœniten-

tiæ

tiæ cum Deo ineuntur. Poſtquam ſacerdos à catechumeno petivit, quid petat ab Eccleſiâ; iſque reſpondit ſe fidem poſtulare, eam ſcilicet, quæ præſtet vitam æternam: tum his verbis catechumenum alloquitur [f]: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ, & proximum tuum ſicut te ipſum.* Quod perindè eſt, ac ſi diceret, nec fidem, nec baptiſmum ſufficere ad vitam æternam, niſi Deus ſuper omnia diligatur. Undè etiam ſacerdos, ubi laudatis Dei verbis catechumenus aſſenſum præbuit, ab eo poſtulat in ſignum ejus amoris, quem Deo pollicetur, ut abrenunciet ſatanæ, & omnibus operibus, ac pompis ejus. Renunciat autem omnibus ſatanæ operibus, qui renunciat illis omnibus operibus, de quibus ſcriptum, quòd, [g] *qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Renunciat verò omnibus pompis ejus, qui renunciat omnibus, quæ vel ex naturâ ſuâ inducunt ad crimen, qualia ſunt veſtes luxurioſæ, picturæ, & ſtatuæ inhoneſtæ, comœdiæ, & libri laſcivi; vel quæ, dum perſecutio vel aliud malum urget, retineri non poſſunt, niſi Deus crimine offendatur.

D. Hieronymus de hâc abrenunciatione & fœdere loquens, ait: [h] *In myſteriis primùm renunciamus ei, qui in occidente eſt*, nempe ſatanæ, *nobiſquè moritur cum peccatis; & ſic versùs orientem pactum inimus cum ſole juſtitiæ, & ſic nos ei ſervituros eſſe promittimus.* Atque hæc cauſa eſt, cur Hieronymi Magiſter Gregorius Nazianzenus dicat, quòd baptiſmus [i] *nihil aliud ſit quàm ſecundæ vitæ ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum.* Gregorius verò Nyſſenus ait, [k] *quòd pactum in traditione myſterii*, ſive baptiſmo, *cum Deo homo facit, cùm omnem pœnam, cruciatum, & voluptatem pro illius dilectione ſe neglecturum eſſe promittit.* Undè etiam Auguſtinus hoc baptiſmale fœdus vocat *votum noſtrum maximum*, [l] *quo nos vovemus in*

f *Vide Rituale Roman.* g *Gal.* 5. h *Hieron. in cap.* 6. *Amos.* i *Oratione* 40. k *In Oratione de baptiſmo Chriſti.* l *Aug. epiſt.* 59. *ad Paulin. quæſt.* 5.

in Chriſto eſſe manſuros, atque in compage corporis Chriſti.

§. 2. Ex his conficitur, primò quidem neminem percipiendo baptiſmo idoneum eſſe, qui non ſit paratus ſervare mandata; diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ, & proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ. Supra autem oſtenſum eſt, hanc voluntatem ſervandi mandata, nemini ineſſe poſſe, qui Deum ſuper omnia non diligat, & mandata corde non ſervet.

2. Ante baptiſmum requiri pactum cum ſole juſtitiæ, quo nos ei ſervituros, ac vitam à criminibus puram ducturos, omnemquè pœnam, cruciatum, & voluptatem pro illius dilectione nos neglecturos eſſe promittimus. Hæc autem quomodò quis verè poteſt promittere, qui ſolem, ſive fontem juſtitiæ non ſuper omnia diligit? Poteſtne quis ſoli juſtitiæ ſervire, qui eum non diligit? [m] Nam *quis cultus ejus, niſi amor ejus; & undè ille colitur, niſi charitate?* Et quomodò erimus pulchri, & vitâ puri, niſi [n] *amando eum qui ſemper eſt pulcher.... quia ipſa charitas eſt animæ pulchritudo?* Demùm quomodò quis poterit omnem pœnam, cruciatum, & voluptatem pro Dei dilectione ſe neglecturum promittere, ſi eum non omnibus præferat, omnibus anteponat? Eſtne poſſibile, ut quis ſincerè juret ſe pro amore ſolis juſtitiæ renunciare omnibus mundi voluptatibus, honoribus, ac opibus, ac toleraturum, quicquid durum mundus ſæviens inferre poteſt; qui tamen ſolem juſtitiæ non præ omnibus & ſuper omnia diligat? Poteſtne fieri, ut quis voveat ſe ſemper in Chriſto manſurum, hoc eſt, inter proſpera & adverſa, inter blandientia & torquentia; qui tamen forti amore Deo non adhæreſcat? Profectò ſi quis hæc ſine Dei amore promittit, ſi quis ſine Dei amore ſæculo renunciat, ei ore, & non corde renunciat.

Cùm itaque hæc vota, & abrenunciationes ante baptiſmum requirantur, & illa, niſi Deus ſuper omnia diligatur, vera & ſincera eſſe nequeant, dubium eſſe non poteſt, quin ante baptiſmum adultorum requiratur, ut Deum amando omni-

m *Aug. lib. de Trinit. epiſt. 39.* n *Aug. tract. 9. in epiſt. Joan.*

omnibus anteponant, atque hujus amoris baptiſmus ſacramentum, ſive ſacrum ſignum eſt. [o] *Quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus: conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem; ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* In baptiſmo itaque eſt ſignum vivificæ mortis, quâ concupiſcentiis morimur, ut in novitate vitæ, hoc eſt, in amore juſtitiæ, ambulemus. Non eſt ergo in baptiſmo juſtitia ſine charitate, ut veriſſimum ſit illud Auguſtini: [p] *Ubi charitas non eſt, non poteſt eſſe juſtitia.*

§. 3. Porrò ſi hæc amoris & abrenunciationis fœdera, & baptiſmus illorum ſigillum, ſive ſignaculum criminibus violantur, illa violatio malitiam criminum plurimùm auget. Nam, [q] *ſi jura humanæ pactionis*, uti loquitur Gregorius Nazianzenus, *firmiter conſervantur; fixiùs atque ferventiùs jura tanti pacti, quæ cum Deo facta ſunt, inviolabiliter ſunt obſervanda.* Undè etiam docent Patres [r], immundum ſpiritum baptiſmate pulſum, cum ſeptem aliis ſpiritibus nequioribus ſe, redire ad illos, qui iſta divina fœdera temerare auſi fuerunt, atque ità fieri noviſſima pejora prioribus, ut impleatur in eis, quod Petrus Apoſtolus ait: [s] *Melius erat illis, non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorsùm converti ab eo, quod traditum eſt illis, ſancto mandato.*

Primum autem, quod iſtiuſmodi violatori ac perfido incumbit, eſt, ut perfidiæ pœnitens violatum fœdus enitatur redintegrare. Unde *quiſquis*, inquit Gregorius iſtius nominis ſeptimus, [t] *dignè vult pœnitere, neceſſe eſt, ut ad fidei recurrat originem, & quod in baptiſmo promiſit, diabolo ſcilicet pompiſquè illius abrenunciare, & in Deum credere, videlicet recta de eo ſentiendo, mandatis ipſius obedire, ſollicitus ſit vigilanter cuſtodire.*

 Hoc

o *Rom.* 6. 3. p *Aug. lib.* 1. *de Serm. Domini in monte c.* 5. q *Ubi ſupra.* r *In Concilio Pariſienſi ſub Ludovico & Lothario lib.* 1. *cap.* 10. s 2 *Petr. c.* 2. *v.* 21. t *Epiſt. l.* 7. *epiſt.* 10. *ad Britanniæ Epiſcopos & Sacerdotes.*

Hoc habuit præ oculis S. Crodogangus Epiſcopus Metenſis, quando in regulâ [u], quam Canonicis ſcripſit, jubet, ut pœnitentes fœdera baptiſmi ſacrilegè violata renovent & inſtaurent. Et licet à pœnitentibus nunc non exigatur, ut diſertis verbis iterùm profiteantur, ſe diaboli operibus ac pompis ejus renunciare, ac ſervaturos Dei mandata, ac præſertim illa, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ, & ex totâ mente tuâ, & proximum tuum ſicut te ipſum; nihilominus nemo verè pœnitere poteſt, qui ſaltem intimis animi affectibus non renunciet iis, quæ Deus prohibet, & non ſpondeat ſe acturum quæ Deus jubet; [x] *Quoniam* (loquor cum Gregorio ſeptimo) *aliter ſimulatio dici poteſt, non pœnitentia.* Eſt igitur neceſſe, ut pœnitentes, ſi verè ſint pœnitentes, & non irridentes, redintegrent ſacra baptiſmatis fœdera. Illa autem, uti vidimus, verè & ſincerè iniri non poſſunt, niſi amor ſolis juſtitiæ dominetur in corde. Quomodò enim poteſt quis cum ſole juſtitiæ confœderari, qui eum non amat? Qui non diligit, quod ipſe præcipit? & qui amat, quod ipſe damnat? Amat autem, quod ipſe damnat, qui creaturam amat præferre Creatori. Nulla ergo poteſt eſſe in ſacramento pœnitentiæ, aut juſtificatio, aut remiſſio peccatori, ſi in animo ejus non regnet dilectio. [y] *Nam per hanc dilectionem*, quemadmodum ait Auguſtinus, *peccata ſolvuntur. Hæc ſi non teneatur, & grave peccatum eſt, & radix omnium peccatorum*; tantùm abeſt, ut ſine illâ homo utendo ſacramentis, coram Deo juſtus eſſe poſſit.

§. 4. Ut hæc doctrina uberiùs probetur, notari velim, eſſe duplex juſtitiæ tribunal, unum in quo tantùm ſatagitur, ut dedecus peccati non ſit ſine decore vindictæ. Hâc ratione in ergaſtulis, piſtrinis, triremibus, & patibulis puniuntur rei, non ſatagentibus judicibus, ut aut judicum, aut juſtitiæ amici fiant. Hâc ratione à damnatis in inferno Deus pœnas exigit, non inſpirans eis gratiam, quâ malam damnatorum corrigens voluntatem, ab eâ pellat dedecus peccati, & infundat virtutum decus.

Aliud

u *Cap.* 32. x *Ubi ſupra.* y *Tract.* 5. *in epiſt. Joan.*

Aliud eſt juſtitiæ tribunal, in quo decus vindictæ ita adhibetur dedecori peccatorum, ut ſimul curetur ac ſanetur voluntas mala; atque eâ ſanatâ fiat juſtitiæ amicus, qui peccando fuerat ei factus inimicus. In hunc modum Pater à filio peccante pœnas exigit: ſtudet enim, ut malam filius ponens voluntatem ad officium redeat, atque iterùm paterno amore dignus evadat. In hunc modum in pœnitentiæ tribunalibus, reis pœnæ imponuntur, quibus non tantùm peccata puniuntur; ſed etiam auferuntur, nec tantùm reus plectitur; ſed etiam emendatur, ut ex malo bonus, & ex juſtitiæ violatore ejus amator & cultor evadat. Undè ſacramentum pœnitentiæ à Concilio Tridentino vocatur ſacramentum reconciliationis. Tantum igitur abeſt ut quis in ſacramento pœnitentiæ non teneatur Deum præ omnibus & ſuper omnia amare, ut è contrà in uſu iſtius ſacramenti quàm maximè ad iſtud teneatur officium. Quando enim magìs neceſſarium eſt amare, quàm dum ei te reconciliatum optas, quem non amando, aut minùs amando offenderas? Quando magìs neceſſe eſt, ut creaturarum, quo Deum inhonoraveras, ponas amorem, quàm dum ad ejus gratiam & favorem aſpiras? Quando magìs neceſſe, ut Deum, quem creaturis poſtponendo inhonoraveras, creaturis anteponas, quàm dum tibi illum reconciliare eniteris? Quando magìs neceſſe, ut deſiſtas ab injuriâ & offensâ Dei, quæ in eo maximè, vel unicè poſita, quòd creaturam magìs, vel æquè quàm ipſum diligas, quàm dum tibi eum placare ſtudes? Quando magìs neceſſe, ut illud, quod Deus à te ante omnia exigit, ei exhibeas, quàm dum illius gratiam & favorem exambis? Et quid ante omnia & ſuper omnia à te, & à quâvis creaturâ rationali Deus poſtulat, quàm amorem & cor tuum, quàm ut ames quæ præcipit, & ſperes quæ promittit? Stulto conatu filius patrem, quem læſit, placare ſtuderet, ſi ei diceret, quòd cor ab eo gereret averſum. Hàc ſtultitiâ in Deo, cujus oculis omnia patent, ſibi reconciliando illi utuntur, qui magìs creaturam, quàm ipſum diligentes, non voce, ſed reipsâ ei dicunt, quòd ab eo amari velint, quamvis illum redamare nolint; quòd filiorum

loco ab illo haberi deſiderent, quamvis eum uti Patrem nec amare, nec colere deſiderent; & quòd ad filiorum hæreditatem aſpirent; quamvis à ſervorum cupiditate ac timore ad liberalem filiorum amorem minimè tranſeant.

Certè quiſquis ſacramentum reconciliationis putat eam habere virtutem, ut homines in creaturarum amore defixos, & à Deo averſos, ejus favori ac benevolentiæ reſtituere poſſit, illi ei ſacramento eam tribuunt virtutem, ut efficere poſſit, ut homo ſine violatione primi & maximi mandati, ſine ullâ Dei injuriâ, magìs creaturam, quàm ipſum; magìs infimum, quàm ſummum bonum diligat; utque ſine ullà perverſitate utatur fruendis, & utendis perfruatur; demùm ut ſine crimine diligat & colat, quod ſub ipſo factum eſt, & negligat ac inhonoret eum, à quo factus eſt. Etenim cùm homo ſine amore eſſe non poſſit, & cùm neceſſariò ſit amator Dei, aut mundi; ſequitur, quòd ſi in uſu ſacramenti reconciliationis Deum aut omninò non diligat, aut ſuper omnia non diligat, in creaturarum amore defixus hæreat, eis fruatur, ac Deo utatur, eaſquè colat, & Deum negligat. Erit ne ergo hæc vis ſacramenti, ut amorem, quo creaturæ propter ſe ipſas diliguntur, & Deo præferuntur, licitum honeſtumquè reddat?

§. 5. Non fuerunt in hâc opinione ſancti Patres, dum „ ſcripſerunt: [z] Duo amores ſunt, ex quibus omnes pro„ deunt voluntates, ità diverſæ qualitatibus, ſicut divi„ duntur auctoribus. Rationalis enim animus, qui ſine di„ lectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi. „ In dilectione Dei nulla nimia: In dilectione autem mundi „ cuncta ſunt noxia. Non excipit hìc Leo tempus, quo ſacramenta percipiuntur. Sine ullâ temporum, aut locorum, aut operum differentiâ generatim pronunciat: *In dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia.* Conſentit Leoni Gre„ gorius, dum ait: [a] Qui terrenarum rerum amore vinci„ tur, in Deo nullatenus delectatur. Eſſe quidem ſine di„ lectione anima nequaquam poteſt: Nam aut infimis dele„ ctatur, aut ſummis, & quantò altiori ſtudio exercetur ad ſum-

z *Leo Serm. 5. de jejunio 7. menſis.* a *Gregor. l. 18. Moral. c. 8.*

„ſumma, tantò majori ſtudio torpeſcit ad infima: quan-
„ tóque acriore curâ inardeſcit ad infima, tantò tepore da-
„ mnabili frigeſcit à ſummis. Generalia ſunt hæc Gregorii verba, qui *acriore curâ inardeſcit ad infima*, ſive in uſu ſacramentorum, ſive extra illum uſum, *tepore*, inquit, non laudabili, non licito, non veniali; ſed *damnabili frigeſcit à ſummis.*

In eâdem ſententiâ eſt ſanctus Fulgentius, magnus Au-
„guſtini diſcipulus ac defenſor. [b] Voluntas, inquit, crea-
„ turæ rationalis ſine qualicumque amore non poteſt eſſe;
„ nec ſic poteſt diligere, ut amorem ſuum non velit ad ali-
„ quid religare: quæ inter ſummum bonum, à quo creata
„ eſt, & infimum bonum, cui prælata eſt, medio quodam
„ loco poſita, profectò aut in infimo bono neceſſe eſt miſe-
„ rabiliter jaceat, aut in ſummo bono veraciter feliciterquè
„ conquieſcat. Univerſim loquitur Fulgentius, dum ait neceſſe eſt, ut creatura rationalis, quæ inter ſummum bonum, à quo facta eſt, & infimum, cui prælata eſt, medio quodam loco poſita eſt, in infimo miſerabiliter jaceat, ſi in ſummo non veraciter feliciterquè conquieſcat. Jacet ſemper creatura rationalis, quando Deum non omnibus præfert, in infimis miſerabiliter. Non autem ſemper in illis miſerabiliter jaceret; ſed potiùs in illis feliciter conquieſceret, ſi à creaturarum amore non recedens, utendo ſacramentis remiſſionem peccatorum, juſtitiam, Deiquè amicitiam conſequeretur.

Si ſcripturas attendimus: [c] *Qui non diligit*, ajunt, *manet in morte.* Nihil diſtinguunt, nihil excipiunt.

[d] *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, anathema ſit*, inquit Paulus. Ut ab hoc anathemate liberentur adulti, nullam in ſacramentis vim agnoſcit. Sit ergo certum, nullam eſſe in ſacramentis virtutem, quâ efficiant, ut in amore mundi cuncta non ſint noxia, ut acriore curâ infimis bonis inardeſcens, tepore damnabili non frigeſcas à ſummis, ut in infimo bono non miſerabiliter; ſed feliciter conquieſcas. Uti Chriſtus de ſe ipſo dixit, quòd non venerit

b *Lib. 1. ad Monimum c. 18.* c *1 Joan. 3.* d *1 Cor. 16.*

nerit ſolvere legem; ſed adimplere: ità de ſacramentis dici poteſt, quòd non ſint inſtituta ut ſolvant primum & maximum mandatum; ſed ut firment & impleant.

CAPUT XI.

1. Judæi eſt lege gravari, Chriſtiani eâ delectari. 2. Judæi præmiis & pœnis ab eâ diſtinctis; Chriſtiani ipsâ ejus æquitate ad illam ſervandandam trahuntur; quod fusè oſtenditur ex St°. Thomâ. 3. Judæi ſervi, Chriſtiani filii; filiorum prærogativa ad ſervos transfertur, quando illi dicuntur juſti, qui Deum timent, & non amant. 4. Qui tantùm timore pœnæ legem obſervant, in ejus obſervantiâ non diu perſeverant. 5. Doctrina, quæ docet timorem gehennæ cum ſacramento pœnitentiæ ſufficere ad ſalutem, moribus noxia. 6. Peccata poſt baptiſmum commiſſa difficiliùs remittuntur.

§. 1. JUdæum & Chriſtianum inter hæc differentia eſſe cognoſcitur, quòd Judæus ab æternâ juſtitiâ, quæ amorem ſuæ pulchritudinis & à temporalibus continentiam creaturæ rationali præcipit, dum ei dicit, me diliges, & temporalia non concupiſces, animo ſit averſo; & ſi quid à lege præceptum aut vetitum, foris faciat aut omittat, id faciat vel omittat trahente ipſum non amore juſtitiæ, ſed rerum tranſeuntium cupidine, aut terrente illum non turpitudine iniquitatis, ſed metu ſuppliciorum. E contrà verus Chriſtianus æternam legem, veritatem incommutabilem, Deum ſuum, qui jubet, ut homo imago ſua à temporalibus ad æterna convertatur, proſequitur amore, & ad illa, quæ juſta ſunt, dilectione juſtitiæ fertur; & ab injuſtis odio injuſtitiæ ſe ipſum cohibet; adeò ut nihil eorum, quæ Deus jubet, omittere, nihil illorum quæ vetat committere vellet, tametſi impunè poſſet.

Hanc

Hanc differentiam Paulus præ oculis habuit, quando ait Romanis: [d] *Peccatum vobis non dominabitur: non enim eſtis ſub lege; ſed ſub gratiâ.* Per peccatum intelligit Apoſtolus concupiſcentiam, ſive iſtum rerum tranſeuntium amorem, quo propter ſe ipſas diliguntur, tanquam forent bonum & delectatio noſtra, & non propter aliud aſſequendum, in quo ſit felicitas & decus noſtrum. Hæc autem concupiſcentia peccatum vocatur, quia ex peccato orta eſt, & ad peccatum inclinat. Dominatur verò iſta concupiſcentia in cordibus illorum, quos lex, *non concupiſces*, non delectat; ſed contriſtat, ſed terret, ſed damnat. Etenim his concupiſcentia dominatur, quia mandato jubenti, & non juvanti illa reſiſtens illos impellit, ut in vetitum ardentiùs nitantur, & negata avidiùs concupiſcant. Dicuntur verò iſtiuſmodi homines eſſe *ſub lege*; quia lex eorum memoriæ, veluti lapidi, inſcripta, dum jubet, quod averſantur, vetat quod concupiſcunt, damnat quod libenter agunt, & comminatur quod exhorrent, illos gravat tanquam pondus oneris, non adornat tanquam titulus honoris.[e]

Illi verò dicuntur eſſe *ſub gratiâ*, qui accepto per Spiritum ſanctum divinæ juſtitiæ amore, eâ delectantur, tanquam bono, gloriâ & beatitudine ſuâ; ita ut adamata ab illis lex æterna ſupra ipſos fulgeat, tanquam lux amica, quæ eos recreet, protegat, laudet, & decoret. Et hæc ſors atque felicitas verorum Chriſtianorum. Non ſunt ergo veri Chriſtiani *ſub lege* tanquam ſub onere; ſed ſunt cum lege, tanquam cum deliciis, gloriâ & bono ſuo. Et lex eorum cordibus inſcripta non eſt eis pondus oneris; ſed titulus honoris, ex quo laudem & gloriam conſequuntur, amoribus moribuſque illorum à lege & normâ ſuâ non diſſentientibus, ſed conſentientibus.

Hanc differentiam cùm Auguſtinus inter Chriſtianum & Judæum, & inter novum teſtamentum ac vetus advertiſſet, hanc celeberrimam protulit ſententiam: [f] *Hæc eſt breviſſima & apertiſſima differentia duorum teſtamentorum*, TIMOR

d Rom. 6. 14. e Vide Aug. in Pſal. 118. Conc. 11. f L. contra Adimant. c. 17.

MOR ET AMOR: *illud ad hominem veterem*, qualis eſt Judæus, *hoc ad novum hominem*, qualis eſt verus Chriſtianus, *pertinet*.

§. 2. Ut hæc ſententia, ac proinde differentia quæ intercedit Judæum inter & Chriſtianum, legem inter & gratiam, vetus inter & novum teſtamentum clariùs intelligatur, erit operæ pretium hîc referre, quæ ſcripſit ſanctus Thomas, „ut laudata Auguſtini verba exponeret. g Omnes, inquit, „St. Thomas, differentiæ, quæ aſſignantur inter novam le„gem & veterem accipiuntur ſecundùm perfectum & im„perfectum: præcepta enim legis cujuſlibet dantur de acti„bus virtutum: ad operanda autem virtutum opera aliter „inclinantur imperfecti, qui nondum habent virtutis habi„tum, & aliter illi, qui ſunt per habitum virtutis perfecti. „Illi autem qui nondum habent habitum virtutis inclinantur „ad agendum virtutis opera ex aliquâ causâ extrinſecâ, puta „ex comminatione pœnarum, vel ex promiſſione aliqua„rum extrinſecarum remunerationum, puta honoris vel di„vitiarum, vel alicujus hujuſmodi. Et ideò lex vetus, quæ „dabatur imperfectis, id eſt, nondum conſecutis gratiam „ſpiritualem, dicebatur lex timoris, in quantum induce„bat ad obſervantiam præceptorum per comminationem „quarumdam pœnarum, & dicitur habere temporalia quæ„dam promiſſa. Illi autem, qui habent virtutem, inclinan„tur ad virtutis opera agenda propter amorem virtutis, non „propter aliquam pœnam, aut remunerationem extrinſe„cam. Et ideò lex nova, cujus principalitas conſiſtit in ipsâ „ſpirituali gratiâ inditâ cordibus, dicitur lex amoris, & di„citur habere promiſſa ſpiritualia & æterna, quæ ſunt obje„cta virtutis, præcipuè charitatis: & ità per ſe in ea incli„nantur, non quaſi in extranea, ſed quaſi in propria. Et „propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non „animum: quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abſti„net, non ſimpliciter ejus voluntas à peccato recedit, ſicut „recedit voluntas ejus, qui amore juſtitiæ abſtinet à pecca„to; propter hoc lex nova, quæ eſt lex amoris, dicitur

„ani-

g 1. 2. Q. 107. *art.* 1. *ad* 2.

„ animum cohibere. Fuerunt tamen aliqui in ſtatu veteris „ teſtamenti habentes charitatem & gratiam Spiritus ſancti, „ qui principaliter expectabant promiſſiones ſpirituales & æ„ ternas: & ſecundùm hoc pertinebant ad legem novam. „ Similiter etiam in novo teſtamento ſunt aliqui carnales non„ dum pertingentes ad perfectionem novæ legis, quos opor„ tuit etiam in novo teſtamento induci ad virtutis opera ti„ more pœnarum, & per aliqua temporalia promiſſa: lex „ autem vetus etſi præcepta charitatis daret, non tamen per „ eam dabatur Spiritus ſanctus, per quem diffunditur chari„ tas in cordibus noſtris, ut dicitur Rom. 5.

His D. Thomæ verbis docemur, primò quidem Judæos ad ea, quæ lex jubet, illectos fuiſſe, non amore legis, ſive juſtitiæ; ſed cupidine aliquarum rerum, quæ à juſtitiâ toto cœlo diſtinctæ ſunt, nempe vel cupidine vitæ longævæ, vel divitiarum, vel victoriæ de inimicis, vel laudis ac vanæ gloriæ: illos verò, qui revera Chriſtiani ſunt, ad ea, quæ juſtitia præcipit, attrahi, non per amorem rerum, quæ ab ipsâ differunt juſtitiâ; ſed per ipſum juſtitiæ amorem; unde etiam illorum, quæ benè agunt, non aliud magìs præmium deſiderant, quàm perfectiorem juſtitiæ amorem, nec non pleniorem juſtitiæ fruitionem.

2. Docemur Judæum ſive hominem ſub lege poſitum ſe continere ab illis, quæ juſtitia vetat, non horrore injuſtitiæ; ſed timore vel mortis, vel famis, vel alterius pœnæ, quæ non ſunt ipſa injuſtitia, ſed res ab injuſtitiâ omninò diverſæ; è contra verum Chriſtianum, ſive hominem ſub gratiâ poſitum, nolle quicquam illorum, quæ juſtitia vetat, vel concupiſcere vel agere; quia iſtiuſmodi quicquam vel concupiſcere vel perpetrare ei omnibus ſuppliciis gravius videtur, ità ut homo ſub gratiâ poſitus ſuum bonum præmiumve in ipsâ juſtitiâ, & ſuum malum ſuppliciumve in ipsâ iniquitate repoſitum exiſtimet. [h] IN CUSTODIENDIS ILLIS, ſcilicet Dei præceptis, ſive judiciis, RETRIBUTIO MULTA: *Non in aliquo*, inquit Auguſtinus, *extrapoſito commodo, ſed in eo ipſo quòd judicia*, ſive præcepta, *Dei cuſto-*

h *Aug. in primâ expoſit. pſ.* 18.

ſtodiantur, multa retributio; multa eſt, quia gaudetur in eis. Undè eodem loco de præceptis Dei ait Rex Propheta; quòd ſint *deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum.*

3. Docemur, legem veterem, quæ data fuit necdum gratiam ſpiritualem conſecutis, dici legem timoris, in quantum inducit ad obſervantiam præceptorum per comminationem quarumdam pœnarum, & dicitur habere temporalia quædam promiſſa, quæ à concupiſcentiâ deſiderantur. Legem verò novam, cujus principalitas conſiſtit in ipsâ ſpiritali gratiâ inditâ cordibus, dici legem amoris, quia ipſa ſpiritalis gratia, ſive inſpiratio divini amoris, facit ut is, qui eſt ſub gratiâ, ſive cui divinus amor inſpiratur, feratur ſuâ ſponte in divinam juſtitiam, ut eam amanter colat, eam lætus obſervet, eamquè beatus adoret. Ulteriùs fit, ut illi, quibus Spiritus ſanctus inſpirat amorem juſtitiæ, ſint & dicantur filii Dei: illi verò, qui cupidine rerum externarum vel timore pœnarum agunt, quod lex jubet, vel non agunt, quod vetat, ſervi ſint & dicantur; quia ſervorum eſt cupidine terrenæ mercedis, vel metu carnalis ſupplicii officio intendere: ſicuti filiorum eſt amore juſtitiæ, quæ in officio fulget, illud obſervare. [i] *Quicumque enim Spiritu Dei*, id eſt, amore juſtitiæ, quem inſpirat Spiritus ſanctus, *aguntur, ii ſunt filii Dei.* Unde Paulus tales alloquens dicit: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm*, ſicuti in monte Sinai, *in timore; ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.*

§. 3. Hæc eſt ergo prærogativa illorum, qui aguntur Spiritu Dei, ſive amore juſtitiæ, quem ſanctus Spiritus diffundit in cordibus, ut ſint filii & hæredes Dei & cohæredes Chriſti: cùm è contrà illi qui aguntur ſpiritu timoris, ſive cupidine rerum creatarum, & timore ſuppliciorum ſint ſervi, qui non habebunt partem neque hæreditatem in regno

Dei

i *Rom.* 8. 14.

Dei & Patris, juxta illud Pauli: [a] *Ejice ancillam*; vetus ſcilicet teſtamentum, *& filium ejus*, nempe eum, qui ſpiritu terrenæ cupidinis ac timoris agitur; *non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ*; id eſt, cum vero Chriſtiano, qui ſpiritu amoris Dei agitur, quia lucentia in æternâ lege Dei præcepta diligens magìs peccatum, quàm gehennas aliaſve pœnas reformidat.

Hanc prærogativam filiorum Dei ad ſervos, contra Apoſtoli doctrinam, illi transferunt, qui aſſerunt, iſtos, qui non acceperunt niſi ſpiritum ſervitutis in timore, quiquè divino amore vacui nonniſi ſuppliciis compellentibus urgentur ad ea, quæ recta ſunt, Dei filios & hæredes, ac cohæredes Chriſti fieri; modò tantùm cùm timore gehennarum aut baptiſmum aut pœnitentiæ ſacramentum percipiant. Profectò quid hoc eſt aliud, quàm contra Doctorem gentium, filio ancillæ eam dignitatem tribuere, quæ propria eſt filio liberæ? Certè quid hoc eſt aliud, quàm Iſmaëlem Iſaäco, & ſervum libero coæquare, tantundemquè iſtis, qui ſunt ſub lege premente, concedere, quàm eis, qui ſunt ſub gratiâ liberante? Nonnè hoc eſt illos, qui concupiſcunt & timent more ſervorum, filios & hæredes Dei ac cohæredes Chriſti reddere, quamvis ſpiritum & naturam filiorum, quæ eſt amor Dei Patris, minimè habeant? Nonnè hoc eſt in ſacramentis, ſive externis ſignis, & cortice religionis Chriſtianæ tantam virtutem & ſalutem agnoſcere, quanta eſt in divinâ dilectione, quæ eſt eſſentia & perfectio iſtius cultûs, quem Chriſtus inſtituit, & quem Deus quærit, dum in ſpiritu & veritate caſti amoris vult adorari?

Sed dicant illi quicquid eis libeat, quævis ſacramenta ſervi accipiant, nunquam erunt filii, nunquam hæredes Dei, nunquam cohæredes Chriſti; ſicuti timor ſervilis nunquam erit timor filialis, nec concupiſcentia caſtus amor; quamvis ſervi deponentes cupidinem timoremquè ſervilem ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba, Pater, accipere poſſint, & ſæpiſſimè accipiant.

§. 4. Porrò, cùm timor pœnarum non ex corde, ſed tan-

[a] *Gal.* 4. 30.

tantùm ab exteriori opere peccatum excludat, nec concupiſcentis animum; ſed tantummodò operantis manum cohibeat: quia ſicuti ſanctus Thomas ait, *Qui timore pœnæ ab aliquo peccato abſtinet, non ſimpliciter ejus voluntas à peccato recedit, ſicuti recedit voluntas ejus, qui amore juſtitiæ recedit à peccato*; ideò illi, qui ſine amore juſtitiæ cum ſolo timore pœnæ, ſacramentum pœnitentiæ uſurpant, & à ſacerdotibus abſolutionis ſpecie donantur, non diu ſibi à criminibus temperant; ſed citò ad ea iterùm perpetranda abripiuntur. Lupus, qui tenetur deſiderio oves devorandi, & fur, qui aliena rapiendi cupidine ardet, dum ille paſtorem & canes vigilantes, iſte judicem videt & lictores, ponunt quidem voluntatem hîc & nunc rapiendi, verùm à rapiendi deſiderio, quod in intimis fervet medullis, minimè recedunt: undè tam in fure, quàm in lupo, ſimulac affulget impunitas, aut pœna non cogitatur, ardor rapiendi, timore tantiſper compreſſus, citò reviviſcit, ipſoſquè incitat, ut rapiant atque furentur. Quia Judæos cruciatus plagarum, & non dilectio juſtitiæ, à criminibus revocabant, non diu in obſervantiâ mandatorum perſiſtebant: nemo enim in eo, quod non amat, longo tempore perſeverat; nec diu eum colit, à quo corde averſus eſt. Hinc de Judæis, qui ſuppliciorum metu aut ſenſu ad officium redibant, in hunc modum loquitur Rex Propheta: [b] *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum & rememorati ſunt, quia Deus adjutor eſt eorum, & Deus excelſus redemptor eorum eſt. Et dilexerunt eum in ore ſuo, & linguâ ſuâ mentiti ſunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento*, ſive præceptis *ejus.... Quoties exacerbaverunt eum in deſerto, in iram concitaverunt eum in inaquoſo; converſi ſunt, & tentaverunt Deum, & ſanctum Iſraël exacerbaverunt.*

Quia ſolus timor pœnarum pravum cor illorum rectum cum Deo efficere nequibat, ideò neque fideles, neque conſtantes habiti ſunt in teſtamento ejus: fuiſſent verò conſtan-

b *Pſal.* 77.

ſtantes, ſi rectum cor habuiſſent. Rectum enim cor eſt cor, quod voluntati Dei ac juſtitiæ incommutabili amore adhæret, illiquè ſe ipſum attemperat & adaptat. [c] *Rectus eſt enim Deus, & ideo recto adhærens*, inquit Auguſtinus, *tanquam incommutabili regulæ poteſt fieri rectum, quod in ſe fuit pravum, cor hominis. Ut autem cor cum illo ſit, & per hoc rectum eſſe poſſit, acceditur ad eum, non pede; ſed fide.*

Si igitur Judæi Deo tanquam incommutabili Regulæ amore conjuncti & agglutinati fuiſſent, in ejus teſtamento fideles habiti fuiſſent; & ſi illum corde, & non ore tantùm dilexiſſent, ei linguâ ſuâ, dum dicebant, [d] *cuncta, quæ locutus eſt Dominus, faciemus*, mentiti non fuiſſent; quin imò vota, quæ illorum labia diſtinxerant, ei fideliter ac religiosè procul dubio reddidiſſent. Fideles ergo non fuerunt, quia illorum ad Deum converſio non erat amoris; ſed timoris. Infirmus enim, uti præclarè ait Ambroſius [e], „cuſtos diuturnitatis eſt timor: pudor autem bonus magiſter „officii: qui enim metuit, reprimitur; non emendatur. Eâdem de causâ nulla reperitur fides in promiſſis, nulla conſtantia in propoſitis illorum Chriſtianorum, qui peccata ſua ſacerdotibus confitentes; & emendationem vitæ, ſeceſſum ab occaſionibus peccandi proximis, ablatorum reſtitutionem, & debitorum ſolutionem ſpondentes, à ſacerdotibus ſine morâ abſolvi volunt, tametſi nullæ divini amoris ſcintillæ, nullus erga æternam Dei juſtitiam pius affectus, nulla mentis in æterna lege delectatio, nullus guſtus rerum cœleſtium; ſed tantùm quidam timor pœnarum, ſive hujus, ſive alterius vitæ in ipſis appareat. Etenim hi ſtatim ad vomitum redeunt, obliti eorum omnium, quæ in pœnitentiæ tribunali promiſerant. *Quoniam*, uti præclarè ait auctor librorum de vocatione omnium gentium [f], *perſeverari in eo non poteſt, quod non toto corde diligitur.* Nam, qui illos premebat timor, citò evaneſcit; quia triſtem & moleſtam illam ſuppliciorum cogitationem, ex quâ timor naſcitur, citò abjiciunt. Ab illis enim cogitandis, quæ cogitata hor-

 ro-

c *Aug. in expoſit. pſal.* 77. d *Exod.* 19. 8. e *Ambr. l.* 8. *in Luc.* f *Lib.* 2. *cap.* 11.

rorem incutiunt, quæque vitam triſtem reddunt, ſtudiosè mentem avertunt. Sicuti è contra iſta, quæ ipſos delectant, libenter mente revolvunt. Ubi enim amor, ibi oculus. Ubi ergo timor pædagogus ille triſtis, qui eorum deſideria comprimebat, diſceſſit, mox preſſa deſideria ſeſe efferunt, ut dominium malè liberum in ipſos reſumant. Atque ità fit, ut iſtorum pſeudopœnitentium noviſſima ſint pejora prioribus.

§. 5. Immò plurimi, qui cum Judæis pœnitent, ex illo ipſo timore & perſuaſione, quòd is timor, accedente ſacramentali abſolutione, reum mortis æternæ filiumquè gehennæ, in filium & hæredem Dei, ac Chriſti cohæredem ſine morâ tranſmutet, pertinaciſſimam ſumunt peccandi audaciam. Nam dum hinc experimento diſcunt, quòd æterna ſupplicia attentè ſine timore cogitare non poſſint, & dum inde arbitrantur non defuturos ſibi in extremis morbis ſacerdotes, à quibus abſolutione donentur; ſe de ſuâ ſalute in tantâ timendi facilitate ac ſacerdotum copiâ quaſi certos exiſtimant. Vix igitur quicquam moribus Chriſtianorum corrumpendis magìs appoſitum videtur eâ doctrinâ, quæ tradit ad juſtitiam & Dei amicitiam in ſacramento pœnitentiæ conſequendam, formidinem gehennæ abundè ſufficere. Nam præter converſiones inconſtantes, & præter peccandi audaciam, duo ingentia mala, quæ, uti demonſtravimus, ab eâ generantur, indè etiam ſuccreſcit deteſtabilis quædam mollities ac ſegnities Chriſtianorum, qui poſt baptiſmum ipſumquè pœnitentiæ ſacramentum ingenti criminum numero à ſe ſæpiſſimè violatum, de proferendis dignis pœnitentiæ fructibus nec curant, nec cogitant, rati fortè, ſe tantò faciliùs timorem gehennæ in ſe ipſis fore concitaturos, quantò in ſe ipſis majores invenient timendi rationes, hoc eſt, crimina plurima; & nulla pœnitentiæ opera, quibus crimina redimantur.

Sed quamcumque iſti molles ſibi ipſis impunitatem pollicentur, Chriſtus tamen non ceſſat illis minari, dicens: g *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes peribitis.* Non ceſſat Pau-

g *Luc.* 13. 3.

Paulus Judæis & gentibus annunciare, ut pœnitentiam agant, & convertantur ad Deum, [h] *digna pœnitentiæ opera facientes.* Nec ceſſat clamare Joannes: [i] *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

§. 6. Et quamvis hæc præcepta etiam ad eos ſpectent, qui necdum baptiſmate initiati ſunt, eos tamen propius tangunt, qui & baptiſmi & pœnitentiæ fœdus gravioribus criminibus violarunt. Nam in ſacramento baptiſmi longè facilior eſt remiſſio peccatorum: quia iſtiuſmodi in eo peccata remittuntur, quæ, cùm ante baptiſmum ſine Dei & Salvatoris cognitione perpetrata ſint, non æſtimantur uti violationes novi fœderis cum Deo initi; ſed uti quædam ſequelæ & propagationes originalis cæcitatis atque cupidinis. Undè ſancti Patres judicarunt ad delenda crimina, multò minorem ante, quàm poſt baptiſmum pœnitentiam poſtulari. [k] *Divinum quidem lavacrum*, inquit Pſellus.... *etiam ſine lacrymis largitur remiſſionem peccatorum. Quamobrem quòd talis lavacro adeſt poteſtas, & quòd facilè condonari poſſunt, quæ ante baptiſmum peccata ſunt, ut quæ ſint admiſſa propter ignorantiam.... Quæ autem poſt baptiſmum, multis lacrymis indigent, & non facilè condonantur, quoniam prudentes ſcienteſquè peccamus.* Hanc differentiam inter baptiſmum fluminis & lacrymarum, quæ oritur ex facilitate, quâ in baptiſmate; & ex difficultate, quâ in ſacramento pœnitentiæ peccata remittantur, Gregorius Nazianzenus præ oculis habebat, quando varia recenſens baptiſmata, de baptiſmate lacrymarum ita loquitur. [l] Quintum locum lacrymarum baptiſmus tenet: Verùm aſperior eſt & laborioſior; quo quidem ille tingitur, qui per ſingulas noctes lectum ſuum ac ſtratum lacrymis lavat, cui ipſæ quoque vitii cicatrices fœtent, qui lugens & contriſtatus ingreditur, qui Manaſſis reſipiſcentiam, ac Ninivitarum humilitatem, cui miſericordia impertita eſt, imitatur, qui Publicani verbis in templo utitur, ac ſupra inſolentem ac ſuperbum Pharisæum juſtificatur; qui denique Chananææ in modum

h *Act.* 26. i *Matth.* 3. k *In diſputatione; an detur plena remiſſio Monachalem habitum ſuſcipienti.* l *Orat. in St. Lumina.*

„ dum deprimitur, & miſericordiam implorat, ac micas
„ poſcit, hoc eſt, canis vehementi fame correpti pabulum.
Ex mente igitur Gregorii Nazianzeni, ut quis juſtitiam & remiſſionem peccatorum in ſacramento pœnitentiæ conſequatur, & lacrymæ Davidis, & reſipiſcentia Manaſſis, & humilitas Ninivitarum, & oratio Publicani, & patientia Chananææ, & horror vitiorum iſtiuſmodi deſideratur, atque eſt is horror, quo fœtorem corruptarum carnium exhorreſcimus. Sine iſtis pœnitentis animi affectionibus exiſtimabat Nazianzenus in ſacramento pœnitentiæ ad juſtitiam & remiſſionem peccatorum non perveniri.

Eandem diſtinctionem, quæ deſumitur à facilitate, quâ in baptiſmo, & à difficultate, quâ in ſacramento pœnitentiæ peccata relaxantur, advertit Theodoretus, dum ait:
„ [m] Medicabilia ſunt etiam, quæ poſt baptiſmum fiunt vul-
„ nera: Medicabilia autem, non ut olim in baptiſmo per ſo-
„ lam fidem datâ remiſſione; ſed per multas lacrymas, &
„ fletus, & luctus & jejunia, & laborem commiſſi peccati
„ magnitudini reſpondentem. A Chriſto enim edocti ſumus,
„ eos, qui ſic affecti ſunt, nec deſperare debere, nec illis
„ facilè ſacra impertiri. *Nolite*, inquit, *ſanctum dare canibus, nec projiciatis margaritas ante porcos.* Has Eccleſia de pœnitentiâ leges habet.

In eâdem ſententiâ fuit ſanctus Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, quando remiſſionem peccatorum, quæ datur in baptiſmo conſiderat, quaſi cœleſte donum, ad quod impetrandum nec longæ preces, nec acerbæ pœnitentium afflictiones requiruntur: eam verò miſericordiam, quâ in ſacramento pœnitentiæ juſtificamur, cenſet eſſe quaſi meritum confitentis; quia ad eam non pervenitur ſine moleſto pœnitentium labore, ſine precibus lacrymoſis, & ſine violentâ carnis mortificatione. [n] *Baptiſmus*, inquit, *ſacramentum eſt Dominicæ paſſionis, pœnitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipiſci poſſunt, quia gratiæ Dei donum eſt, id eſt, gratuita donatio. Labor verò iſte paucorum eſt, qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera convaleſcunt,*

m *Theodoret. Hæret. fabel. l. 5. c. 29.* n *Epiſt. 3. ad Sympronianum.*

leſcunt, qui lacrymoſis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviſcunt; ſicuti inceſtuoſus Corinthius, quem Paulus dederat Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ejus reviviſcens ſalvus fieret.

Eandem facilitatem, quâ in ſacramento baptiſmi, & difficultatem quâ in ſacramento pœnitentiæ à criminibus juſtificamur, expreſſerunt Patres Concilii Tridentini, dum di„ cunt: Alius eſt baptiſmi, & alius pœnitentiæ fructus: „ per baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus „ in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum „ omnium remiſſionem conſequentes; ad quam tamen no„ vitatem & integritatem per ſacramentum pœnitentiæ ſine „ magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ id exigente „ juſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus; ut meritò, in„ quiunt Patres Tridentini, pœnitentia laborioſus quidam „ baptiſmus à ſanctis Patribus dictus fuerit.[o]

Iſtius verò facilitatis, & hujus difficultatis iidem Patres proferunt rationem, dum dicunt: [p] Sanè & divinæ juſtitiæ „ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipian„ tur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint; ali„ ter verò, qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, „ & accepto Spiritûs ſancti dono, ſcientes templum Dei vio„ lare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint.

Si igitur ab iis, qui baptiſmum violaverunt, ut in gratiam à Deo recipiantur, magni fletus ac labores, uti loquitur Tridentina Synodus, requirantur, nonnè uberiores lacrymæ, & duriores pœnitentiæ labores ab illis requiruntur, qui non ſolùm ſacramentum baptiſmi, ſed ipſum ſacramentum pœnitentiæ, ac corporis Domini perſæpè etiam violarunt, dum poſt lavacrum pœnitentiæ tanquam ſues, quibus maximæ ſordes ſumma voluptas, ad volutabrum luti feſtini recurrunt, & dum poſt epulum panis Angelici, tanquam canes horribiles ad fœdiſſimos criminum vomitus famelici revertuntur? Attamen illi ſibi perſuadent, divinam amicitiam ſemper ſibi eſſe paratam, modò infernum timeant, & ſacerdotalem abſolutionem obtineant, minimè ſolliciti, ut

[o] *Seſſ.* 14. *de pœnit. c.* 2. [p] *Ibid. c.* 8.

ut vel magnis pœnitentiæ laboribus libidinem ac conſuetudinem peccandi expugnent, vel magnis ſupplicantis animi fletibus cœleſtia implorent auxilia, quibus odium peccati & amor juſtitiæ in corde diffunditur; arbitrantur enim ſine odio peccati, ſine amore Dei, & ſine duris pœnitentiæ laboribus Dei juſtitiam & ſalutem ſibi parabilem eſſe, modò ab æternis cruciatibus abhorreant, & ſacerdotum manibus criminum vincula, quibus ſe ipſos conſtrinxerunt, ſolvenda præbeant. Verùm hujus illorum arbitrii non eſt auctor vel Chriſtus, vel Apoſtoli, aut Sancti ejus: docent enim illi, uti vidimus, crimina poſt baptiſmum commiſſa non eſſe medicabilia niſi per multas lacrymas, & fletus, & luctus, & jejunia, & laborem commiſſi peccati magnitudini reſpondentem. [q] Si precem, inquit Cyprianus ex toto corde quis faciat, ſi veris pœnitentiæ lamentationibus & lacrymis ingemiſcat, ſi ad veniam delicti ſui Dominum juſtis & continuis operibus inflectat, miſereri talium poteſt, poteſt indulgentiam dare; ſententiam ſuam poteſt ille deflectere; pœnitenti, operanti & roganti poteſt clementer ignoſcere; poteſt acceptum ferre quicquid pro talibus & petierint martyres, & fecerint ſacerdotes. Hæc lex, quâ Deus peccata relaxat. Hanc ſi ſacerdos negligat, & ſi non pœnitenti, non oranti, non operanti, hoc eſt, non facienti fructus dignos pœnitentiæ, ſed tantùm ex gehennæ metu proferenti folia confeſſionis veniam criminum ſe credat poſſe indulgere, tali ſacerdoti dicet Cyprianus: [r] Homo Deo non poteſt eſſe major, nec remittere, aut donare indulgentiâ ſuâ ſervus poteſt, quod in Dominum delicto graviore commiſſum eſt.

Si quis verò graviorum criminum reus, tametſi ſuis libidinibus, ut cor converteret ad Dominum, vim nullam intulerit, tametſi, ut ſpiritum novum acciperet, nullas lacrymas orans fuderit, tametſi, ut ſanitatem animæ ſuæ impetraret, locis contagioſis & illecebroſis conſortiis non renunciaverit, ſe à ſacerdotibus putet poſſe curari, iſtiuſmodi lapſo ingeret idem Cyprianus, quòd neſciat ſcriptum eſſe, male-

q *De lapſis propè finem.* r *De lapſis.*

ledictus homo, qui ſpem ponit in homine. Cùm ergo doctrina, quæ aſſerit inferni timorem cum ſacramento pœnitentiæ ad juſtitiam ſufficere, ad illos, qui timent uti ſervi, nec amant, tanquam filii, gloriam ac hæreditatem filiorum Dei transferat, cùm faveat inconſtantibus & fucatis converſionibus, cùm facilitas veniæ, quam aſſerit, peccandi inſpiret audaciam. Hinc doctrina, quæ aſſerit, amorem Dei homini juſtificando neceſſarium eſſe, tanquam promiſſionibus novi teſtamenti, & Spiritui adoptionis filiorum Dei magìs conformis, unicè ſuſcipienda, & prædicanda videtur.

CAPUT XII.

1\. *Dotes doctrinæ, quæ aſſerit ſine Dei amore neminem juſtificari, ſervat filiis novi teſtamenti ſuam prærogativam.* 2. *Docet lege utendum, ut à Chriſto gratia, quâ lex impletur, accipiatur.* 3. *Movet ad pœnitentiæ opera, ut ex illis ſacerdos dijudicet, quinam ſint digni abſolutione.* 4. *Inducit ad converſionem perſeverantem.* 5. *Liberi arbitrii volubilitatem ſiſtit amor Dei radicatus.*

§. 1. DOctrina, quæ aſſerit ſine tali Dei amore, qui omnes alios excedit amores, nemini aut ſalutem aut juſtitiam contingere poſſe, nullis iſtis incommodis obnoxia eſt, quæ in eâ opinione notavimus, quæ inferni timorem, modò accedat baptiſmus aut aquarum, aut lacrymarum, parandæ juſtitiæ ſufficientem deprædicat.

Iſti opinioni primò vitio dedimus, quòd dignitatem & hæreditatem filiorum novi teſtamenti transferret ad filios veteris inſtrumenti. Hæc verò doctrina ad ſolos novi teſtamenti filios eas extendit. Illos, qui iterùm acceperunt ſpiritum ſervitutis in timore, ut clamare non poſſint, *Abba, Pater*, nec filios, nec hæredes Dei, nec cohæredes Chriſti agnoſcit, quibuſvis illos ſacramentis ornaveris. Iſtis ſolis, qui donati Spiritu adoptionis filiorum, Deum diligen-

do

do metuunt, & metuendo diligunt, hanc vindicat prærogativam. Illos tantùm tanquam hæredes Dei veneratur, qui æternam juſtitiam, quæ Deus eſt, tanquam ſummum bonum ſitientes adorant. Iſtos ſolos cohæredes Chriſti eſſe affirmat, qui Spiritum Chriſti habentes, ea diligunt, quæ ipſe diligit, & ea deteſtantur, quæ ipſe deteſtatur. Non ſinit ergo, ut Iſmaël Iſaäco adæquetur, aut ut filius ancillæ ſit hæres cum filio liberæ.

§. 2. In alterâ opinione hoc quoque ſugillandum, quòd nec lege utatur, ut ad Chriſtum accedat, nec timore, ut per illum tanquam per ſetam filum charitatis in animas introducat. Hâc autem doctrinâ imbuti homines, dum hinc legem jubentem & terrentem, inde ſui cordis averſiones ac prævaricationes intuentur, timore quidem concutiuntur ob pœnas à violatâ lege imminentes: verùm admoniti à lege jubente & terrente, quid agere, & niſi egerint, timere debeant, & videntes ſe nec legi ſervandæ, nec pœnis ſuſtinendis pares eſſe, lege utuntur tanquam pædagogo, à quo ducantur ad Chriſtum, ut ab illo accipiant auxilium ad agenda, quæ lex jubet, & indulgentiam ad evadenda, quæ minatur. Hinc ait Paulus[s]: FINIS ENIM LEGIS CHRISTUS AD JUSTITIAM OMNI CREDENTI. *Finis ſcilicet perficiens, & non interficiens:* quia electis ſuâ morte meruit, & ſuo Spiritu donat dilectionem, quâ credentes orantesquè donantur, ut, quicquid juſtum lex præcipit, diligant ac diligendo perficiant.

Qui itaque hâc doctrinâ imbuti ſunt, non hærent, nec confidunt in cognitione legis jubentis terrentiſquè, perinde ac ſi illa cognitio iſtequè terror accedentibus ſacramentis ad juſtificationem comparandam ſufficerent: verùm agnoſcentes cognitionem juſtitiæ, quam cognitionem lex donat, & timorem pœnæ, quem illa prævaricatoribus incutit, ad pellendas concupiſcentias, ſanandaquè ſuarum vulnera animarum non eſſe pares, ad Chriſtum credendo & orando confugiunt, ut ab ipſo accipiant, non ſolùm legem noſſe; ſed etiam amare, ut quæ tantùm cognita terret, ama-

s *Rom.* 10.

„ ta oblectet. [t] Itaque idem præceptum timentibus lex eſt, „ amantibus gratia eſt; unde eſt illud in Evangelio: *Lex* „ *per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum* „ *facta eſt*. Eadem quippe lex, quæ per Moyſen data eſt, ut „ formidaretur, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta „ eſt, ut impleretur.

§. 3. Hinc oritur tertia diſtinctio inter illos, qui urgentur ad ea, quæ recta ſunt, ſpiritu timoris ac ſervitutis, & illos, quos trahit amata pulchritudo. Etenim ſicuti illi pœnitentiæ labores averſantur; ita hi illos libenter amplectuntur, efficiente dilectione pulchritudinis juſtitiæ æternæ, ut præ turpitudine concupiſcentiarum ſuarum ſibi ipſis diſpliceant, ac iraſcantur, hoc eſt pœnitentes fiant. [u] *Quid eſt enim homo pœnitens, niſi homo iraſcens ſibi? Ut accipiat veniam, de ſe ipſo exigit pœnam.*

Ut ergo divinæ juſtitiæ, cujus pulchritudinem ex divino munere amare cœperunt, propiùs & intimiùs conjungantur, eiquè firmiùs adhæreant, pro gradu ſui erga Deum amoris inſtant, ut debellent & extirpent quicquid in ipſis ex ipſis Deo repugnat. Hinc illorum pœnitentiæ opera, eleëmoſynæ, vigiliæ, jejunia: hinc ſeceſſus à contagioſis hominum conſortiis, & illecebroſis mundi commerciis, ſibiquè periculoſis officiis, quamvis per ſe ipſa innocentibus: hinc lectiones & meditationes verbi Dei: hinc demùm illarum rerum uſus, quibus fomes peccati extinguitur, & divinus amor, magìs magíſque nutritur. Illi itaque, qui aguntur ſpiritu amoris, pœnitentiæ opera non fugiunt; ſed quærunt. Nec mirum; dulciores enim ſunt lacrymæ pœnitentium, quàm gaudia theatrorum.

Hæc autem pœnitentiæ opera, quibus juſtitiæ amor, & odium iniquitatis nutriuntur, duplici ratione à pœnitentibus frequentantur; nempe vel ex electione propriâ, vel ex ſacerdotum præcepto. In priſcâ Eccleſiâ lapſi ſua peccata ſacerdotibus in confeſſione aperiebant, ut ordinem pœnitendi pro peccatorum magnitudine ac qualitate ab ipſis acci-

pe-

t *Aug. lib. 1. ad Simplician. q. 1.* u *Aug. Serm. 35. de verbis Domini.*

perent, eoquè ſervato atque expleto, deindè ab eiſdem abſolverentur. [x] *Mediator enim*, inquit Leo, *Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos per januam reconciliationis admitterent.* Illorum ergo pœnitentiæ opera confeſſionem ſequebantur, & abſolutionem, tanquam præparationes, antecedebant. Erantquè hæc pœnitentiæ opera tantò uberioris meriti, quantò à ſacerdotibus impoſita, partes erant ſacramenti pœnitentiæ. Nunc non rarò ipſi lapſi, dum divino timore perterriti ad ejus miſericordiam confugiunt, & per Chriſti meritum pœnitendi gratiam poſtulant, ſibi ipſis opera pœnitentiæ præſcribunt, ut illis naſcentem in ſe ipſis divinæ juſtitiæ dilectionem foveant, ac eouſquè alant, ut cum contritione confitentes, ſtatim poſt confeſſionem abſolvi poſſint, oſtendentes ſacerdoti, non ſolùm folia confeſſionis; ſed etiam dignos fructus pœnitentiæ, ex quibus de illorum converſione, & ad percipiendam abſolutionem præparatione prudens judicium ferre queat. Tam ergo hi, quàm iſti, *ne*, ut loquitur Ambroſius, [y] *in ipſâ pœnitentiâ fiat, quod poſtea indiget pœnitentiâ*, antequàm abſolutionem à ſacerdote ſibi impertiri velint, ſtudioſiſſimè allaborant, ut converſionem ſuam per fructus dignos pœnitentiæ certam faciant, hoc eſt, ut amorem Dei & odium iniquitatis in ſe ipſis nutriant atque confirment. Nam, uti ait Auguſtinus, [z] *pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei.*

§. 4. Ex iſto Dei amore ac odio peccati naſcitur quarta differentia eos inter, qui ex timore, atque illos, qui ex amore pœnitent. Illi enim, uti vidimus, in ſuâ à peccatis abſtinentiâ non diu durant; quia illud quod foris non agunt, intùs tamen agere deſiderant: hi verò in ſuo à vitiis receſſu conſtantes ſunt; quia ea oderunt, ac Deum diligunt: nemo enim ad illud, quod odit, quodquè ei rei, quam omnibus præfert, contrarium eſt, ſe ſinit reduci: præſertim

x *Leo ad Theodorum Forojulienſ. Epiſc. ep.* 82. *c.* 2. *juxta edit. Quenelii.* y *Lib.* 2. *de pœnitent. c.* 11. z *Aug. Serm.* 7. *de temp.*

tim ſi iſtius ſit ſummum odium, atque hujus maximus amor. Nunc autem ita ſe res habet, ut ad veram converſionem ac cum Deo reconciliationem ſummum odium peccati ac maximus Dei amor poſtuletur. Nam ſi, uti Deus ſummum bonum eſt inter omnia, quæ diligenda ſunt; ita etiam peccatum ſummum malum eſt inter omnia, quæ odiſ-
„ ſe homines debent; [a] illud ſequitur, inquit Catechiſmus
„ Romanus, ut quam ob cauſam Deum ſummè diligendum
„ eſſe confitemur, ob eandem rursùs peccati ſummum odium
„ nos capiat neceſſe ſit. Omnibus verò rebus Dei amorem
„ anteponendum eſſe, ita ut ne quidem vitæ conſervandæ
„ causâ peccare liceat, apertè nos docent illa Domini verba:
„ Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me
„ dignus; & qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, per-
„ det eam. Is autem affectus, qui in animâ omnibus aliis dominatur affectibus, ille ab eâ ægerrimè divellitur. Rarò avaritiam illi ponunt, quorum ipſa potior affectio eſt; vix illi ambitionem vincunt, in quorum corde illa principem locum tenet. Ità pariter, dum amor Dei, odium peccati alios excedunt affectus, firmiter hærent; & illi, qui, uti loquitur Apoſtolus, [b] *in charitate radicati & fundati* ſunt, in eâ firmi ac conſtantes ſunt. Uti enim arbores altis radicibus terræ hærentes, & domus profundo nixæ fundamento vix loco moveri poſſunt; ità illi, qui in charitate fundati & radicati ſunt, ab eo, quod charitas diligit, divelli non poſſunt; quia divelli non volunt. Hinc unus illorum, qui in charitate fundati & radicati ſunt, liberè interrogat: [c] *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius (ſicut ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur totâ die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis) ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei,*

a *Part.* 2. *n.* 28. b *Eph.* 3. 17. c *Rom.* 8. 35.

Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Tantâ cum fiduciâ de ſuâ in bono conſtantiâ loquuntur amantes, quia ſciunt fidelem eſſe Deum, qui auxilium, quod filiis promiſſionis & gratiæ pollicetur, eis abundè ſufficiet, juxta illud Pauli: [d] *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatio-„ne proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* [e] Apoſtolus dicens, „fidelis Deus, oſtendit, inquit ſanctus Thomas, paratum „adjutorium in tentatione. Commendat Deum adjutorem, „qui dat nobis reſiſtendi potentiam, quod notatur ibi, *fa-„ciet cum tentatione proventum.* Perſeverantiam, quod „notatur ibi, *ut poſſitis ſuſtinere.* Verè fidelis Deus, qui „dat potentiam, ne vincamur, gratiam, ut mereamur, „conſtantiam, ut vincamus.

§. 5. Illi ergo, qui ex odio peccati & amore Dei pœnitent, ſunt in bono conſtantes; quia liberi arbitrii volubilitatem ſiſtit radicata & fundata in illis charitas. Charitatem verò, ne illis deficiat, Deus ſuo ſpiritu firmat: atque hinc de charitatis fortitudine ac perſeverantiâ ſcriptum in cantico canticorum: [f] *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio; lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Quemadmodum ex his locis nemo rectè concluſerit, dilectionem Dei ſemel habitam nunquam amitti, (iſtud enim falſiſſimum eſſe patet ex pluribus, iiſque maniſeſtiſſimis ſcripturæ locis atque exemplis) ſic contra eos, qui illam inſtar iſtorum animalium, quæ eodem, quo oriuntur, die moriuntur; vel inſtar marinorum fluctuum, qui ſimul ac littora perſuderint, ſeſe à littoribus, ut in ſinum maris refundantur, feſtinantes recipiunt, fugacem & inſtabilem fingunt, verè confeceris, eam ubi in adultorum animis ſemel thronum fixit, ſive principem locum occupavit, multò conſtantiorem eſſe, quàm ab iſtis æſtimatur. Si enim adeò occidua foret, ſancti Patres non adeò unanimiter docerent, eos non pœnitentes eſſe; ſed irridentes, qui poſt uſur-

d 1 *Cor.* 10. e *In Comment. iſtius loci.* f *Cant.* 8. 6.

uſurpatum pœnitentiæ ſacramentum, vel vitam non mutant, vel ad ea revertuntur, de quibus pœnituerant, vel agere non ceſſant, de quibus ſe confitendo accuſaverant. Non potuiſſet dicere Auguſtinus: [g] *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes; ſi tamen eſtis pœnitentes, & non irridentes, mutate vitam.* Non potuiſſet inquam, dicere Auguſtinus, eos, qui non mutant vitam, non eſſe pœnitentes; ſed irridentes, ſi certa pœnitentia, quam in amore Dei & odio peccati poſitam eſſe dicit, mox ubi nata eſt, interire ſolita foret. Quomodò de illorum confeſſione, qui peccatum, de quo ſe accuſaverant, repetunt, generatim dicere poſſet: [h] *Profeſſio eſt; non emendatio. Accuſatur anima; non ſanatur. Pronunciatur offenſa; non tollitur.* Si hæc foret ſors veræ converſionis, ut poſt dies aut ſeptimanas aliquot plerumquè evaneſceret? Quomodò dicere auderet: *Iſta eſt filioli pœnitentia vera, quando ſic convertitur quis, ut non revertatur; quando ſic pœnitet, ut non repetat:* ſi arbitratus fuiſſet converſiones veras non eſſe diu vitales; ſed plerumquè poſt lapſum aliquot dierum eſſe occiduas? Quomodò Gregorius verè ſcriberet: [i] *Pœnitentia eſt præterita peccata plangere, & plangenda iterùm non committere;* ſi conſuetum foret, ut verus pœnitens rediret ad vomitum? Quomodò etiam idem Doctor de illis qui in bono non perſeverant, alibi ſcriberet: [k] *Bona ſe non ex corde tenuiſſe ipſi ſibi teſtes ſunt, qui hæc citò dimiſerunt:* ſi hoc eſſet ingenium bonorum propoſitorum, ut nata in cordibus ex illis citò evaneſcerent? Quomodò Iſidorus ab errore excuſari poſſet, dum ſcribit: [l] *Irriſor eſt, & non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet: nec Deum videtur poſcere ſubditus; ſed ſubſannare ſuperbus:* ſi verè pœnitentes plerumquè iterùm agerent, quæ ſe non acturos in confeſſione promiſerant?

Licet itaque concludere, dilectionem Dei & odium peccati, dum, uti oportet, omnes alios amores & odia excedunt, in animabus plerumquè ſtabilia ac durabilia eſſe; adeo-

g *Aug. hom. 41. inter 50. hom.* h *Serm. 7. de temp.* i *Greg. hom. 36.* k *Lib. 8. Moral. c. 24.* l *Iſidor. l. 2. ſentent. c. 16.*

adeoquè veram pœnitentiam atque converſionem, quæ ex ipſis dimanant, vel in ipſis collocatæ ſunt, multò perſeverantioris eſſe naturæ, quàm illi arbitrantur, qui ad veram pœnitentiam, contra ſanctos Patres, plus non requirunt, quàm pœnitentiæ ſacramento junctum gehennæ timorem; qui, cùm ſit fugax affectus, alias parere non poteſt, quàm fugitivas converſiones, niſi fortè tanquam pædagogus ducat ad Chriſtum, qui eſt *finis legis, ad juſtitiam*, & quidem ſtabilem, *omni credenti*, dum credenti atque oranti ſuum infundit amorem: quia nunquam (uti loquitur Eccleſia) ſuâ gubernatione deſtituit, quos in ſoliditate ſuæ dilectionis inſtituit.

CAPUT XIII.

1. *Deus ſuos ſibi format cultores, à quibus in ſpiritu & veritate adoretur.* 2. *Adoratur in ſpiritu & veritate, dum caſtè diligitur.* 3. *Expenduntur verba Pauli dicentis, veniſſe Chriſtum, ut ſibi mundaret populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* 4. *Populo acceptabili dat Deus conſtantem juſtitiam.* 5. *Perſeverantem à peccatis libertatem à Chriſto dandam teſtantur Prophetæ, & per hanc libertatis perſeverantiam oſtenditur, quid poſſit auxilium gratiæ.* 6. *Aliqui tamen à juſtitiâ excidunt, ut omnes cum timore ac tremore ſuam ſalutem operentur.*

§. 1. DEo ſervire, ejus donum eſt. Ipſe illis, quos ſibi in ſervos & filios eligit, inſpirat voluntatem liberaliter ſerviendi, & amanter obediendi. Hoc Dei donum Apoſtolus optat Hebræis, dicens: [m] *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem; faciens in vobis, quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum.* Hanc gra-

m *Hebr. c.* 13.

gratiam Judæis in Ægypto commorantibus apprecabantur Judæi, qui Jeroſolymam inhabitabant: [n] *Benefaciat*, inquiunt, *vobis Deus, &c. & det vobis cor omnibus ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno, & animo volenti. Adaperiat cor veſtrum in lege ſuâ, & in præceptis ſuis, & faciat pacem.*

Et niſi Deus hanc hominibus gratiam donet, nemo eſt, qui ei ex corde ſervit, nemo, qui habet cor aut voluntatem, ut colat eum. [o] *Sine me*, inquit Chriſtus, *nihil*, ſcilicet ad cultum Dei ſpectans, *poteſtis facere*. In his Chriſti verbis intelligenda eſt gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, [p] quâ ſolâ, inquit Auguſtinus, homines liberan-
„ tur à malo, & ſine quâ nullum prorsùs ſive cogitando,
„ ſive volendo & amando, ſive agendo, faciunt bonum:
„ non ſolùm ut monſtrante ipsâ, quid faciendum ſit, ſciant;
„ verùm etiam ut præſtante ipsâ, faciant cum dilectione,
„ quod ſciunt. Hanc quippe inſpirationem bonæ voluntatis
„ atque operis poſcebat Apoſtolus eis, quibus dicebat: [q] *O-*
„ *ramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali, non, ut*
„ *nos probati appareamus; ſed ut vos, quod bonum eſt, fa-*
„ *ciatis*. Quis hoc audiat, & non evigilet, atque fateatur
„ à Domino Deo nobis eſſe, ut declinemus à malo, & fa-
„ ciamus bonum?

Hanc gratiam, ſine quâ Deo ſervire non poſſumus, agnoſcit Eccleſia, dum in quâdam oratione precando ait: [r] *Omnipotens & miſericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter ſerviatur, tribue, quæſumus, nobis, ut ad promiſſiones tuas ſine offenſione curramus.*

Itaque Dei eſt opus, ſibi per miſerationis ſuæ operationem cultores formare, quales ipſe quærit, & quales ipſum decent: hoc eſt, Adoratores in ſpiritu & veritate. [s] *Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus enim eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet*

K

n *Lib. 2. Machab. c. 1. 2.* o *Joan. 15.* p *Aug. l. de corrept. & gratiâ cap. 2.* q *2 Corinth. 13.* r *Orat. Domin. 12. poſt. Pent.* s *Joan. 4. 24.*

tet adorare. Porrò ut quis adoret in ſpiritu, duo requiruntur; primò, ut adoret internis affectibus, & non tantùm labiis, aut ceremoniis more Judæorum, de quibus Christus: [t] *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Secundò, ut illi affectus ſint ſpirituales, hoc eſt, nihil carnale concupiſcant, nihil terrenum quærant.
,, Unde monet Auguſtinus: [u] Preces noſtræ non ſint pro ,, rebus temporalibus, prætereuntibus, & vice vaporum ,, evaneſcentibus; ſed ſint preces noſtræ pro ipsâ implendâ ,, juſtitiâ & ſanctificatione pro nomine Dei. Et profectò ,, qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non uti- ,, que Deum, ſed illa quærebant; quia eo modo, timore ,, ſervili; non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo ,, Deus non colitur. Hoc enim colitur quod diligitur. Un- ,, de, quia Deus rebus omnibus major eſt, plus omnibus ,, diligendus eſt, ut colatur.

Ad adorationem in veritate pariter duo requiruntur; primum, ut in mente adorantis nec falſus Deus, quemadmodum in animo gentilium, nec de vero Deo, quemadmodum in cogitatione Samaritanorum, opinio falſa reperiatur. Secundò, ut quicquid ceremoniis & verbis exprimitur, internis animi motibus verè reſpondeat. Hinc ſervus peccati in veritate non adorat, dum ſine deſiderio adoptionis filiorum Dei, Deum tamen tanquam Patrem ſuum audet appellare. Hinc qui dicit, ſanctificetur nomen tuum, nullo incenſus odio peccati, quo Dei nomen inhonoratur, nec ullo ardens Zelo, quo ejus cultus promovetur, non verus; ſed fictus adorator eſt. Frigidus ab æternæ vitæ deſiderio, & præſentis vitæ fervens amore, dum dicit, Adveniat regnum tuum, Deum magìs mendacio inhonorat, quàm adorat in veritate. Sacerdos altaribus adſtans, tametſi offerat corpus Chriſti, hypocritam agit, niſi accenſus flammâ divini amoris, in eâ oblatione, quam offert, etiam ipſe offeratur. Non adorat in ſpiritu & veritate, qui ſacra pœnitentiæ ſymbola uſurpans nec cor, nec mores mutat in melius. Chriſtianus corpori Domini in Euchariſtiâ communicans,

t *Matth.* 15. 8. u *Serm.* 11. *inter hom.* 50.

cans meretur inter falſos adoratores recenſeri, ſi per amorem Dei de Chriſto, & ſub Chriſto non vivat. Denique non eſt adoratio in ſpiritu & veritate, dum quod ſacramentis denotatur, in corde non reperitur. Requiritur itaque ad adorationem in ſpiritu & veritate, vera Dei cognitio, ac ſpiritualis illius amor; & quia ſpiritalis amor Dei ſine vera illius cognitione eſſe non poteſt; hinc Auguſtinus ſæpè dicit, ſincerum Dei cultum in illius amore poſitum eſſe. [x] *Hic eſt*, inquit, *Dei cultus, hac vera religio, hæc tantùm Deo debita ſervitus.* Et alibi: [y] *Pietas Dei cultus eſt, nec colitur ille, niſi amando.* Et iterùm: [z] *Quis cultus ejus niſi amor ejus?*

§. 2. Quando ergo Chriſtus tales format adoratores, quales Deus quærit, Deumquè decent, tunc in illorum cordibus diffundit amorem, quo ſolo ab Auguſtino Deus coli dicitur: quia alia ſine charitate nihil proſunt, & quia, ſi neceſſitas impediat ne alia adhibeantur, ſola ſufficit. [a] *Adde charitatem*, inquit Auguſtinus, *proſunt omnia; detrahe „ charitatem, nihil proſunt cætera.* [b] Ipſa eſt, inquit alibi, „ quæ poteſt ſufficere, ſi cætera non ſint: ſi autem ſola de„ ſit, nihil prodeſt, quicquid habitum fuerit. Sola ſufficit, „ ſi adſit. Cætera omnia nihil proſunt, ſi ſola charitas deſit. Sine hoc ergo amore nec timor gehennæ, licet junctus ſacramentis, nec ſacramenta, licet juncta timori gehennæ, ſufficiunt aut ad noſtram ſalutem, aut ad Dei cultum, quia non colitur ille niſi amando, & quia, ſi charitas ſola deſit, nihil nobis prodeſt ad ſalutem quicquid habitum fuerit. Qui itaquè ſine amore Deum adorant, quantumvis æternos timeant cruciatus, & quævis ſacramenta uſurpent; non ſunt tamen adoratores in ſpiritu & veritate, quales Pater quærit, & quales Deum decent, & quales Chriſtus Samaritanæ citò adfuturos promittit: quia inſtabat tempus, quò Spiritum ſuum effuſurus erat ſuper omnem carnem, ut in carne militantes non ſecundùm carnem viverent, ſed ſpiritu facta carnis mortificantes adorarent Patrem in Spiritu & veritate, non con-

x *L.10. de Civit.* y *Epiſt.29.* z *Lib.12. de Trinit. c.4.* a *Aug. Serm. 50. de verbis Domini.* b *Aug. Serm. 8. inter homil. 50.*

confidentes, inſtar Judæorum, in ſacramentis, operibuſque externis ac juſtitiis carnis, à juſtitiâ, quæ ex Deo eſt, ſive à dilectione ſeparatis; neque etiam contentiosè gloriantes de templo & loco adorationis; ſed gaudentes ſe eſſe [c] *in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio & redemptio, ut quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino*, & non in templis, *glorietur*. Ut iſtiuſmodi adoratores formaret, venit in mundum: & quia ſciebat, quòd poſt breve intervallum miſſurus eſſet Spiritum ſanctum, qui eos faceret adorare in ſpiritu & veritate, propterea Samaritanæ dixit: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.*

§. 3. Facile foret, ſi opus eſſet, pluribus aliis Scripturæ locis probare, veniſſe Chriſtum, non ut formaret populum, qui in timore gehennæ, & uſu ſacramentorum ſine amore caſto Deum coleret, vel colere ſimularet; ſed incarnatum eſſe, ut crearet ſibi Patrique ſuo populum; qui non ſolùm bene ageret, verùm etiam bene agere diligeret, nec ſolùm Deo cultum deferret, ſed etiam in Dei cultu ſuam felicitatem & gloriam conſtitueret. Tantummodò ut iſta aſſertio clara evadat, hæc verba Pauli, [d] *Chriſtus dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum*; hîc expendemus.

Paulus dicit, veniſſe Chriſtum, ut nos redimeret ab omni iniquitate, non ſolùm remittendo, quæ admiſſa erant, peccata; ſed etiam dando juſtitiæ amorem, qui agnatam ad peccandum propenſionem expellens, illud, quod Deus jubet, ſuave & delectabile redderet. Captivus & ſervus eſt iniquitatis, qui vel neſcit quid ſibi agendum eſt, vel qui eo, quod ſibi agendum eſt, non delectatur. *Primus homo*, inquit Sanctus Thomas in hunc locum, *ex peccato ſuo redactus eſt in ſervitutem peccati, ex quâ ſervitute inclinabatur ad aliud peccatum; ſed Chriſtus ſatisfecit per ſuam paſſionem; & ideò ſumus redempti à ſervitute.* Hoc eſt, non ſolùm

c *Tit. c. 2. 14.*

ſolùm à reatu culpæ & pœnæ; ſed etiam à dominante peccandi libidine.

Deindè ait Apoſtolus veniſſe Chriſtum, *ut mundaret ſi-„bi populum acceptabilem*; [c] id eſt, inquit Sanctus Tho-„mas; ut ſanctificaret populum, ſic ſcilicet, ut eſſemus „populus ejus, id eſt, ei conſecratus. *Qui aliquando non „populus ejus, nunc autem populus ejus.* Oſee. 1. Accepta-„bilem ſcilicet per rectam fidem & intentionem; vel acce-„ptabilem, id eſt, peculiarem. Deuteronomii 7. *Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris*, id eſt, quem charum haberet, ac cuſtodiret tanquam proprium peculium.

Demùm ait Apoſtolus, veniſſe Chriſtum, ut mundaret ſibi populum *ſectatorem bonorum operum*; græcè *Zelatorem*; hoc eſt, non ſolùm factorem bonorum operum; ſed etiam amatorem, nec ſolùm amatorem; ſed etiam Zelatorem: hoc eſt, interprete Chryſoſtomo, *magnâ cum alacritate, atque ingenti ſtudio & animo virtutis opera capeſſentem.* Chriſtus itaquè non venit ſolùm, ut commiſſa peccata nobis dimitteret; ſed etiam ut ab illorum nos ſervitute ſive vinciente & vincente cupidine redimeret, nec ſolùm faceret factores; ſed etiam ferventes bonorum operum amatores, hoc eſt, Zelotas.

Hic fervens amor juſtitiæ, & non frigidus gehennæ timor, eſt gratia, quâ Chriſtus nos redimit à ſervitute peccati, quâ nos uti ſuum peculium tuetur atque conſervat, quâ nos facit non ſolùm factores legis; ſed etiam fervidos juſtitiæ, quæ in lege eſt, amatores. Apage itaquè cum illorum doctrinâ, qui homines ſacramentis initiatos, quamvis divino amore vacuos, ſoloquè gehennæ timore algentes, inter illos recenſere audent, qui Deum in ſpiritu & veritate adorant, & qui ab omni iniquitate redempti ſunt, populus Deo acceptabilis, nec non ſectatores bonorum operum.

In hoc numero ſolùm illi recenſendi ſunt, qui diffusâ in ſuis cordibus charitate, lubentes gaudenteſquè divinam obſervant & adimplent voluntatem.

 §. 4. Por-

c *In Comment. ejus loci.*

§. 4. Porrò ex verbis tum Chriſti, tum Pauli, quæ laudavimus, non ſolùm conficitur, Chriſtum veniſſe, ut populus acceptabilis ac ſectator bonorum operum Deo liberâ dilectione ſerviret; ſed etiam indè conficitur, quòd venerit, ut cum conſtantiâ in viis juſtitiæ deambularet. Superiùs aſſeruimus ea conſtanter ab hominibus fieri, quæ ex ſpiritu & amore fiunt, præſertim ſi fiant ex tali amore, qui cæteros vincat amores. Non quærit Pater cœleſtis iſtiuſmodi adoratores, qui opes, voluptates & gloriam mundi, aliaquè idola intimis affectibus colentes, ſubindè, dum ſacramenta ſumenda ſunt, timore gehennæ ſuos affectus comprimunt, ſibiquè aliquot dies à criminibus temperant: ſicuti Deum, quia ſpiritus eſt, decet adoratio in ſpiritu & veritate; ità illum, quia conſtans & æternus eſt, decet adoratio conſtans ac perſeverans. Nullà etiam ratio ſinit, ut *illi* dicantur adoratores in ſpiritu & veritate, qui, quam Deo fidem in ſacramentis jurant, continuò violant: meliùs ergo eos dixeris adoratores in carne & falſitate. Tales igitur adoratores non ſunt ex illis, quos Chriſtus citò adfuturos pollicebatur, dum Samaritanæ dicebat; *venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*; ſed iſtiuſmodi vertumni potiùs illis annumerandi ſunt, de quibus ait pſalmus: [f] *Crediderunt verbis ejus, & laudaverunt laudem ejus, citò fecerunt*, id eſt, nec fidei nec laudi diu inſtiterunt; *obliti ſunt operum ejus, & non ſuſtinuerunt conſilium ejus, concupierunt concupiſcentiam in deſerto.*

Quod attinet Pauli verba: illa clarè docent Chriſtum veniſſe, ut ſuos conſtanti juſtitiâ donaret. Qui *dedit*, inquit, *ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Hæcnè dona illis conceſſa dici poſſunt, quorum vita non eſt niſi perpetua quædam viciſſitudo confeſſionum & criminum? Illinè dicendi redempti ab omni iniquitate, qui ſacramenta ſalutis, ſimul atque illa ſuſceperunt, profanantes duriorem & pertinaciorem peccati ſerviunt ſer-

f *Pſal.* 105.

ſervitutem? Suntnè illi mundati à contagione criminum in populum acceptabilem, qui, mox ac lavacris purgationis noſtræ uſi ſunt, velut lotæ ſues ad volutabra luti, ut in illis volutentur ac commorentur, feſtini recurrunt? Poſſuntnè illi haberi ſectatores bonorum operum, qui ut horribiles canes, poſt evomita in confeſſione crimina ad vomitum redeunt, non, ut ad horam illum lambant; ſed ut vitâ ferè totâ illum ſorbentes deglutiant? Illi ergo, in quibus non eſt niſi confeſſionum & criminum reciprocatio, & quorum totius vitæ curſus non eſt niſi criminum continuatio (niſi quòd aliquoties in anno per diem aut alterum, dum myſteriis communicandum eſt, à criminum perpetratione in oculis hominum ſabbatizent) non poſſunt dici per Chriſtum aut redempti ab omni iniquitate, aut mundati in populum acceptabilem, & ſectatorem bonorum operum.

§. 5. Liberatio, ſanctificatio, & ſtudium bonorum operum, quæ Chriſtus electis ſuis meruit ac donat, non ſunt nobis datæ, ut non niſi ad diem aut alterum in illis ambulemus, ſicuti [g] Judæi non niſi ad horam in luce Joannis exultatare volebant: verùm libertatem non volaticam; ſed conſtantem, munditiem non fugacem; ſed inhærentem, Zelum bonorum operum non evaneſcentem; ſed permanentem Chriſtus ſuis donat electis. Hinc, ne à ſuâ ingenitâ ad peccatum propenſione & à mundi illecebris aut tormentis ità timerent, ut perſeverantiæ fiduciam amitterent, ſuum Iſraël, non ſecundùm carnem; ſed ſecundùm ſpiritum, in hunc modum alloquitur. [h] *Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine meo; meus es tu. Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaveris in igne, non comburêris, & flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſraël Salvator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam & Saba pro te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus: ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro animâ tuâ. Noli timere, quia tecum ego ſum.* Nihil in hâc Chriſti pollicitatione, quod non ſpiret victricem & conſtantem

 gra-

g *Joan.* 5. h *Iſaiæ.* 43. 1.

gratiam, quod non indicet, Chriſtum in ſuis manentem ipſos in periculis reddere ſecuros, ut nec deliciarum flumimina ipſos abripere, nec perſecutionum flammæ virtutem ipſorum exurere, nec vis aut Æthiopiæ aut Sabæ ipſos ſternere poſſit. Majus ergo & conſtantius eſt auxilium, quod ſuis redemptis Chriſtus impertitur, quàm à nonnullis cogitatur.

Unctus eſt Chriſtus Sanctus ſanctorum, [i] *ut conſummetur*, ſicut Daniel ait, *prævaricatio*, *& finem accipiat peccatum*, *& deleatur iniquitas*, *& adducatur juſtitia ſempiterna:* non verò unctus eſt, ut prævaricatio per confeſſionum intervalla cohibeatur paulò poſt majori impetu eruptura; nec ut peccatum per diem aut alterum ferias agat, reparatis viribus fortiùs ſæviturum; nec ut iniquitas ſacramentorum ſpecie ad horam incruſtetur, fœdior mox proceſſura; nec ut ſit in animabus fugax juſtitia poſt diem aut alterum cum horribilibus criminibus commutanda; ſed *ut deleatur iniquitas*, & *adducatur juſtitia ſempiterna.*

Hanc conſtantem juſtitiam Abrahæ promiſit, nempe [k] *ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitiâ coram ipſo*, non paucis; ſed *omnibus diebus noſtris.* Ob hanc conſtantem juſtitiam, quam ſuis donat, vocatum eſt nomen ejus Jeſus. [l] *Ipſe enim*, inquit Angelus, *ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.*

Advertit Auguſtinus Deum altiſſimo conſilio [m] *ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam*, *ut in eâ priùs oſtenderet*, *quid poſſet eorum arbitrium*, *deinde ſuæ gratiæ beneficium*, *juſtitiæque judicium.* Oſtenſum eſt, quid poſſit liberum arbitrium in paradiſo, & in cœlo, dum aliis per illud cadentibus, alii ſteterunt: oſtenditur quotidie, quid poſſit gratiæ beneficium, dum inter tot peccati illecebras, inter tot agendi impedimenta, quæ Adam nulla patiebatur, „ liberati à Chriſto benè vivere non ceſſant. [n] Major quippe „ libertas eſt neceſſaria adversùs tot & tantas tentationes, quæ „ in

i *Daniel c.* 9. 24. k *Luc.* 1. l *Matt.* 1. 21. m *Lib. de corrept. & grat.* n *Lib. de corrept. & grat. cap.* 12.

„ in paradiſo non fuerunt, dono perſeverantiæ munita atque
„ firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, errori-
„ bus ſuis vincatur hic mundus. Hoc ſanctorum martyria
„ docuerunt. Denique ille Adam & terrente nullo, & in-
„ ſuper contra Dei terrentis imperium libero uſus arbitrio,
„ non ſtetit in tantâ felicitate, in tantâ non peccandi facilita-
„ te. Iſti autem, non dico terrente mundo; ſed ſæviente ne
„ ſtarent, ſteterunt in fide, cùm videret ille bona præſentia,
„ quæ erat relicturus, iſti futura, quæ accepturi erant, non
„ viderent. Unde hoc, niſi donante illo, à quo miſericor-
„ diam conſecuti ſunt, ut fideles eſſent: à quo acceperunt
„ ſpiritum non timoris, quo perſequentibus cederent, ſed
„ virtutis, & charitatis, & continentiæ, quo cuncta mi-
„ nantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia ſuperarent?
„ Illi ergo ſine peccato ullo data eſt, cum quâ conditus eſt,
„ voluntas libera, & eam fecit ſervire peccato: horum ve-
„ rò cùm fuiſſet voluntas ſerva peccati, liberata eſt per illum,
„ qui dixit: *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*
„ Et accipiunt tantam per iſtam gratiam libertatem, ut,
„ quamvis, quamdiu hîc vivunt, pugnent contra concu-
„ piſcentias peccatorum, eiſque nonnulla ſurrepant, pro-
„ pter quæ dicant quotidie; *Dimitte nobis debita noſtra*:
„ non tamen ultrà ſerviant peccato, quod eſt ad mortem,
„ de quo dicit Joannes Apoſtolus: *Eſt peccatum ad mortem,*
„ *non pro illo dico, ut roget quis.* De quo peccato, quo-
„ niam non expreſſum eſt, poſſunt multa & diverſa ſentiri:
„ ego autem dico, id eſſe peccatum, fidem, quæ per dile-
„ ctionem operatur, deſerere uſque ad mortem.

Oſtendit itaquè Chriſtus ſuæ gratiæ beneficium, quando dat electis ſuis tam ardentem & conſtantem juſtitiæ amorem, ut hic mundus cum omnibus amoribus, terroribus & erroribus ſuis ab illis ſuperetur. Hoc beneficium non emineret, ſi plerumquè non niſi raris brevibuſquè intervallis mundum vincerent, & intermediis temporum longiſſimis moris victi ſuccumberent. Non eluceret in Martyribus, quid valeat gratiæ auxilium, ſi inter tormenta frequentiùs negarent, quàm Chriſtum confiterentur. Non foret glorioſa

Chriſti virtus in caſtitatem profeſſis, ſi illecebris frequentiùs cederent, quàm reſiſterent. Obſcura foret fortitudo Redemptoris noſtri, ſi redempti ejus ut plurimùm brevibus horis à peccati ſervitute liberi, & toto intermedio tempore ei forent obnoxii. Amitteret ſuam medicina laudem, ſi morbum è viſceribus non tolleret; ſed tantùm præſtaret, ut certis diebus foris non ſæviret. Minor fiducia in animarum noſtrarum medico collocanda foret, ſi animarum morbos non niſi ad horam tolleret, nec conſtantem; ſed ſanitatem mox perituram præberet. Dei igitur providentia, quæ, ubi oſtendit, quid in paradiſo potuit liberum arbitrium, voluit deinde manifeſtum facere, quid poſſit gratiæ auxilium: ut hoc ſuum conſilium exequatur, in ſuorum cordibus electorum conſtantem inſpirat & ſervat amorem [o] *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in quâ gratificavit nos in dilecto Filio ſuo.*

§. 6. Quamvis autem in juſtis, qui ad annos diſcretionis pervenerunt, exiſtimemus divinum amorem plerumquè eſſe conſtantem, eum tamen inamiſſibilem eſſe minimè exiſtimamus: longè enim abſumus ab illo Calviniſtarum deteſtabili errore, quo ſibi perſuadent, juſtitiam aut ad ſolos pertinere electos, aut ſemel regenitos, ſive juſtificatos, nunquam juſtitiam, nunquam adoptionis ſpiritum amittere. Triſtes ſanctorum lapſus Loti, Aäronis, Davidis, Salomonis & Petri, quàm falſa ſit iſta opinio, clariſſimè oſtendunt; ut & credere & fateri oporteat, Deum ſubinde permittere, quòd non pauci, etiam ætate adulti, excidant à juſtitiâ & ſanctitate, quibus à Deo, & coram Deo fuerant imbuti. Atque hoc quidem permittit Deus, ut electi ex lapſu diſcant, non à ſe ipſis; ſed à divinâ miſericordiâ eſſe, quòd juſtè vivant, nec confidant in virtute ſuâ, nec glorientur in multitudine ſpiritualium divitiarum ſuarum; ſed cum timore & tremore ſalutem ſuam operentur, ſcientes Deum eſſe, qui operatur in ipſis velle & perficere pro bonâ voluntate ſuâ. [p] Non enim habebat hunc timorem & tremorem, „ qui [q] *dicebat in abundatiâ ſuâ, non movebor in æternum*: „ ſed quia filius erat promiſſionis; non perditionis, expertus,

o *Epheſ. 1. 6.* p *Lib. de corrept. & grat. c. 9.* q *Pſal. 29. 7.*

„ tus, Deo paululùm deſerente, quid eſſet ipſe: *Domine*, „ inquit, *in voluntate tuâ præſtitiſti decori meo virtutem*: „ *avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* „ Ecce doctior, & ob hoc etiam humilior, tenuit viam jam „ videns & confitens in voluntate ſuâ, Deum decori ejus „ præſtitiſſe virtutem, quod ſibi ipſi tribuens, & de ſe præ- „ ſumens in tali abundantiâ, quam præſtiterat Deus, non „ de illo, qui eam præſtiterat, dicebat, *non movebor in æ-* „ *ternum*. *Factus eſt* ergo *conturbatus*, ut ſe inveniret, & „ humiliter ſapiens, non ſolùm æternæ vitæ; verùm etiam „ in hâc vitâ piæ converſationis & perſeverantiæ, in quo ſpes „ habenda eſſet, addiſceret. Hæc vox & Apoſtoli Petri „ eſſe potuit, dixerat quippe & ipſe in abundantiâ ſuâ, *ani-* „ *mam meam pro te ponam*: ſibi feſtinando tribuens quod „ ei fuerat à Domino poſtea largiendum. *Avertit autem ab* „ illo *faciem Dominus, & factus eſt conturbatus*, ità ut „ eum, mori pro illo metuens, ter negaret. Sed rursùs con- „ vertit ad eum faciem ſuam Dominus, & culpam lacrymis „ diluit.

Ob hanc quoquè cauſam, nempè ut omnes cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur, & ut, qui ſtant, videant, ne cadant, nec de ſuâ perſeverantiâ ſe certos putent, „ [r] credendum eſt quoſdam de filiis perditionis non acce- „ pto dono perſeverandi uſque in finem, in fide, quæ per di- „ lectionem operatur, incipere vivere, & aliquamdiu fide- „ liter ac juſtè vivere, & poſtea cadere, neque de hâc vitâ, „ priuſquam hoc eis contingat, auferri. Quorum ſi nemi- „ ni contigiſſet, tamdiu haberent homines iſtum ſaluberri- „ mum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec „ ad Chriſti gratiam, quâ piè vivitur, pervenirent, dein- „ ceps jam ſecuri nunquam ſe ab illo eſſe caſuros. Quæ præ- „ ſumptio in iſto tentationum loco non expedit, ubi tanta „ eſt infirmitas, ut ſuperbiam poſſit generare ſecuritas.

Eandem rationem cur Deus juſtos non perſeveraturos perſeveraturis permiſcet, alibi tradit Auguſtinus, ita loquens: „ [s] Deus autem meliùs eſſe judicavit miſcere quoſdam non „ per-

r *Aug. lib. de corrept. & grat. cap.* 13. s *Lib. de dono perſev. c.* 8.

„ perſeveraturos certo numero ſanctorum ſuorum, ut qui-
„ bus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non
„ poſſint eſſe ſecuri. Multos enim à perniciosâ elatione re-
„ primit, quod ait Apoſtolus; quapropter qui videtur ſta-
„ re, videat ne cadat. Hæc Auguſtinus, ut prætensè reformati agnoſcere poſſint, quàm turpiter Auguſtino imponant, dum ipſum quaſi ſuæ monſtroſæ adſtipulatorem doctrinæ laudare non verentur.

Sinit igitur Chriſtus electos aliquando à juſtitiâ excidere, ut humiliores ac doctiores reſurgant, non ſibi arrogando, tanquam de ſuâ virtute, fiduciam permanendi. Miſcet etiam quoſdam non perſeveraturos certo numero ſanctorum ſuorum, ut, quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. Facit verò plurimos non perire de viâ juſtâ; ſed immaculatos ambulare in lege Domini, atque ire de virtute in virtutem donec videatur Deus Deorum in Sion, ut innumeris exemplis edocti, quid poſſit divinæ gratiæ beneficium, confidamus [t] *quia qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet uſque in diem Jeſu Chriſti*; & dicamus, attentâ noſtrâ in bono conſtantiâ: [u] *Nos autem non ſumus ſubtractionis filii in perditionem*, quales illi ſunt, qui perceptis ſacramentis mox fidem fallunt; *ſed fidei in acquiſitionem ſalutis*, quales illi ſunt, qui fidem ſuam, quam percipiendo ſacramenta Deo oppignorant, nunquam mutant ab eo.

t *Phil.* 1. 6. u *Hebr.* 10. 39.

CAPUT XIV.

1. Duplex juſtitia; una ex lege, altera ex fide; illam deſpicit Apoſtolus, alteram commendat. 2. illam vituperat, quia ex timore, non ex amore juſtitiæ. 3. Exponitur quid ſit juſtitia ex Deo, ſive ex fide. 4. Quæ ex fide juſtitia, non eſt ſine operibus. 5. Hanc juſtitiam cupiebat Apoſtolus. 6. Eſt in nobis, dum nos mandata delectant: quæ ex timore pœnæ fiunt, inter detrimenta & ſtercora ab Apoſtolo deputantur.

§. 1. QUàm procul ſit à mente Apoſtoli iſta opinio, quæ timori gehennæ juncto abſolutioni vim tribuit redintegrandi amicitiam Deum inter & hominem, clariſſimè patebit, ſi hîc exponamus duplicem illam juſtitiam, quam Paulus in ſuis epiſtolis ſæpè commemorat. Primam nunc vocat juſtitiam, *quæ ex lege, vel in lege eſt*; nunc verò *ſuam juſtitiam*. Alteram ſubindè vocat *juſtitiam Dei*, ſubindè *juſtitiam fidei*, ſubindè *juſtitiam, quæ ex fide, vel in fide eſt*. Primam contemnit ut ſtercora, ut damna, ut impedimenta ſalutis. Alteram maximi facit, deſiderat, atque proſequitur. De primâ ait, quòd illam ſequentes à juſtitiâ Dei excidant. De alterâ ait, quòd non quærentes ſe ſpontè præoccupet, ut ſcilicet ex non quærentibus ſe faciat quærentes. Contemnens juſtitiam, quæ in lege eſt, & quam magno animi ardore aliquando fuerat ſecutus, ità loquitur: [x] *Secundùm juſtitiam, quæ in lege eſt, converſatus ſine querelâ; ſed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.* Alio loco parvi faciens juſtitiam, quæ ex lege eſt, & quæ, veræ juſtitiæ ne appropinques, obſtaculum ponit, ſic ſcribit: [y] *Iſraël ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit.* Et iterùm: [z] *Ignorantes juſtitiam*

x *Phil.* 3. 7. y *Rom.* 9. 31. z *Rom.* 10. 3.

tiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Laudans verò juſtitiam, quæ ex fide eſt, his utitur verbis: [a] *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt; ſed illam, quæ ex fide eſt Jeſu Chriſti.* Hanc laudem auget, dum ejus bonitatem extollens ait, quòd non quærentes ſe ultrò quærat. [b] *Gentes*, inquit, *quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam:* quia ſcilicet ipſas præoccupans in illorum cordibus efficit, ut illam apprehendant.

§. 2. Cur verò iſtarum juſtitiarum unam vituperet, alteram verò commendet, manifeſtum fiet, ſi utriuſquè naturam attendamus, ſive conſideremus hinc, quid ſit juſtitia, quæ ex lege & in lege eſt, quam quoque *ſuam* vocat Apoſtolus; indè expendamus, quid ſit juſtitia, quæ ex Deo, ſive ex fide eſt. Per juſtitiam, quæ ex lege eſt, intelligit Apoſtolus opera, quæ officio tenùs juſta ſunt, & quæ facit homo ex cognitione ejus, quod lex jubet, & ex timore ejus, quod lex minatur. [c] *In lege autem juſtitia*, inquit Auguſtinus, *eſt ſervire litteræ, & extra eam nullum Dei adjutorium ad rectè vivendum requirere.* Servitur autem litteræ, quando Deo timore ſervitur. [d] Qui novit, inquit alibi Auguſtinus, quid eſt, quod fieri debeat, & non facit, „ nondum à Deo didicit ſecundùm gratiam; ſed ſecundùm „ legem: non ſecundùm ſpiritum; ſed ſecundùm litteram: „ quamvis multi, quod imperat lex, facere videantur timo- „ re pœnæ, non amore juſtitiæ, quam dicit Apoſtolus ju- „ ſtitiam ſuam, quæ ex lege eſt, tanquam ſit imperata, non data. Et hæc juſtitia vocatur etiam juſtitia hominis, quia fit ab homine non aliis inſtructo auxiliis, quàm ſcientiâ legis, ac timore pœnæ, quam tranſgreſſoribus lex intentat. [e] *Quid eſt*, inquit Auguſtinus, *juſtitia ex lege? In mandatis legis*, ſive in exteriori obſervantiâ legis. *Quid eſt de ſuâ* ju-

a *Phil.* 3. b *Rom.* 9. 30. c *L.* 3. *ad Bonif. c.* 7. d *Lib. de grat. Chriſti c.* 13. e *Serm.* 15. *de verbis Apoſt. c.* 7.

juſtitiâ gloriari? *Tanquam de viribus ſuis. Amor deerat, amor juſtitiæ, amor Charitatis Chriſti.* Hanc expoſitionem confirmat Auguſtinus, exponens hæc Pauli verba: *Ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei „non ſunt ſubjecti.* [f] De Judæis, *inquit*, hoc dixit, qui „de ſe ipſis præſumentes gratiam repellebant, & in Chriſtum „propterea non credebant; ſuam verò juſtitiam dicit eos „volentes conſtituere, quæ juſtitia eſt ex lege, non quia „lex ab ipſis conſtituta; ſed in lege, quæ ex Deo eſt, ſuam „juſtitiam conſtituerunt, quando eandem legem ſuis viri„bus ſe implere poſſe credebant, ignorantes Dei juſtitiam, „non quâ juſtitiâ Deus juſtus eſt, ſed quæ juſtitia eſt homi„ni ex Deo. Et ut ſciatis hanc illum eorum dixiſſe juſtitiam, „quæ eſt ex lege, hanc autem Dei, quæ homini eſt ex Deo, „audite quid alio loco dicat, cùm de Chriſto loqueretur. „[g] *Propter quem omnia*, inquit, *non ſolùm detrimenta eſſe „credidi, verùm etiam ut ſtercora exiſtimavi eſſe, ut Chri„ſtum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens meam ju„ſtitiam, quæ ex lege eſt; ſed eam, quæ eſt per fidem Chri„ſti, quæ eſt ex Deo.* Quid eſt autem, *non habens meam ju„ſtitiam, quæ ex lege eſt*, cùm ſua non eſſet lex ipſa, ſed „Dei: niſi quia ſuam dixit juſtitiam, quamvis ex lege eſſet, „quia ſuâ voluntate legem ſe poſſe putabant implere ſine ad„jutorio gratiæ, quæ eſt per fidem Chriſti. Et quidem in hoc conatu ſuo uſque eò Paulus profecerat, ut ſe dixerit in lege ſine querelâ, nempe hominum, converſatum fuiſſe: ſed quòd in lege exteriùs eam ſervans ſine hominum querelâ verſabatur, hoc apud Deum, qui cor videt, magnam faciebat „querelam. [h] Attendite, inquit Auguſtinus, ſine querelâ „dixit hominum. Eſt enim quædam juſtitia, quam poteſt „homo implere, ut nullus hominum queratur de homine. „Dicit, *non concupiſces alienum*. Tu ſi non rapueris alienum, „nulla querela erit hominum. Ergo aliquando concupiſcis „& non rapis. Sed ſententia Dei ſupra te eſt, quia concupi„ſcis. Reus es legis, ſed in oculis Legiſlatoris. Undè iſtiuſmo-

f *Aug. lib. de grat. & lib. arb. c.* 12. g *Philip.* 3. h *Aug. Serm.* 49. *de temp. c.* 5.

modi juſtitiam, quæ foris non rapit quod intùs concupiſcit, inter damna, inter detrimenta, inter ſtercora deputat Apoſtolus, quantumvis hominibus ſpecioſa & laudabilis appareat.

Turpitudinem iſtius juſtitiæ, quæ hominibus pulchra, & Deo turpis apparet, eleganter deſcribit Auguſtinus, quando illam comparat cum leonis & lupi timore, quo à concu- „pitâ prædâ abſterrentur. [i] Lege, inquit, Dei propoſitâ, „ipſa enim dixit, *Non concupiſces:* Lege ergo Dei propo- „ſitâ, exceptis illis carnalibus ſacramentis, quæ fuerunt „umbræ futurorum, lege Dei propoſitâ quiſquis tumue- „rit, & ſuis viribus eam implere ſe poſſe putaverit, & fece- „rit, quod lex jubet, non amando juſtitiam; ſed timen- „do pœnam, fuit quidem ſecundùm juſtitiam, quæ ex le- „ge eſt, homo ſine querelâ, non furatur, non adulterat, „non dicit falſum teſtimonium, non facit homicidium, non „concupiſcit rem proximi ſui. Poteſt hoc, poteſt fortaſſis. „Undè? Timore pœnæ: quanquam qui timore pœnæ non „concupiſcit, puto quia concupiſcit. Terrore ingenti ar- „morum atque telorum, & circumdantis forſitan multitu- „dinis, vel obviam euntis, etiam leo revocatur à prædâ: „& tamen leo venit, leo redit, prædam non rapuit, non „malitiam poſuit. Si talis es, adhuc juſtitia eſt, quâ juſti- „tiâ tibi conſulis, ne torquearis. Quid magnum eſt pœ- „nam timere? Quis enim non timet? Quis latro, quis ſce- „leratus, quis nefarius? Sed hoc intereſt inter timorem „tuum, timoremquè latronis, quòd latro timet leges ho- „minum; & ideò facit latrocinium, quia ſperat ſe fallere „leges hominum: tu autem leges ejus times, ejus pœnam „times, quem fallere non potes. Nam ſi fallere poſſes, quid „non feciſſes? Ergo & concupiſcentiam tuam malam non „amor tollit; ſed timor premit. Ad ovile venit lupus: la- „tratu canum, & clamore paſtorum ab ovili reverſus eſt lu- „pus: ipſe tamen ſemper eſt lupus.

En quàm parvi facienda juſtitia, quæ ex lege eſt, & quæ etiam noſtra vocatur, quia fit à nobis ſolâ legis cognitione & ti-

i *Serm. 15. de verbis Apoſt.*

timore pœnæ adjutis ſine adjutorio gratiæ, quâ Chriſtus, quod bonum eſt, per ſuum Spiritum operatur in nobis.

§. 3. His dictis de juſtitiâ, quæ ex lege eſt, & quæ noſtra dicitur, quia ſolâ legis cognitione, & timore pœnæ, ſine infuſione amoris profertur à nobis; nunc exponendum quid ſit juſtitia Dei, & juſtitia ex fide, ſive per fidem, quam commendat Apoſtolus. Juſtitia Dei dicitur, non quâ ille juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit. [k] *Non propterea*, inquit Auguſtinus, *juſtitia Dei dicitur, quoniam Deus juſtus eſt; ſed quia homini ex Deo eſt.* Et alibi idem ſanctus exponens illud Pauli, *ut nos ſimus juſtitia Dei in ipſô*, Chriſto ſcilicet, ita loquitur: [l] *Nos ſumus juſtitia non noſtra; ſed Dei: ab illo accepta; non à nobis aſſumpta: impartita; non uſurpata: donata; non rapta.* Hæc eadem dicitur ab „Apoſtolo juſtitia ex Deo, [m] quia datur per gratiæ benefi„cium, ut non ſit terribile, ſed ſuave mandatum, ſicut „oratur in pſalmo, *ſuavis es Domine, & in tuâ ſuavitate* „*doce me juſtitiam tuam*; id eſt, ut non formidine pœnæ „ſerviliter cogar eſſe ſub lege; ſed libera charitate delecter „eſſe cum lege. Hæc eadem juſtitia dicitur eſſe juſtitia fidei; quia à fide, quæ primum Dei donum eſt, quod Deus etiam non orantibus donat, inchoatur. [n] *Conſtat*, inquit Auguſtinus, *Deum alia non orantibus, ſicut initium fidei, alia nonniſi orantibus præparaſſe, ſicut uſquè in finem perſeverantiam.* Vocatur hæc eadem juſtitia juſtitia per fidem Chriſti; quia fides, quam habemus de Chriſto, tanquam de medico & auxiliatore animarum noſtrarum, nos facit ad illum confugere, eique ſupplicare, ut, quod lex jubet, per ejus adjutorium facere poſſimus. Hinc ſæpè Auguſtinus ait: [o] *Fides orando impetrat, quod lex imperat.* Eâdem de causâ appellatur etiam ab Apoſtolo, *juſtitia in fide:* quia nempè in precibus, quas ad juſtitiam per Chriſti merita à Deo obtinendam fides fundit, velut in radice reperitur & progreſſus & perfectio juſtitiæ, quam in fide orantes impetramus. Hanc enim di-

 vi-

k *Lib. 3. ad Boniſ. c. 7.* l *Serm. 15. de verbis Apoſt. c. 1.* m *Lib. de grat. Chr. cap. 13.* n *Lib. de dono perſeverant. c. 26.* o *Lib. de grat. & lib. arb. c. 16.*

vina miſericordia rationem ſervat in diſtributione ſuorum donorum, ut progreſſum & perfectionem juſtitiæ non det niſi orantibus. [p] *Deus dare vult*; (loquor cum Auguſtino) *ſed non dat niſi petenti, ne det non cupienti.*

§. 4. Ex his patet, quòd non dicatur juſtitia fidei, vel juſtitia in fide, quaſi in fide ſolâ ſit juſtitia, quam Deus nobis donat, non pertinentibus ad eam operibus, quæ perindè Chriſtus in Evangelio, quàm Moyſes in decalogo præſcribit. Nam ut præclarè Auguſtinus ait: [q] Eadem opera „legis ad novum quoque teſtamentum pertinere nemo am„bigit; ſed alio fine, quo liberos ea facere decet, id eſt, „charitatis æterna ſperantis hinc præmia, & ex fide expe„ctantis. Non ſicut Judæi, qui timore illa implere coge„bantur, quo timebant præſenti vitæ ſuæ; & ideò quædam „opera legis implebant, quæ in ſacramentis ſunt: illa verò „quæ ad bonos mores pertinent implere omninò non pote„rant: non enim implet ea niſi charitas. Eodem tractatu nonnullis interpoſitis eandem doctrinam repetit, dicens: „Eadem ſcriptura, & idem mandatum, cùm bonis terrenis „inhiantes premit ſervos, teſtamentum vetus; cùm in bona „æterna flagrantes erigit liberos, teſtamentum novum vo„catur. Quando ergo Apoſtolus ait: [r] *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*; [s] hoc dixit, non „quia negavit, aut evacuavit opera bona, cùm dicat *Deum „unicuique reddere ſecundùm opera ejus*, ſed quia opera „ſunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo ſunt „nobis opera juſtitiæ, à quo eſt ipſa fides, de quâ dictum „eſt: *Juſtus ex fide vivit.* Homines autem non intelligen„tes, quod ait Apoſtolus, *Arbitramur hominem juſtifi„cari ex fide ſine operibus legis*, putaverunt eum dicere, ſuf„ficere homini fidem, etiamſi malè vivat, & bona opera „non habeat. Quod abſit, inquit Auguſtinus ibidem, ut „ſentiret vas electionis, qui cùm dixiſſet quodam loco: „[t] *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque „præputium*; mox addit: *Sed fides, quæ per dilectionem „ope-*

p *Aug. in pſal.* 102. q *Expoſit. in epiſt. ad Gal. cap.* 4. r *Rom.* 3.
s *Aug. lib. de grat. & lib. arb. c.* 7. t *Gal.* 5.

„ *operatur.* Ipſa eſt fides, quæ fideles Dei ſeparat ab immun-„dis dæmonibus; nam & ipſi, ſicuti dicit Apoſtolus Jaco-„bus, [u] *credunt & contremiſcunt*, ſed non benè operan-„tur.

Dicitur itaquè juſtitia eſſe ex fide ſine operibus legis, tum quia prior eſt fides, quàm bona opera, tum quia fides o-rando impetrat dilectionem, ſine quâ bonum opus, ſicu-ti oportet, fieri non poteſt; & à quâ nequaquam negligi poteſt.

Hanc juſtitiam ambit Apoſtolus, dum ait: [x] *Omnia de-trimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucri-faciam, & inveniar in illo non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Jeſu Chriſti, quæ ex Deo eſt juſtitia in fide, ad cognoſcendum illum, & virtu-tem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionum illius.* Hîc ardet deſiderio illius juſtitiæ, quæ ſita eſt in amanti cogni-tione Chriſti, quæ virtutem reſurrectionis ejus nobis im-primens, nos facit, quæ ſurſum ſunt, ſapere, quæ ſurſum ſunt, quærere, & quæ non recuſat hîc pati cum Chriſto, ut in æternum vivat & regnet cum Chriſto. In hujus juſtitiæ perfectionem fertur toto cordis impetu, dum ait: [y] *Non quòd jam acceperim* plenitudinem juſtitiæ, *aut* in illâ *perfe-ctus ſim; ſequor autem ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Jeſu.* Hoc eſt, ut iſtam ju-ſtitiæ plenitudinem apprehendam, ad quam cùm me Chri-ſtus comprehenderet, deſtinavit. Ad hanc plenitudinem animi ſui affectibus, veluti pedibus, feſtinat, dum ait: [z] *Unum* cordi habeo, *quæ quidem retrò ſunt obliviſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora*, id eſt, quæ mihi adhuc reſtat apprehendenda juſtitiæ perfectio, *extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor bravium ſupernæ vocationis in Chriſto;* hoc eſt omnimodam à concupiſcentiis libertatem, quæ eſt bravium, pro quo Chriſtiani in hujus vitæ agone conten-dunt.

Hujus juſtitiæ deſiderium, & odium ſuæ juſtitiæ ei pri-mùm inſpirata fuerunt, cùm Salvator noſter hâc voce, Saule,

u *Jac.* 2. x *Phil.* 3. y *Ibid.* z *Phil.* 3. 13.

„Saule quid me perſequeris? ipſum proſterneret. [a] Hor-
„ruit ergo Apoſtolus, percuſſus & proſtratus, erectus &
„inſtructus. Factum eſt in illo: *Percutiam, & ego ſanabo.*
„Percutiam te, & dabo tibi me. Sic proſtratus horruit ju-
„ſtitiam ſuam, in quâ erat certè ſine querelâ, laudabilis,
„magnus, quaſi glorioſus apud Judæos. Detrimenta exi-
„ſtimavit, damna credidit, ſtercora deputavit, ut inveni-
„retur in illo non habens ſuam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed
„eam, quæ per fidem eſt Chriſti, quæ eſt, inquit, ex Deo.
„Et quid hæc juſtitia, niſi amor æternæ juſtitiæ? Et undè
„hic amor æternæ juſtitiæ, niſi ex delectatione? Non enim
„amatur, niſi quod delectat. Ergo, fratres mei, *inquit*
„*Auguſtinus*, habet delicias ſuas iniquitas, & juſtitia non
„habet? Delectat malum, & non delectat bonum? De-
„lectat omninò, ſed Dominus dabit ſuavitatem, & terra
„noſtra dabit fructum ſuum. Ille niſi prior det ſuavitatem,
„terra noſtra non habebit, niſi ſterilitatem. Hanc ergo ju-
„ſtitiam concupivit Apoſtolus, delectatus eſt, memor fuit
„Dei, & delectatus eſt: concupivit anima ejus, æſtuavit
„in atria Domini, & viluerunt omnia, quæ pro magno ha-
„bebat, facta ſunt damna, detrimenta, ſtercora.

§. 6. His Auguſtini verbis docemur, juſtitiam, quam per fidem orantem & deſiderantem à Deo ob Chriſti merita petebat & quærebat Apoſtolus, eſſe delectationem ſive ſuavitatem, quâ æterna juſtitia nobis dulceſcit, & quâ in ejus amorem animæ exardeſcunt, cupientes pro ejus amore non ſolùm cæteras delectationes contemnere; verùm etiam quaſlibet paſſiones ſuſtinere. Atque hinc fit, ut ſanctus Doctor ſæpè doceat, omnem noſtram juſtitiam (noſtram dico, non quæ nobis ex nobis eſt, ſed quæ nobis à Deo donata eſt, & propterea noſtra dici poteſt: ſicuti panis quotidianus dicitur noſter, quamvis poſtulemus, ut detur nobis) quâ coram Deo juſti, eique grati ſumus, non eſſe niſi amorem Dei. [b] *Juſtitia*, inquit, *dilectio Dei & proximi.* Et alibi: [c] *Hæc eſt perfecta juſtitia, quâ potiùs potiora, & minùs*

a *Aug. Serm.* 15. *de verbis Apoſt.* b *Aug. Lib.* 83. *qq. q.* 61.
c *Lib. de nat. & grat. c.* 42.

uùs minora diligimus. [d] *Charitas ergo inchoata inchoata juſtitia eſt; charitas provecta provecta juſtitia eſt; charitas magna magna juſtitia eſt; charitas perfecta perfecta juſtitia eſt.* Unde alio loco etiam ait, tunc perfici juſtitiam, cùm charitas perficitur, noſquè magìs minúſque juſtos eſſe, prout plùs minúſve dilectione Dei inardeſcimus. [e] *Porrò*, inquit, *ſi in hâc vitâ, pio nemine dubitante, quantò ampliùs diligimus Deum, tantò ſumus utiquè juſtiores; quis dubitet, piam veramquè juſtitiam, cùm fuerit dilectio Dei perfecta, tunc perfici?* Nec ſolùm dilectione Dei juſti ſumus; ſed ne quidem ſine illâ dilectione ullum opus bonum, ſicut oportet, à nobis effici poteſt. Tanta eſt enim dilectionis neceſſitas, [f] *ut quicquid ſe putaverit homo facere benè, ſi fiat ſine charitate, nullo modo fiat benè.* Et ne quis cogitaret hanc juſtitiam in habitibus ſine motibus amoris ſitam eſſe; alibi eam ait in ſiti & fame æternæ juſtitiæ, quæ Deus eſt, conſiſtere. [g] *Summus Deus*, inquit, *vera juſtitia.... quam profectò eſurire & ſitire, ea noſtra eſt in hâc peregrinatione juſtitia; & quâ poſtea ſaturari, ea noſtra eſt in æternitate plena juſtitia.*

Cùm itaque juſtitia, quæ ex Deo eſt, non ſit niſi amor juſtitiæ, operaquè ex iſto amore dimanantia: hinc certiſſimè conficitur, eam juſtitiam, ad quam ſine amore Dei, cum ſolo gehennæ timore, nos nonnulli per ſacramenta ajunt pervenire, non veriorem, neque digniorem juſtitiam eſſe, quàm ea eſt, quæ ex lege eſt, & quæ à Paulo, licet in eâ ſine querelâ verſato, ut damna, ut detrimenta, ut ſtercora, contempta fuit, ut Chriſtum lucrifaceret, & inveniretur in illo non habens ſuam juſtitiam, quæ ex lege eſt; ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu. Qui ergo gloriantur in juſtitiâ, quam timor gehennæ junctus baptiſmo fluminis aut lacrymarum in nobis parere jactatur, illi gloriantur, in eâ juſtitia, quam deſpiciebat Apoſtolus, ut Chriſtum lucrifaceret, & inveniretur in illo, non habens ſuam juſtitiam, quæ ex lege eſt; ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu.

d *Cap.* 70. e *Aug. l.* 3. *ad Bonif. c.* 7. f *Aug. l. de grat. & lib. arb. c.* 18. g *Ep.* 222.

CAPUT XV.

1. Docent ſancti Patres difficile & rarum eſſe, ut in extremis morbis quis verè pœniteat, quia exiſtimant difficile & rarum eſſe, ut quis tunc amore ad Deum convertatur 2. Scotus hunc ſenſum Patrum rationibus illuſtrat. 3. Rariſſimè dat Deus homini aſſueto mundum præ omnibus diligere, ut amorem ſuum à creaturis ad Creatorem in extremis transferat. 4. Concluditur amorem Dei ſuper omnia dilecti etiam tempore ſanitatis ad juſtificationem neceſſarium eſſe.

§. 1. QUàm ſit amor, quo Deus ſuper omnia diligitur, neceſſarius ad juſtitiam ſalutemquè aſſequendam, clariſſimè patet ex iis, quæ tradunt ſancti Patres & Scholaſtici Doctores de difficultate ſalutis in extremis morbis aut vitæ periculis obtinendæ, poſtquam vita in criminibus, quibus baptiſmus violatur, tranſacta fuit: etenim eam difficultatem non inde repetunt Patres, quaſi opinarentur difficillimum fore, ut tunc quis timeret æterna ſupplicia, quando videns imminere momentum, quo ſiſtendus eſt judici, qui habet poteſtatem corpus & animam perdere in gehennâ, recordatur ſcelerum, quæ ſanus committere non deſtitit. Verùm eam difficultatem deſumunt à difficultate cor in extremis morbis vitævè periculis expediendi à victricibus cupiditatibus, quibus toto ſanitatis tempore ſerviens vires & robur addidit. Supponebant ergo amorem Dei neceſſarium eſſe, ut quiſpiam Deo reconcilietur.

Sanctus Cyprianus, dùm reddit rationem, cur ſuo tempore abſolutio & communio negaretur illis, qui eas in infirmitate ac periculo vitæ poſiti poſtularent, dicit eas iſtis negatas fuiſſe, [h] *Quia rogare illos non delicti pœnitentia; ſed mortis urgentis admonitio compellit.* Hoc eſt, lapſos, qui tunc

h *Epiſt. ad Antonian.*

tunc ſacramentum pœnitentiæ petunt, quando in vitæ termino poſiti ſunt, ad poſtulandum impellit, non odium peccati & amor juſtitiæ; ſed metus gehennæ, quam mors monet inſtare. Cenſebat itaque Cyprianus, ut quis in ſacramento pœnitentiæ juſtitiâ ac Dei amicitiâ beëtur, amorem Dei ac odium peccati neceſſarium eſſe. Si enim judicaſſet ad impetrandam juſtitiam ſufficere admonitionem, quâ mors urgens admonet appropinquantis inferni, ejuſquè timore animas percellit, iis, qui in extremis poſtulabant ſolatium communionis, eam minimè negaſſet. Malè etiam dixiſſet: *Nec dignus eſt in morte accipere ſolatium*, ſcilicet abſolutionis, *qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*: ſed dicere debuiſſet, & dignus eſt in morte accipere communionis ſolatium, qui in extremo vitæ periculo ſupplicium inferni meruit cogitare.

Sanctus Auguſtinus cùm dixiſſet ſe admodùm incertum eſſe de illorum ſalute, qui, violato baptiſmo, non priùs peccare deſinunt, quàm vivere diſinant: cauſam ſuæ incertitudinis refundit in divini amoris ab illorum cordibus veriſimilem abſentiam, qui & criminibus, & vitæ ſuæ ferè eundem terminum ponunt. [i] *Si autem*, inquit, *tunc vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa*; id eſt, non liberâ illis charitate renunciaſti; ſed mortis timore coactus ab illis receſſiſti: nec tam illa à corde; quàm à manu abjeciſti. *Peccata te dimiſerunt, non tu illa.* De pœnitentiâ verò illorum, qui peccare deſiſtunt, cùm peccare adhuc poſſunt, optimè auguratur: quia credendum eſt, ipſos, cùm peccata deſerant potiùs, quàm ab illis deſerantur, amore juſtitiæ ab eis revocari. *Si enim*, inquit, *agis veram pœnitentiam, dum ſanus es, & invenerit te noviſſimus dies, curre, ut reconcilieris: ſi ſic agis, ſecurus es. Quare ſecurus es? Quia egiſti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuiſti.* De illis itaque, qui ſani pœnitent, & peccata relinquunt, benè ſperat Auguſtinus, quia confidit ipſos liberâ charitate peccatis renunciaſſe. De illis verò, qui in extremis morbis pœnitent,

i *Hom. 41. inter 50.*

tent, malè auguratur; quia eos mali timor, & non Dei dilectio videtur coëgiſſe, ut pœnitentiæ remedium poſtularent.

Alibi de pœnitentiâ, quæ agitur à morientibus idem ſanctus ità loquitur: [k] *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt; pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne & ipſa moriatur.* Cur quæſo timeret Auguſtinus ne infirmi pœnitentia eſſet infirma, ſi timor gehennæ cum ſacramento pœnitentiæ ſufficeret ad ſalutem? nam plerumquè in morientibus tam fortis eſt, ut magis ad ſpem, quàm ad timorem à ſacerdotibus excitandi ſint. Et cur timeret, ne pœnitentia, quæ à moriente agitur, & ipſa moriatur, ſi timor gehennæ abſolutioni junctus animas mortuas revocet ad gratiam, quæ eſt vita vitarum? Cur demùm diceret Auguſtinus: *Quicumque vult invenire miſericordiam Dei, ſanus agat pœnitentiam in hoc ſæculo, ut ſanus eſſe valeat in futuro*; ſi metus æterni ſupplicii, qui in Chriſtianis morti proximis facilè excitatur, & plerumque reperitur, ſit ſufficiens ad juſtitiam in ſacramento pœnitentiæ promerendam? Timet itaque, ne infirmi & morientis pœnitentia ſit infirma & moriens pœnitentia: quia exiſtimat eam ad vitam animæ obtinendam minimè ſufficere, tametſi ſacerdotalis abſolutio minimè deſit. Timet etiam, ni pœnitentiam in hoc ſæculo ſani agamus, non valeamus ſalvi eſſe in futuro ſæculo, quia morientium pœnitentia eſt plerumquè timoris, & non amoris pœnitentia.

Auctor libri de verâ & falsâ pœnitentiâ, cùm docuiſſet, in extremo vitæ periculo baptizatis juſtitiam, & à pœnis purgatoriis immunitatem concedi, ſicuti illæ latroni conceſſæ fuerunt, tum de illis, qui lapſi à baptiſmatis innocentiâ non niſi in ultimo vitæ termino à criminibus recedunt, ità loquitur, ut ſignificet eos in extremis difficulter cum Deo redire in gratiam, quia difficulter ſuum ei in extremis addicunt amorem. [l] „Illi autem, *inquit*, qui cùm potuerunt, „nunquam converti voluerunt, non ſic facilè ac catechu„meni acquirunt, quod volunt. Oportet enim, *inquit*, „pec-

k *Serm. 57. de temp.* l *In append. operum S. Auguſt.*

„ peccatorem, ut in pœnitentiâ fructificet, ut mortuo vi-
„ tam impetret. [m] Scriptum eſt enim ſine charitate neminem
„ ſalvum eſſe. Non itaquè in ſolo timore vivit homo. Quem
„ ergo ſerò pœnitet, oportet non ſolùm timere Deum ju-
„ dicem, ſed & juſtum diligere. Non timeatur pro pœnâ,
„ ſed & ametur pro gloriâ. Debet enim dolere de crimine,
& de omni ejus.... varietate. Quod quoniam vix licet, ait idem auctor, de ejus ſalute Auguſtinus potuit dubitare.

Idem auctor exponens iſtud Ezechielis: *Quâcumque horâ peccator ingemuerit, & converſus fuerit, vitâ vivet*; cum dixiſſet, illum duntaxat converti à peccatis, *qui jam non tantùm pœnas timet, ſed ad bonum Deum contendere feſtinat*; tùm duo ſubjungit notabilia documenta. Primò docet, eâ converſione, quâ non ſolùm pœnæ timentur; ſed etiam Deus bonus diligitur, quacumque horâ, etiamſi extrema homini contigerit, eum ſalvum fieri. Secundò docet iſtiuſmodi converſionem in extremis vix & raro à lapſis haberi. *Quoniam*, inquit, *vix & rarò eſt tam juſta converſio, timendum eſt de pœnitente ſerò.*

[n] Sanctus Bernardus, dum docet, pœnitentiam ſeram rarò eſſe veram, rationem ejus rei etiam repetit à dilectione. Quid, inquit, diſſimulant homines in vitâ ſuâ agere pœnitentiam, & extrema de confeſſione præſumunt? Quomodò ſub unius horæ articulo revocari poſſe æſtimant omnia animæ membra, cujus concupiſcentiæ & deſideria per totum mundum ſparſa ſunt, & ubiquè terrarum velut quodam viſco tenentur? Dum ergo quis veram pœnitentiam agere intendit, revocandæ ſunt concupiſcentiæ, & deſideria ſparſa colligenda, ut in unius Dei coëant amorem, ut creaturis non ampliùs inhæreant, ſed uni Deo adunatis viribus adhæreſcant. Hoc cùm magis arduum Bernardus exiſtimet; quàm ut unius horæ articulo perfici ſoleat, propterea arbitratur operoſiſſimum eſſe, ut quis in extremis ad Deum rectè convertatur. Supponit itaquè ad veram pœnitentiam neceſſarium eſſe, ut concupiſcentiæ in caſtam di-

m 1. *Cor.* 13 n *Serm.* 75. *de diverſis.*

lectionem, & ſæcularia deſideria in Dei ſolius vertantur amorem.

Hoc ipſum eodem loco ſupponit mellifluus Doctor, dum agnoſcens, Deo eſſe poſſibile, ut in momento ſacram iſtam in corde hominis metamorphoſim perficiat, ità loquitur: *Spiritus non modò ubi vult; ſed quando vult, ſpirat: nec ei difficile eſt de ſubito perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alii conſequuntur. Sed unde ſcis, quòd tibi ità ſubvenire velit, quem tu interim ſic repellis?* Iſtis enim verbis indicat ſanctus Bernardus, ſine amore Dei non dari pœnitentiam, quæ Dei amicitiam promereatur: ſiquidem ità diſſerit acſi abſque contritione, in quâ Dei amor includitur, nemo unquam juſtitiâ donetur.

Hugo Victorinus Bernardi contemporaneus & amicus, ideò dicit pœnitentiam morientium raró eſſe veram, *quia præſumendum eſt, eam non eſſe ex amore profuſam; ſed à timore extortam, adeóque non eſſe liberam; ſed coactam.* o Valdè, inquit, ſuſpecta debet eſſe pœnitentia, quæ coacta videtur eſſe. Facile eſt, ut homo ſe nolle putet, quod poſſe non datur. Poſſibilitas optimè voluntatem probat. Si enim non facis, dum potes, manifeſtè oſtendis, quòd non vis.

Eſt igitur ſententia ſanctorum Patrum, in extremo vitæ articulo lapſorum paucos juſtitiâ donari; quoniam cenſent lapſorum paucos poſt vitam in criminibus tranſactam ad Deum ſuper omnia amandum in extremo vitæ termino convaleſcere.

In eâdem ſententiâ reperiuntur Gratianus in decreto de pœnitentiâ diſtinctione ſeptimâ; Petrus Lombardus in quarto ſententiarum diſtinctione vigeſimâ, ſicut etiam plures ex antiquis ſcholæ doctoribus, qui in iſtam Magiſtri diſtinctionem commentaria ediderunt.

§. 2. Quæ Patres de pœnitentiâ ſerâ docuerunt; Scotus rationibus illuſtrat, quas hîc tantò lubentiùs ediſſeram, quò hinc non ſolùm quæ ſit Scoti mens de neceſſitate divini amoris ad juſtitiam conſequendam, manifeſtum fiet; verùm

o *L. 2. de ſacram. part. 14. c. 5.*

rùm etiam eluceſcet quibus de cauſis adeò difficile rarumquè ſit, ut lapſi in ultimis morbis aut vitæ periculis amanti converſione ad Deum revertantur.

[o] Docet inprimis Scotus, quòd veram pœnitentiam in extremis habere eſt difficillimum homini, & rariſſimum, quantum ad Deum, & per conſequens periculoſiſſimum eam expectare.

Rationes, quibus Scotus probat difficillimum homini eſſe, ut in extremis poſt violatum baptiſmum, vitamquè in criminibus peractam, rectè pœniteat, omnes petuntur à difficultate, quâ laborant illi, quos mors urget, ut amando, & non ſolùm timendo, ad Deum revertantur. Prima „ ratio Scoti ſic ſe habet. [p] Quando, inquit, primò immi„ net alicui mors, ut vel per infirmitatem, vel videt gladium „ ultra caput, vel navem fractam; in quibus caſibus conve„ nire non ſperatur vita, habebit quicumque vel vehemen„ tem dolorem propter infirmitatem, vel vehementem ti„ morem propter extrinſecum: & tunc vix poteſt intelle„ ctus occupari circa aliquid aliud, quàm pars ſenſitiva pro„ pter ordinem potentiarum; quia vel totaliter impeditur „ actus intellectus ab alio actu, vel non habet actum perfe„ ctum alium, cùm dolor occupet totam partem ſenſitivam. „ Sed nolendo peccatum, oportet quòd ſit magna conſide„ ratio intellectus, & deteſtatio ad hoc quòd ſit attritio ſuf„ ficiens ex congruo ad remiſſionem peccati, ſicut fuit ve„ hemens delectatio prior in peccato. Hæc prior Scoti ratio, quâ docet morti proximos, vel magno dolore, ſi mors ex morbo immineat; vel magno timore affici, ſi vel gladius, vel naufragium ſpem vitæ auferant: dolorem verò & timorem, dum vehementes ſunt, intellectui ferè omnem adimere poteſtatem aliud cogitandi, quàm malum, quod ſentitur, vel ſtatim ſentietur, exiſtente hâc intimâ connexione inter facultatem intelligentem & ſentientem, ut unius vehemens operatio operationes alterius ad ſe trahat, ſuâque in operatione implicet, teneatquè occupatam; in his verò impedimentis maximis & intellectus & voluntatis, né circa alia

o *Super.* 4. *Sententiarum Diſt.* 18. *Reportatorum quæſt.* 3.

alia occupentur, quàm occupantur imaginans & ſentiens facultas, nihilominùs requiri, ut ſit attritio ſufficiens ex congruo ad remiſſionem peccati, primò quidem magnam attentamque cogitationem in intellectu de gravitate & turpitudine peccati, tum verò adeò vehementem ipſiuſmet peccati, & non tantùm pœnæ deteſtationem, ac vehemens fuit in voluntate voluptas peccandi. A captivitate itaquè, quâ intellectus & voluntas in extremis morbis retinentur, ne adverſus peccata, ea condemnando & deteſtando, moveantur, deſumit Scotus in vitæ termino difficultatem pœnitendi. Porrò ea condemnatio & deteſtatio ſine aliquo juſtitiæ amore eſſe non poſſunt. Deeſt ergo tunc facilitas pœnitendi, quia deeſt libertas amandi.

„ Huic rationi ſubjungit aliam Scotus. Ad hoc, inquit, „ ut ſit diſpoſitio ex congruo ad receptionem gratiæ, opor„ tet quòd ſit voluntaria deteſtatio, & debita circumſtantia „ finis, atque homo pœniteat non ſolùm propter timorem „ pœnæ, ſed timore filiali. Sed difficile eſt tunc dolere, ni„ ſi ex timore ſolùm. Et ſi non ſit cum amore, non diſponit „ ex congruo. Hæc Scoti ratio clarior, quàm ut ullà explicatione egeat: tantùm noto ex hâc ratione manifeſtum eſſe, quòd ipſe ſentiat in extremis difficile eſſe, non ut pœnas quis timeat; ſed ut juſtitiam diligat, ejuſquè offenſam magìs quàm ſuam pœnam exhorreſcat. Secundò ex his Scoti verbis conſtat, ipſum per attritionem, quæ ex congruo ſufficiat ad remiſſionem peccati, non intelligere attritionem amore Dei vacuam; ſed eo imbutam, ac filiali timore nobilitatam.

Velim autem adverti, hîc à Scoto tribui nomen attritionis ei de peccatis dolori, qui ex amore Dei ſuper omnia dilecti naſcitur: quia ejus ævi ſcholaſtici nomen contritionis non dabant, niſi iſtis pœnitentis animi motibus, qui dimanabant ex gratiâ ſanctificante. Credebat autem Scotus, poſſe à gratiâ actuali, ſive ab auxilio gratiæ, motum amoris Dei ſuper omnia dilecti in humanis cordibus excitari, quamvis Deus per gratiam ſanctificantem ea necdum inhabitaret. Quàm hoc verum ſit, alio capite ex ipſo Scoto docebimus.

Ter-

„Tertia Scoti ratio ſic ſe habet. Ex habitu malo præce-„dente uſque ad extremum eſt inclinatio vehemens ad pec-„cata, & ad actus ſimiles prioribus. Igitur difficile eſt tunc „primò contra iſtum habitum inclinari, deteſtando quæ „priùs erant delectabilia. Dum pondus libidinum totius ferè vitæ actibus aggravatum fertur in crimen, quis illud ſiſtet, niſi majus pondus divini amoris? Quis efficiet, ut quæ toto vitæ decurſu dulcia fuerunt, in vitæ termino amara fiant, niſi major juſtitiæ delectatio? Sed unde agonizanti illud majus pondus divini amoris? unde ei in momento victrix delectatio, quâ condelectetur legi Dei, cùm utroque ſanus caruerit? In ſe ipſo itaquè non eſt ei niſi perditio, niſi concupiſcentia victrix, niſi fames mortiferæ delectationis.

Quarta ratio, quæ à Scoto refertur, & ab illo non omninò probatur, hæc eſt. Si deberet aliquis infirmus benè pœnitere, multò majorem diſplicentiam requireret, quàm in eodem ſano, quia ſanus liberiùs pœnitet. Hanc rationem „cùm annotaſſet, ità ſubjungit: Non credo, quòd ad hoc, „quòd infirmus mereatur gratiam ex congruo, multò ma-„jorem attritionem requireret, cùm ſit interitui proximus, „quàm ſi eſſet ſanus; ſed, inquit, difficile eſt habere tan-„tam attritionem, ſicut in ſanitate, non ſolùm majorem; „quia ſi talis pœnitentia inſit, ſalvatur talis. Duo hic tradit Scotus. Primò, amorem Dei, qui omnes alios vincit amores, ſalvare hominem, ſive in ſanitate, ſive in morbo cum amorem fuerit conſecutus. Atque hoc veriſſimè ab illo aſſeritur. Secundò difficiliùs eſſe in morbo, quàm in ſanitate victricem habere juſtitiæ dilectionem: quod etiam veriſſimè ab eo dictum. *Quem enim morbus urget*, inquit Auctor libri de verâ & falsâ pœnitentiâ, *pœna terret*, *ad veram vix veniet ſatisfactionem*, *maximè cùm filii*, *quos illicitè dilexerit*, *ſint præſentes*, *uxor & mundus ad ſe vocent*. Et quoniam multa ſunt, quæ impediunt, & languentem retrahunt, periculoſiſſimum eſt & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Sed quod homini difficillimum, Deo cui omnia ſunt poſſibilia, facillimum

eſt.

eſt. *Quoniam*, inquit auctor multoties laudatus, *ſemper potens eſt, ſemper etiam poteſt in morte juvare, quibus placet.* Reſtat ut quæramus, an hoc Deo ſæpè placeat.

§. 3. Scotus ait, ex parte Dei rariſſimum eſſe. Auctor ſæpè citatus ait, illud quid grande eſſe. *Sed magnum eſt*, inquit, cui Deus tunc inſpirat, nempè veram pœnitentiam. Scotus ſuæ aſſertionis hanc dat rationem. *Quia*, inquit, *ſi ſine iſtâ diſpoſitione Deus conferat gratiam, hoc eſt merè miraculosè.* Hoc eſt, merum miraculum eſt, ut Deus cuipiam juſtitiam & remiſſionem peccatorum donet, cui non priùs dederit tum attentam & magnam de criminum numero & turpitudine cogitationem, tum vehementem illorum deteſtationem, tum timorem non ſolùm pœnæ; ſed caſtum, ſed filialem, qui magìs peccatum, quàm gehennam odit. Cùm autem in extremis morbis vitæquè periculis rariſſimè intellectus ægrorum videatur habere magnam attentamquè conſiderationem turpitudinis peccati, & cùm non magìs frequens ſit, ut illorum voluntas tam vehementer deteſtetur peccati jucunditatem, ac eam fuerat extra morbum proſecuta; rariſſimè etiam appareant in illis ſigna timoris offenſam Dei magìs, quàm gehennam pertimeſcentis, hinc meritò concludit Scotus, ex parte Dei rariſſimum eſſe, ut in extremo vitæ termino poſitis eam gratiam largiatur, quæ ipſorum intellectum & voluntatem expediat à doloribus & timoribus, & inolitis deſideriis ac propenſionibus, ut quæ Dei ſunt, ſerenâ mente cogitare & liberâ charitate diligere queant; quæ tamen gratia iis neceſſaria eſt, ut à peccati morte ad vitam juſtitiæ tranſitum faciant.

Porrò expendenti has Scoti rationes clarum apparebit, ideò homini difficillimum eſſe, ut in extremis verè pœniteat, quia difficillimum eſt, ut poſtquam totâ vitâ rerum tranſeuntium in ſe nutrivit & auxit amorem, tunc ab eo ſe liberet, quando dolor morbi, & timor inſtantis periculi intellectum & voluntatem occupantes, vix ſinunt ut intellectus vel languidâ cogitatione peccati turpitudinem conſideret, vel voluntas infirmo motu contra peccati delectamenta moveatur; cùm tamen opus eſſet magno vehementiquè & intellectus

&

& voluntatis conanime, ut libidines innatas & totius vitæ conſuetudine roboratas breviſſimo tempore vincere, & excutere, & victricem Dei dilectionem homini inſerere poſſent.

§. 4. Cùm itaque ut ſalventur illi, qui in ultimo vitæ limite ſunt, amor Dei requiratur, ſequitur illum juſtificando homini ſemper neceſſarium eſſe: nam ſi ad ſani hominis juſtificationem timor gehennæ idonea ac ſufficiens diſpoſitio foret, ad ægrum cum Deo reconciliandum idem timor idoneus & ſufficiens eſſet, cùm non alia ſit ægroti & alia ſani juſtificatio. Quia igitur ægrum timor non juſtificat, nec ſanum juſtificabit.

CAPUT XVI.

1. *Exponitur doctrina St[i]. Thomæ de neceſſitate amoris Dei, ut quis juſtificetur. Sentit ſanctus, ut juſtificetur peccator, oportere, ut per actus fidei, dilectionis, timoris filialis, & humilitatis ad Deum convertatur.* 2. *Docet ad juſtificationem requiri amorem juſtitiæ & odium peccati.* 3. *ait pænitentiam tendere in deſtructionem peccati, quatenùs eſt offenſa Dei.* 4. *Aſſerit pænitentiam ad charitatem & ad juſtitiam pertinere.* 5. *Pænitentia ex motu charitatis tanquam ex principio proximo & interno procedit; ex motu autem timoris tanquam ex principio externo & remoto.* 6. *Requirit Sanctus Thomas ad juſtificationem amorem Dei ſuper omnia dilecti.* 7. *Docet impoſſibile eſſe ſine amore Dei ſuper omnia peccata dimitti.* 8. *Ut intelligatur quâ ratione Deus, quos odit, ſibi reconciliat, divina voluntas conſideranda eſt, tum tanquam regula omnis juſtitiæ, tum tanquam cauſa omnium bo-*

bonorum. 9. Cùm ſacra eloquia & omnes ſancti Patres doceant amorem Dei ad juſtitiam eſſe neceſſarium, de ejus veritate non poteſt juſtè dubitari.

§. 1. QUia ſuffragium Sancti Thomæ ei, cui accedit, doctrinæ magnam affert commendationem, tum ob eminentem, quâ excelluit, ſcientiam, tum ob auctoritatem ſummorum Pontificum, qui ejus opera magnis laudibus extulerunt, tum ob multitudinem illorum, qui ejus ſequuntur doctrinam; arbitratus ſum fore operæ pretium, ſi ſpeciali capite referrem, quid ipſe ſentiat de neceſſitate divini amoris, ut quis juſtitiam adipiſci, & cum Deo, quem offenderat, in gratiam redire poſſit.

Cùm ſanctus Doctor 1. 2. q. 113. art. 3. docuiſſet ad juſtificationem impii requiri motum liberi arbitrii, quo à peccato ad juſtitiam accedit, tum in eâdem quæſtione articulo quarto ità loquitur: *Ad juſtificationem impii requiritur motus mentis, quo convertitur in Deum.* Deinde explicat eum „ motum fieri per fidem. Prima autem, inquit, conver- „ ſio in Deum fit per fidem, ſecundùm illud ad Hebræos 11. „ *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt.* Et ne quis cogitaret hunc fidei motum ſine amore fieri, ideò in „ reſponſione ad primum ait: Dicendum, quòd motus fi- „ dei non eſt perfectus, niſi ſit charitate informatus. Un- „ de ſimul, inquit, in juſtificatione impii cum motu fidei „ eſt etiam motus charitatis. Et pergens in explicatione iſtius „ motûs fidei ac charitatis, ſic loquitur: Movetur autem „ liberum arbitrium in Deum ad hoc, ut ei ſe ſubjiciat: un- „ de etiam concurrit actus timoris filialis, & actus humili- „ tatis.

Liquet ex hâc doctrinâ Angelici Doctoris, ad juſtificationem impii non ſufficere aut habitus inertes, aut fidem dilectione deſtitutam, aut timorem ſervilem; ſed ad illam requiri vitales liberi arbitrii actiones, ſive motus tum fidei, tum dilectionis, tum timoris filialis, tum humilitatis, quibus ſeſe Deo obedienter & reverenter ſubmittit. Hanc doctri-

ctrinam hauſerat ſanctus Doctor ex his Scripturæ verbis:
[q] *Credenti in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam.* [r] *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides quæ per charitatem operatur.* [s] *Dimiſſa ſunt ei peccata multa quoniam dilexit multum.* [t] *Timor Domini expellit peccatum; nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* [u] *Deus ſuperbis reſiſtit humilibus autem dat gratiam.*

§. 2. Huic doctrinæ Doctor Angelicus lumen & robur addit, dùm articulo quinto laudatæ quæſtionis tradit, ad juſtificationem impii neceſſarium eſſe & deſiderium ſive famem juſtitiæ, & odium ſive deteſtationem peccati. Dicendum, *inquit*, quòd juſtificatio impii eſt quidam motus, quo humana mens movetur à Deo à ſtatu peccati in ſtatum juſtitiæ. Oportet igitur, quòd humana mens ſe habeat ad utrumque extremorum ſecundùm motum liberi arbitrii, ſicut ſe habet corpus localiter motum ab aliquo movente ad duos terminos motûs. Manifeſtum eſt autem, in motu locali corporum, quòd corpus motum recedat à termino à quo, & accedit ad terminum ad quem. Undè oportet, quòd mens humana, dùm juſtificatur, per motum liberi arbitrii, recedat à peccato, & accedat ad juſtitiam. Receſſus autem & acceſſus in motu liberi arbitrii accipitur ſecundùm deteſtationem & deſiderium. Dicit enim Auguſtinus ſuper Joan. [x] exponens illud: Mercenarius autem fugit: Affectiones noſtræ motus animorum ſunt: lætitia animi diffuſio; timor animi fuga eſt: progrederis animo, cùm appetis; fugis animo, cùm metuis. Oportet igitur quòd in juſtificatione impii ſit motus liberi arbitrii duplex. Unus, quo per deſiderium tendat in Dei juſtitiam; & alius, quo deteſtetur peccatum.

Liquet igitur ex doctrinâ ſancti Thomæ, impium non provehi ad juſtitiam, niſi eam amans atque deſiderans iniquitatem odio habeat ac deteſtetur.

§. 3. [y] Dum in tertiâ parte idem Doctor agit de ſacramento

q *Rom.* 4. 6. r *Gal.* 5. 4. s *Luc.* 7. t *Eccli.* 1. u *Jacob.* 4.
x *Tract.* 46. *in Joan.* y 3. *Part.* q. 85. *art.* 2.

to pœnitentiæ, eam dicit conſiderari poſſe vel quatenùs virtus eſt, vel quatenùs ſacramentum eſt. De eâ autem quatenùs virtus eſt, ait, quòd in pœnitentiâ invenitur ſpecialis ratio actus laudabilis, ſcilicet operari ad deſtructionem peccati præteriti, non in quantum nocet integritati hominis; ſed in quantum eſt Dei offenſa. Et ad primum poſtquam in eodem articulo in pœnitentiâ duo diſtinxiſſet, nempè diſplicentiam, ſive odium peccati, & actus ex ipſo odio dimanantes, ut peccatum deſtruatur & Dei honos reparetur; tum ait, illam diſplicentiam peccati præteriti immediatè ad charitatem pertinere, ſicuti actum ab eâ elicitum; ipſam verò intentionem operandi deletionem peccati requirere ſpecialem ſub charitate virtutem, hoc eſt, virtutem à charitate imperatam. Sive ergo pœnitentia conſideretur, vel quatenùs eſt diſplicentia peccati, vel quatenùs eſt quidam conatus voluntatis vindictam peccati ejuſquè deſtructionem molientis, utroque modo ad dilectionem pertinet, utpote actus ab eâ vel elicitus, vel imperatus.

§. 4. Dum in articulo tertio ejuſdem quæſtionis docet pœnitentiam, quatenùs vindictam à reo exigit, & illatam Deo injuriam reparare intendit, ad juſtitiam pertinere; ſimul docet, quòd eatenùs ad charitatem ſpectet, quatenùs „ de peccato dolet. Dicendum, inquit, quòd pœnitentia „ non habet, quòd ſit virtus ſpecialis ex hoc ſolo, quòd do„ let de malo perpetrato; (ad hoc enim ſufficeret charitas) „ ſed ex hoc, quòd pœnitens dolet de peccato commiſſo, „ in quantum eſt offenſa Dei, cum emendationis propoſito. Et in eodem articulo in reſponſione ad quartum ait, quòd pœnitentia in quantum eſt juſtitia quædam hominis ad Deum, oportet, quòd participet ea, quæ ſunt virtutum theologicarum, quæ habent Deum pro objecto. *Unde pœnitentia*, inquit, *eſt cum fide paſſionis Chriſti, per quam juſtificamur à peccatis, & cum ſpe veniæ, & cum odio peccatorum, quod pertinet ad charitatem.*

§. 5. In articulo verò quinto ejuſdem quæſtionis, ubi enarravit priores actus, nempe fidei, timoris ſervilis, ac ſpei, à quibus pœnitentia incipit, atque progreditur, tum ita

„ ita loquitur: Quintus actus eſt motus charitatis, quo ali-
„ cui peccatum diſplicet ſecundùm ſe ipſum, & non jam
„ propter ſupplicia. Sextus verò, inquit eodem loco, eſt
„ motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei ali-
„ quis emendam Deo voluntarius offert. Sic igitur patet,
„ quòd actus pœnitentiæ à timore ſervili procedit, ſicut à
„ primo motu affectus ad hoc ordinato; à timore autem fi-
„ liali, ſicut ab immediato & proximo principio.

Dicit hîc ſanctus Doctor, pœnitentiam procedere à timore ſervili, non tanquam à ſemine & principio intrinſeco; ſed tanquam à principio exteriori ad hoc ordinato, ut ſuis peccatorem ſtimulis ad pœnitendum excitet, & tanquam acus in ejus animam filum inducat amoris. Non ſentit ergo timorem ſervilem eſſe veluti matrem & partem pœnitentiæ; ſed ſolummodò eum eſſe veluti inſtrumentum, quod animam ad dilectionem, quæ eſt ſemen & origo pœnitentiæ, perinde præparat, ac vomer, qui non eſt radix & mater fructuum, terram ſubigit, ut grana, ex quibus fructus naſcuntur, faciliùs percipere, ac conſtantiùs retinere poſſit: ſolum verò motum charitatis & timoris filialis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundùm ſe ipſum, & non jam propter ſupplicia, teſtatur eſſe principium proximum & immediatum, ex quo vera pœnitentia ejuſquè fructus enaſcuntur. Timor filialis eos progignit affectus ac motus animi, quibus propter reverentiam Dei pœnitentes emendam, ſive fructus dignos pœnitentiæ voluntarii offerunt. Voluntarii autem offerunt, qui ſe à peccato cohiberent, & emendam, ſive peccati vindictam Deo offerrent, tametſi illud impunè eis committere liceret. Hanc doctrinam Gregorius Magnus illuſtrat, & confirmat, dum ait: y Ubi ſpi-
„ ritus Domini, ibi libertas. Si ergo adhuc à pravâ actione
„ formidata pœna prohibet, profectò formidantis animum
„ nulla ſpiritus libertas tenet; nam ſi pœnam non metueret,
„ culpam procul dubio perpetraret. Ignorat itaquè mens
„ gratiam libertatis, quam ligat ſervitus timoris. Bona enim
„ pro ſemetipſis amanda ſunt, & non pœnis compellentibus
„ exce-

y *Gregor. cura paſt. part. 3. admon. 14.*

„exequenda: nam qui propterea bonum facit, quia tor-
„mentorum mala metuit, vult non eſſe quod metuat, ut
„audacter illicita committat. Unde luce clariùs conſtat,
„quod coram Deo innocentia amittitur, ante cujus oculos
„deſiderio peccatur.

§. 6. Porrò licet teſtimonia, quæ ex Angelico Doctore produximus, ſi benè expendantur, clarè oſtendant, ipſum ad juſtificationem impii, & pœnitentiam, quæ nos Deo reconciliat, poſtulare Dei amorem, qui omnes alios excedat amores: majoris tamen claritatis ergò unum aut alterum ex ipſo teſtimonium proferemus, quo illud diſertis verbis affirmat.

Eâdem quæſtione, quam non ſemel citavimus, ſolvens, quam propoſuerat, quæſtionem, nempè utrum pœnitentia ſit prima virtutum, iis utitur verbis, quæ clariſſimè indicant, ipſum ſentire, quòd nemo per pœnitentiam cum Deo in gratiam redeat, qui illum non omnibus præferat.
„[z] Actus, inquit, & habitus charitatis ſimul ſunt tempore
„cum actu & habitu pœnitentiæ, & cum habitibus aliarum
„virtutum. Nam, ſicuti in ſecundâ parte habitum eſt, in
„juſtificatione impii ſimul eſt motus liberi arbitrii in Deum,
„(*qui eſt actus fidei per charitatem formatus*) & motus li-
„beri arbitrii in peccatum, qui eſt actus pœnitentiæ. Ho-
„rum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit
„ſecundum; nam actus virtutis pœnitentiæ eſt contra pec-
„catum ex amore Dei, undè primus actus eſt ratio & cauſa
„ſecundi. En quomodò Angelicus Doctor diſertè aſſerat in juſtificatione impii eſſe motum liberi arbitrii in Deum, eumquè motum eſſe *actum fidei charitate formatum*, quod tunc ſolùm fit, quando Deo potior amor impenditur.

Eandem doctrinam tradit, dum ad quæſtionem, quâ quæritur, num unum peccatum ſine alio per pœnitentiam poſſit remitti, tale reponit reſponſum, quo clariſſimè ſignificat ad rationem pœnitentiæ, quâ Deo reconciliamur, pertinere, ut de peccato doleat, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum. Audiamus ejus verba. [a] „Peccatum
„mor-

[z] *Artic. 6.* [a] *3. P. Q. 86. a. 3.*

„ mortale, inquit, non poteſt ſine verâ pœnitentiâ remit-„ ti: ad quam pertinet deſerere peccatum, in quantum eſt „ contra Deum. Quod quidem eſt commune omnibus pec-„ catis mortalibus. Ubi autem eſt eadem ratio, & idem ef-„ fectus. Undè non poteſt eſſe verè pœnitens, qui de uno „ peccato pœnitet, & non de alio. Si enim diſpliceret ei il-„ lud peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia dile-„ ctum (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ) ſe-„ queretur, quòd de omnibus peccatis pœniteret. Alio loco dum explicat, quantus eſſe debeat dolor, qui in contritione involvitur, aſſerit illum debere eſſe maximum; quia Dei amorem, ex quo proficiſcitur, oportet eſſe maximum. „ [b] In contritione, inquit, eſt duplex dolor: unus eſt in ipsâ „ voluntate, qui eſt eſſentialiter ipſa contritio, qui nihil aliud „ eſt, quàm diſplicentia præteriti peccati; & talis dolor in „ contritione excedit omnes alios dolores: quia quantum a-„ liquid placet, tantum contrarium ejus diſplicet: finis au-„ tem ultimus ſuper omnia placet, cùm omnia propter ipſum „ deſiderentur: & ideò peccatum, quod à fine ultimo aver-„ tit, ſuper omnia diſplicere debet. Hæc adeò clara ſunt, ut vel cæcis oſtendant, in contritione, quæ ad juſtificationem neceſſaria eſt, contineri ſummum Dei amorem, ex quo ſummus de peccato dolor dimanare poſſit.

§. 7. Pœnitentia verò ex tali amore & dolore dimanans adeò ad juſtificationem neceſſaria eſt, ut ſanctus Doctor disertè aſſerat impoſſibile eſſe, ſine illâ peccatum actuale mortale à Deo remitti. Locum, in quo hoc docet, hîc integrum exſcribemus, quia in eo ſententiam ſuam invictis rationibus aſſerit.

„ Reſpondeo, inquit, dicendum, quòd impoſſibile eſt, „ peccatum actuale mortale ſine pœnitentiâ remitti, loquen-„ do de pœnitentiâ, quæ eſt virtus. Cùm enim peccatum „ ſit Dei offenſa, eo modo peccatum Deus remittit, quo „ remittit offenſam in ſe commiſſam. Offenſa autem directè „ opponitur gratiæ: ex hoc enim aliquis dicitur alteri eſſe „ offenſus, quòd repellit eum à gratiâ ſuâ. Sicut autem „ ha-

b *In Suppl. quæſt. 3. art. 1.*

„habitum eſt in ſecundâ parte, hoc intereſt inter gratiam „Dei & gratiam hominis, quòd gratia hominis non cauſat, „ſed præſupponit bonitatem veram vel apparentem in ho„mine grato; ſed gratia Dei cauſat bonitatem in homine „grato: eò quòd bona voluntas Dei, quæ in nomine gra„tiæ intelligitur, eſt cauſa omnis boni creati. Unde poteſt „contingere, quòd homo remittat offenſam, quâ offen„ſus eſt alicui, abſque aliquâ immutatione voluntatis ejus: „non autem contingere poteſt, quòd Deus remittat offen„ſam alicui abſque immutatione voluntatis ejus. Offenſa „autem peccati mortalis procedit ex hoc, quòd voluntas „hominis eſt averſa à Deo per converſionem ad aliquod bo„num commutabile. Unde requiritur ad remiſſionem di„vinæ offenſæ, quòd voluntas hominis ſic immutetur, ut „convertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis præ„dictæ, & propoſito emendæ, quod pertinet ad rationem „pœnitentiæ, ſecundùm quod eſt virtus. Et ideò impoſ„ſibile eſt, quòd peccatum alicui remittatur ſine pœnitentiâ, „ſecundùm quod eſt virtus. Sacramentum autem pœniten„tiæ, ſicut ſupra dictum eſt, perficitur per officium ſacer„dotis ligantis & ſolventis, ſine quo poteſt Deus peccatum „remittere, ſicut remiſit Chriſtus mulieri adulteræ, ut le„gitur Joan. 8. & peccatrici, ut legitur Luc. ſeptimo. Qui„bus tamen non remiſit peccata ſine virtute pœnitentiæ: „Nam ſicut Gregorius dicit in homiliâ: Per gratiam traxit „intùs, ſcilicet ad pœnitentiam; quam per miſericordiam „ſuſcepit foris.

Hoc reſponſo Sancti Thomæ docemur, primò quidem offenſam peccati mortalis procedere ex hoc, quòd voluntas ſit averſa à Deo per converſionem ad aliquod commutabile bonum.

2. Ad remiſſionem divinæ offenſæ requiri, quòd voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis prædictæ & propoſito emendæ.

3. Impoſſibile eſſe, ut ſine iſtâ converſione ad Deum, & deteſtatione converſionis ad commutabile bonum peccator in ejus gratiam recipi poſſit.

4. Hu-

4. Hujus rei cauſam eſſe, quòd Deus, qui eſt æterna & incommutabilis juſtitia, à creaturâ rationali, quæ eſt imago ejus, non poſſit eſſe averſus, niſi ipſa ejus juſtitiæ fiat adverſa. Et cùm impoſſibile ſit, ut, qui ab invicem averſi ſunt, invicem reconcilientur, niſi intercedat ſaltem ex unâ parte mutatio voluntatum, hinc minimè fieri poteſt, ut creatura rationalis, quæ creaturam Creatori præferendo ejus gratiâ & amore exciderat, cum ipſo redeat in gratiam, niſi ipſa ſuam mutet voluntatem, amoremquè ſuum à bono commutabili divellat, ut eum incommutabili bono præcipuum addicat. Nam Dei voluntas, quæ eſt ſumma juſtitiæ regula, cùm ſit incommutabilis, mutari nullatenùs poteſt: oportet igitur ut mutatio voluntatis ſit ex parte creaturæ.

5. Hanc differentiam intercedere inter reconciliationem, quâ creaturæ cum ſuo Creatore redeunt in gratiam, & inter reconciliationem, quâ homo homini, à quo fuerat averſus, reconciliatur; quòd homo ei ſæpè fiat amicus, quem maximo odio fuerat proſecutus, tametſi ille ſuam minimè mutet voluntatem. Hàc ratione plurimi illorum, qui Apoſtolos & Martyres Chriſti ſummo odio fuerant perſecuti, deinde illorum innocentiam & probitatem agnoſcentes, eis in eâdem voluntate permanentibus, ſuam immutarunt, tantóque propenſiùs ipſos coluerunt, quantò majori odio eis fuerant adverſati: Deus verò creaturæ, quæ ab ipſo fuerat averſa, reconciliari non poſſit, niſi ipſa, mutando ſuam voluntatem atque amorem, ad ipſum convertatur.

6. Creaturam rationalem cum Deo non redire in gratiam, niſi Deus ipſe illam ex aversâ converſam, & ex malâ bonam efficiat.

§. 8. Quod ut meliùs intelligatur, duplici ratione divinam oportet conſiderare voluntatem, nempè quatenùs eſt ſumma lex, ſive regula juſtitiæ, & quatenùs eſt omnium cauſa bonorum. In quantum divinæ voluntati, quæ eſt ſuprema lex, noſtri amores & mores contrarii ſunt, in tantum eidem voluntati diſplicent, atque ab eâ condemnantur; nec ejus gratiam inire poſſunt, niſi divina voluntas, quæ

eſt cauſa omnium bonorum, cordibus hominum inſpiret ejuſdem voluntatis, quatenùs eſt regula juſtitiæ & lex amorum & morum humanorum, dilectionem ac obſervantiam, quibus ei conformes ac ſimiles redduntur. Quod ergo cum præcipiente divinâ voluntate homines redeunt in gratiam, hoc præſtat operans divina voluntas, quæ ipſos amore præveniens, vel ex malis bonos, vel ex bonis meliores reddit. „Hoc enim, ut ait Sanctus Thomas, intereſt inter gratiam „Dei & gratiam hominis, quòd gratia hominis non cauſat; „ſed præſupponit gratiam veram, vel apparentem in homi„ne grato; ſed gratia Dei cauſat bonitatem in homine: eo „quòd bona voluntas Dei, quæ nomine gratiæ [ſive bene„volentiæ] intelligitur, eſt cauſa omnis boni creati. Divina ergo voluntas, quatenus lex juſtitiæ, diligit diligentes ſe; ſed divina voluntas, quatenùs cauſa, & quæ etiam voluntas beneplaciti à Theologis vocatur, homines ex averſis converſos, & ex oſoribus ejus voluntatis, quæ eſt lex juſtitiæ, & quæ plerumque voluntas ſigni dicitur, amatores & cultores reddit, infundendo eis cœleſte lumen atque dulcedinem, quibus illud, quod divina voluntas jubet, læti cognoſcunt, & libentes obſervant.

Ex his omnibus manifeſtum eſt, ſentire Sanctum Thomam, impoſſibile eſſe, ut quis poſt Dei offenſam cum ipſo redeat in gratiam ſine eâ pœnitentiâ, quæ dolet de peccato, *quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum*, & quæ propter ipſius reverentiam emendam ei voluntariè offert.

§. 9. Non foret difficile probatu, hâc in re Sancto Thomæ conſentire ferè omnes ſcholaſticos, qui ante Concilium Tridentinum aliquod in ſcholis nomen habuerunt: ſed quia illud egregiè præſtitit eruditiſſimus Theologus Joannes Launoyus, ne actum agam, ad ipſius opuſculum de mente Concilii Tridentini circa contritionem & attritionem, lectorem remitto.

Quia tamen Launoyus Scoti ſuffragium non retulit, hîc illud attexam. In quartum ſentent. diſt. 20. quæſt. unicâ docet difficillimum eſſe, ut quis in extremis cum Deo redeat in gratiam. Ejus autem quæſtionis num. 5. ſecundùm edi-

tio-

tionem Cavelli ſcholiis illuſtratam, petit cauſam iſtius difficultatis ex difficultate amandi Deum in extremis, quando
„ tota vita in amore mundi tranſacta fuit. Ad hoc, inquit,
„ quòd diſplicentia valeat & ſit ordinata, oportet quòd ſit
„ debitè circumſtantionata, & maximè circumſtantiâ finis,
„ & principii activi principalis, ut ſcilicet ſit voluntaria pro-
„ pter Deum: ſed difficile eſt, inquit ibidem, tunc habe-
„ re actum ſic circumſtantionatum: quia qui uſquè tunc fuit
„ impœnitens, non videtur tunc à ſe ipſo impetrare diſpli-
„ centiam novam, niſi timore pœnæ imminentis: præſu-
„ mitur enim quòd ſi remotus eſſet à pœnâ, ſicut priùs, non
„ extorqueret à ſe ipſo iſtam diſplicentiam, ſicut nec priùs;
„ tum quia ſaltem aliquid ſimpliciter involuntarium videtur
„ cauſa iſtius diſplicentiæ, nam expectatio mortis videtur
„ cauſa iſtius diſplicentiæ; illa autem eſt involuntaria, &
„ quod non fit niſi ex ſuppoſitione cujuſdam involuntarii,
„ non eſt ſimpliciter voluntarium; ſicuti non omninò vo-
„ luntariè projicit quis merces in mare, ſi non projicit niſi
„ ex ſuppoſitione cujuſdam periclitationis, quam nollet:
„ ſaltem quod non eſt, niſi ſit involuntarium, non eſt mul-
„ tùm acceptum alii, nec multùm videtur propter amorem
„ ejus factum. Hanc rationem tangit Auguſtinus in litterâ:
„ Oportet non ſolùm timere judicem, ſed diligere: arbitrii
„ enim libertatem quærit, ut delere poſſit commiſſa; non
„ neceſſitatem: charitatem; non timorem: non igitur ti-
„ meat pœnam, ſed anxietur pro gloriâ.

Tam ex his verbis à Scoto, tanquam Auguſtini forent, laudatis, quàm ex ipſo ejus diſcurſu patet ipſum exiſtimare, primò quidem, neminem voluntariam Deoquè acceptam agere pœnitentiam, qui non ex amore, ſed ex ſolo pœnæ timore de peccatis dolet. 2. ipſum aſſentire ſententiæ, quæ dicit Deum judicem non ſolùm timendum, ut reus cum eo redeat in gratiam; ſed etiam eſſe amandum. 3. pœnitentiam de peccato, ſive diſplicentiam, uti loquitur Scotus, debere eſſe debitè circumſtantionatam, nempe circumſtantiâ finis & principii activi. Ut autem actus ſit benè circumſtantionatus (ut cum Scoto loquar) circumſtantiâ finis, duo po-

ſtulantur: primò quidem, ut ſuper omnia diligatur, & ut, quod ex priori conſequitur, propter ſe ipſum, & non propter aliud diligatur: ſi enim non propter ſemetipſum, ſed propter aliud diligeretur, non tanquam finis; ſed tanquam medium ad finem diligeretur: cùm finis ultimus ſit propter quem omnia, ipſe autem propter ſe ipſum deſideretur. Vult itaquè Scotus, ut vera pœnitentia, quæ neceſſaria eſt, ut Deo reconciliari peccator poſſit, procedat ex amore, quo Deus caſtè, ſive tanquam fons omnis juſtitiæ diligitur.

Eſt quidem verum in quart. diſt. 14. quæſt. 4. docere Scotum, à Deo inſtitutas eſſe duas vias juſtificando homini idoneas, unam per attritionem adeò ardentem, ut extra ſacramentorum uſum hominem Deo conciliet, alteram per dolorem minùs acrem, qui adjutus eâ gratiâ, quam Deus ſacramento baptiſmi & pœnitentiæ utentibus infundit, reos Deo reconciliat. Verùm iſtud minimè adverſatur neceſſitati ejus de peccato doloris, qui ex Dei tanquam finis ultimi dilectione dimanat. Undè etiam Scotus illic minimè docet, reos per amorem Dei ſuper omnia dilecti extra uſum ſacramentorum baptiſmi vel pœnitentiæ juſtitiâ donari, in uſu verò iſtorum ſacramentorum per timorem gehennæ ſine amore Dei poſſe juſtificari. Eſt ergo certum ex doctrinâ Scoti, neminem Deo amicum fieri, qui eum tanquam judicem ſive juſtitiæ fontem non amet ac colat.

Porrò apud eundem Launoyum in tractatu *de mente Concilii Tridentini circa contritionem & attritionem*, lector inveniet non ſolùm ſcholaſticorum; ſed etiam ſanctorum Patrum omnibus ferè ſæculis continuata ſuffragia, quibus teſtantur neminem Deo gratum eſſe, quem caſtus amor non fecerit pœnitentem.

Undè etiam dubium eſſe non poteſt, quin hæc doctrina ſit divinæ veritatis. Illud enim eſt divinæ veritatis, quod à ſacris eloquiis docetur, & à perpetuâ Eccleſiæ traditione, ac unanimi ſanctorum Patrum ſententiâ confirmatur.

Eſt quidem verum recentiores quoſdam ſcholaſticos, & Caſuiſtas non paucos opinari, quòd metus gehennæ cum ſacramento pœnitentiæ, tametſi abſit amor Dei, impios juſti-

juſtificet, ac Deo reddat acceptos. Attamen nova iſtorum opinatio efficere non poteſt, ut, quod à Scripturis docetur, & à ſanctis Patribus, & à traditione aſſeritur, ſuam poſſit amittere veritatem. Et tametſi opinatio ſtabilitæ in ſcripturis & in traditione doctrinæ oppoſita aliquam habeat probabilitatis ſpeciem; ea tamen vera eſſe non poteſt, quia nec à ſcripturarum oraculis, nec à ſanctorum Patrum ſuffragiis, nec à luce veritatis; ſed ſolùm à recentiorum ſcholaſticorum & Caſuiſtarum prolubiis in novitatem plerumquè prurientibus, derivata eſt: undè etiam non niſi privatos, aut nimis credulos, aut novitatis amantes decipere poteſt; Eccleſiam verò, cui nihil probatum, niſi quod traditum, decipere non poteſt.

CAPUT XVII.

1. *Non requiritur contritio ad confeſſionem; ſed duntaxat ad abſolutionem. 2. Dum Scholaſtici docent ad confeſſionem requiri contritionem, tum ſub nomine confeſſionis etiam abſolutionem comprehenderunt. 3. Rectè editur confeſſio, ut per ſatisfactionis opera à ſacerdote impoſita pœnitens contritus fiat; undè etiam peccatoribus conſultiſſimum, ut, ſimulac ſuorum horrore criminum concutiuntur, à ſacerdotibus juxta morem priſcæ Eccleſiæ actionem pœnitentiæ petant. 4. Exponitur, quo ſenſu à mortuo pereat confeſſio, & Auguſtinus eripitur illis, qui exiſtimant non valere confeſſionem, niſi ex contritione dimanet. 5. Oſtenditur quo ſenſu Gregorius Magnus dixerit, quòd converſio mentis debeat confeſſionem præcedere.*

§. 1. QUæ hucuſquè tractavimus, oſtendunt redintegrandæ cum Deo amicitiæ non timorem gehennæ,

næ, ſed amorem caſtum, qui Deum omnibus anteponat, idoneum eſſe; verùm extra limites veritatis deviatur, dum docetur, nequidem confeſſionem peccatorum ſine crimine coram ſacerdotibus edi poſſe, ſi à confitentium cordibus abſit talis Dei amor, qui alios omnes regat, & ne dominentur, compeſcat amores.

Si enim requireretur ad gratam Deo confeſſionem, ut eam præcederet contritio charitate animata, ſequeretur neminem ad confeſſionem idoneum eſſe, qui idem non ſit ad abſolutionem idoneus. Nam res in confeſſo eſt, eum, qui ità dolet de peccatis, ut Deum ſuper omnia diligat, aptum dignumquè eſſe ex eâ parte, ut abſolutione donetur. Eſt autem ex doctrinâ Patrum, & praxi totius, præſertim priſcæ Eccleſiæ certiſſimum, multò majorem requiri perfectionem animi ad promerendam abſolutionem à crimine, quàm ad criminum accuſationem coram ſacerdote edendam; ſicuti etiam minor animæ ſanitas, hoc eſt juſtitiæ amor poſtulatur, ut quis ſe ægrum fateatur, quàm ut per abſolutionem à ſacerdote reconcilietur. Hinc in priſcâ Eccleſiâ confitentibus imponebantur opera ſatisfactionis, ut per illa converſionem cordis ſui nutrirent, firmarent, delendiſquè criminibus aptam redderent. Hinc Patres inter confeſſiones pœnitentium, & eorundem abſolutionem plurium ſæpè annorum ſatisfactiones interponebant; qui minimè iſtud ordinaſſent, ſi non majorem Dei amorem ad abſolutionem, quàm ad confeſſionem poſtulaſſent.

§. 2. Fatendum quidem eſt, poſtquam mos invaluit, ut confeſſione defunctis plerumquè nulla interpoſitâ morâ abſolutio concedatur, docuiſſe plures ex antiquis ſcholaſticis, quòd amor Dei ſuper omnia confeſſionem præcedere deberet. Verùm quando ità locuti fuerunt, ſub nomine confeſſionis etiam abſolutionem comprehenderunt; quemadmodum nunc omnes penè Catholici in vulgaribus ſuis linguis nomine confeſſionis totum pœnitentiæ ſacramentum intelligunt. Dum itaquè confeſſio ponitur pro toto pœnitentiæ ſacramento, jure merito ab antiquis ſcholaſticis dictum fuit, quòd eam anteire debeat contritio, in quâ dilectio Dei ſuper

per omnia, vel certè iſti dilectioni tam propinqua præparatio contineatur, ut meritò ſperari poſſit, quod accedente confeſſionis humilitate, monitione, pœnitentiæ impoſitione & obediendi acceptatione, & demum ſacerdotali prece novas vires concipiens in contritionem charitate animatam ſit evaſura. Hàc de cauſâ vult Catechiſmus Romanus, ut ſacerdos excepturus confeſſiones ante omnia obſervet, [c] ſi „ pœnitens veram peccatorum ſuorum contritionem habeat, „ certumquè illi ſit ac deliberatum in poſterum à peccatis „ abſtinere; [d] ſi autem ſacerdos intellexerit, eum, qui velit „ confiteri, adeò peccata ſua non dolere, ut verè contritus „ dicendus ſit; tum jubet Catechiſmus; conetur magno „ contritionis deſiderio eum afficere, ut deinde hujus præ- „ clari doni cupiditate incenſus, illud à Dei miſericordiâ „ petere & efflagitare in animum inducat. Nonnullis verò interpoſitis idem Catechiſmus docet, confeſſionem editurum „ inprimis docendum eſſe, [e] priuſquam ad ſacerdotem ali- „ quis adeat, omni ſtudio curandum eſſe, ut peccatorum „ ſuorum contritione commoveatur. Exigit iſtis in locis Catechiſmus, ut confeſſionem pariat vera contritio; quia de eâ ibi confeſſione loquitur, quam ferè ſine ullo temporis intervallo abſolutio ſequitur, non verò de illâ, quam inter & abſolutionem ſatisfactio longioris temporis intercedit. Et certè neceſſarium eſt, ut qui poſt confeſſionem ſtatim cupit abſolutione & communione donari, antequam ſacerdotem adeat, contritionis ardore incaleſcat, eaque opera exerceat, ac fructus pœnitentiæ ſpontè ferat, quibus & ſuam contritionem alere, & ſacerdoti eam certiùs, quàm foliis confeſſionis probare poſſit.

§. 3. Verùm ſi quis juxta plurium ſæculorum in Eccleſiâ Dei ſanctiſſimum morem velit confiteri, ut confitendo à ſacerdote petat ordinem pœnitendi, ſive ea ſibi peccatorum remedia præſcribi, quibus conſuetudines peccandi vincere, pravas libidines extirpare, & divini nominis timorem pariter ac amorem ſuo in corde plantare poſſit; tum minimè neceſſe eſt, ut confeſſionem contritio pariat; ſufficiente ad uti-

c *Catechiſm. Rom. part. 2. de pœnit. n. 76.* d *Ibid. n. 78.* e *Ibid. n. 81.*

utilem confeſſionem contritionis initio, eâquè animi humilitate, quæ ad ſumendas peccatorum medicinas, licet amaras, ſit parata. Medicina hoc ordine præſcripta majoribus divinæ miſericordiæ juvatur auxiliis, præſidiiſquè firmatur, quàm quæ à pœnitentibus ſponté ſuſcipitur.

Undè etiam à peccatoribus, ſimul atque timore divinorum judiciorum concutiuntur, nihil ſapientiùs ac prudentiùs fieri poteſt, quàm ut ad ſacerdotes ſeſe ſtatim conferant, eiſquè ſua vulnera, lethaleſquè plagas humili confeſſione aperiant, ab eis poſtulantes, ut impoſitis peccatorum pœnis, & præſcriptis criminum caſtigationibus, veluti ſalutaribus fracturarum vinculis, ipſos ligare & curare eo uſquè velint, donec violentiæ pœnitendi conſuetudo ceſſerit peccandi, & per lacrymas, veluti quendam ſanguinem cordis, effluxerit libidinum criminumquè purulentia, divinuſquè amor, qui eſt vita & ſanitas animarum, in eis eo uſquè creverit, ut omnes alios compeſcat ac vincat amores.

Hic fuit in priſcâ Eccleſiâ mos dignè pœnitere volentium, ut, cùm ſe ipſos ſacrâ communione indignos cenſuiſſent, ſe ipſos clavibus Eccleſiæ ligandos ſubjicerent, poſtulantes à ſacerdotibus, ut ſibi pœnitendi ordinem modumquè præſcriberent, quem obſervantes odium peccati, & amorem juſtitiæ in ſe ipſis nutrirent & augerent. Ad hunc morem peccatores hortatur Auguſtinus, dum ait: [f] „Cùm ipſe „peccator in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, [nempè ſeceſſus ab altaris & Euchariſtiæ participatione,] ſed tamen „medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi „in Eccleſiâ claves miniſtrantur, & tanquam bonus jam in„cipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cu„ſtodito, à præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactio„nis ſuæ modum; ut in offerendo ſacrificio cordis contri„bulati devotus & ſupplex, id tamen agat, quod non ſo„lùm ſibi proſit ad recipiendam ſalutem; ſed etiam cæteris „ad exemplum.

Eundem antiquæ Eccleſiæ morem deſcribit ſanctus Leo, „dum ait: [g] Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Je„ſus,

[f] *Homil. 50. cap. 3. inter 50. homil.* [g] *Epiſt. 82. c. 2. ad Theod. Forojulien. Epiſcop.*

„ſus, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & „confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſa„lubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramento„rum per januam reconciliationis admitterent. Ex his patet tempore Patrum peccatores crimen ſacerdotibus aperuiſſe, non ut ſtatim abſolverentur; ſed ut ſacerdotes eis confitentibus actionem pœnitentiæ darent, ſive ut pœnarum medicantibus vinculis ipſos alligarent; & demùm eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, & divino amore accenſos ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis, ſive per abſolutionem admitterent. Non eſt ergo neceſſe, ut confeſſio ſit fructus amoris Deum ſuper omnia diligentis, cùm utiliſſimè aſſumatur, ut ſacerdos pro criminum ratione talia ſatisfactionis opera reo imponat, qualia pellendis concupiſcentiis, & introducendæ charitati, quæ ad abſolutionem requiritur, aptiſſima exiſtimat.

Hanc doctrinam Gregorius Magnus Romanorum Pontificum doctiſſimus luculenter illuſtrat, dum exponens illud Joannis Baptiſtæ, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, aſſerit confeſſionem ſatisfactioni præmitti, ſicuti folia præcedunt, ut fructus ſequatur, & confeſſionis folia non propter ſe ipſa, ſed propter fructum operum deſiderari. [h]„ Signum, „inquit, veræ converſionis non eſt in oris confeſſione; ſed „in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque verè converſum „peccatorem cernimus, cùm dignâ afflictionis auſteritate „delere nititur, quod loquendo confitetur. Unde Joan„nes Baptiſta malè converſos Judæos ad ſe confluentes in„crepans, ait: *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis* „*fugere à venturâ irâ. Facite ergo fructus dignos pœniten*„*tiæ*. In fructu ergo, non in foliis aut ramis pœnitentia co„gnoſcenda eſt. Quaſi arbor quippe bona voluntas eſt. Con„feſſionis ergo verba quid ſunt aliud, niſi folia? Non ergo „nobis folia propter ſe ipſa, ſed propter fructum expetenda „ſunt, quia idcirco omnis confeſſio peccatorum recipitur, „ut fructus pœnitentiæ ſubſequatur. Unde & Dominus ar„borem foliis decoram, fructu ſterilem maledixit: quia „con-

h *Lib. 6. c. 15. in lib. 1. Reg.*

„ confeſſionis ornatum non recipit ſine fructu afflictionis.
Hæc Gregorius Magnus. Ex cujus verbis conſtat confeſſionem ad ſatisfactionem viam ſternere, illamquè propter hanc & expeti & aſſumi. *Confeſſio*, inquit, *peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ ſubſequatur.*

Alibi docet idem Gregorius, ſatisfactionem pœnitentis tum demum delendis peccatis eſſe idoneam, quando à ſacerdote pro peccatorum magnitudine fuerit impoſita. „ [i] Afflictio pœnitentiæ, inquit, ad delenda peccata tunc demùm idonea eſt, cùm ſacerdotis judicio fuerit imperata; „ cùm ab eo confitentium actibus diſcuſſis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis. Ex his clariſſimè patet, ſenſiſſe Gregorium, confeſſionem à Chriſto inſtitutam eſſe, ut peccatores actionem pœnitendi à ſacerdotibus poſtularent, & ut per actionem pœnitendi ſeſe ad abſolutionem præpararent.

Quicumque igitur confitebitur peccata ſua, ut agat illud, ob quod confeſſio inſtituta & recepta eſt; hoc eſt, ut ex ſacerdotum ordinatione faciendo fructus dignos pœnitentiæ ſe abſolutione dignum reddat, is confeſſione rectè utitur, quamvis, dum confitetur, necdum expulſis cupiditatum morbis ad ſanitatem divini pervenerit amoris.

§. 4. Non hìc objeceris illud Eccleſiaſtici, [k] *A mortuo, quaſi qui non ſit, perit confeſſio*; quaſi illis doceretur, aut nullam aut ſacrilegam eſſe confeſſionem ejus, qui necdum Deum rebus omnibus anteponit. Illis enim verbis Eccleſiaſticus docet, tempus conſequendi veniam criminum eſſe in hâc vitâ; quòd illâ tranſactâ eis, qui ſuis in criminibus mortui ſunt, nec fructuoſa confeſſio, nec utilis pœnitentia ſuperſit: undè poſt laudata verba monet peccatores, ut dum in vivis ſunt, confitendo ſe ipſos accuſent, Deumque omnis juſtitiæ fontem laudent ac celebrent. [l] *Confiteberis*, inquit, *vivens & ſanus, confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miſerationibus ejus.* Verum quidem eſt laudata Eccleſiaſtici verba per accommodationem ab Auguſtino proferri, ut probet & declaret, neminem à peccati morte

i *Gregor. l. 3. in 1. lib. Reg. c. 5.* k *Eccl. 17. 26.* l *Ibid. v. 27.*

te ad juſtitiæ vitam revocari, qui non fuerit à Deo miſericorditer ac potenter excitatus, ut ſuum poſſit peccatum confiteri. Exiſtimat enim ſanctus Doctor, hominem criminibus excæcatum & obduratum, ex ſe ipſo ad accuſationem & confeſſionem criminum tam eſſe ineptum, ac cadaver ineptum eſt, ut ſuâ virtute aut confiteatur, aut loquatur. Sed locum Auguſtini proferamus, ut illum eis eripiamus, qui opinantur neminem rectè ſua peccata confiteri, qui non contritus ea confitetur. Locus Auguſtini ſic ſe ha-
„ bet. [m] Mortuus eſt peccator, maximè ille, quem moles
„ conſuetudinis premit, quaſi ſepultus eſt Lazarus. parùm
„ enim erat, quia mortuus; etiam ſepultus. Quiſquis igi-
„ tur malæ conſuetudinis, malæ vitæ, terrenarum ſcilicet
„ cupiditatum mole premitur..... fit talis, de quali dictum
„ eſt, *A mortuo, velut qui non ſit, perit confeſſio.* Quis
„ eum ſuſcitabit, niſi qui remoto lapide clamavit, dicens:
„ *Lazare veni foras.* Quid eſt autem foras prodire, niſi
„ quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur,
„ foras prodit. Foras prodire non poſſet, niſi viveret. Vi-
„ vere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet.

Hoc loco Auguſtinus ſatagit, ut declaret exemplo Lazari, quem in ſepulchro fœtentem Chriſtus revocavit ad vitam, ſpiritualiter mortuum non à ſe ipſo; ſed à Chriſto excitante habere, quòd peccatum ſuum piè confiteatur. Hæc Auguſtini aſſertio indubitata. Nam nequidem tantillum vitæ ex ſe ipſo quis habere poteſt, quantum requiritur, ut judicia Dei timens, & mandata ejus diligere incipiens, iſto cum timore & amore peccata ſua confiteatur.

Laudato loco dicit quoquè Auguſtinus, confeſſionem eſſe ejus, qui à morte peccati revixit ad vitam juſtitiæ. *Qui confitetur*, inquit, *foras prodit. Foras prodire non poſſet niſi viveret. Vivere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet.* Diffiteri non poſſumus, quin ibi Auguſtinus loquatur de confeſſione peccati, quæ ex amore Dei, qui eſt animæ vita, proficiſcitur; Tum quia loquitur ibi de confeſſione, quæ perindè teſtetur animam vivere, ac proceſſio Lazari è ſepulchro

m *Aug. Serm.* 8. *de verbis Domini.*

teſtabatur eum vitæ eſſe reſtitutum, tum quia loquitur de tali confeſſione, quæ obſcurum relinquat, quid ſacerdotalis abſolutio ei conferre poſſit, qui confitendo probabat,
„ ſe à Chriſto eſſe reſuſcitatum. Dicit ergo aliquis, objicit
„ ſibi Auguſtinus, quid prodeſt Eccleſia, ſi jam confeſſor
„ voce dominicâ prodit? Quid prodeſt Eccleſia confiten-
„ ti, cui Dominus ait: *Quæ ſolveritis in terrâ, ſoluta e-*
„ *runt, & in cœlo?* Ex hâc objectione liquet Auguſtinum loqui de confeſſione, quæ procedit ex amore, qui Deum omnibus anteponens animum reddit viventem. Id ipſum confirmatur ex Auguſtini reſponſo ad ea, quæ ſibi ipſe objecerat; exponens enim quid Eccleſia præſtet confitenti, ità reſponſum temperat, ut confitentem ſignificet à Chriſto quidem eſſe vivificatum; ſed ab Eccleſiâ accipere relaxationem pœnalium vinculorum. Hæc ſunt verba *reſponſi.*
„ Ipſum Lazarum attende, cum vinculis prodit. Jam vive-
„ bat confitendo, ſed nondum liber ambulabat vinculis ir-
„ retitus. Quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt: *Quæ*
„ *ſolveritis, ſoluta erunt*, niſi quod ait Dominus continuò ad diſcipulos, *ſolvite illum, & ſinite abire.* Ex his liquet neminem, qui laudata Auguſtini verba perpenderit, iturum inficias, quin ibi loquatur de confeſſione, quæ ſit & fructus & index animæ per odium peccati & amorem juſtitiæ ad vitam revocatæ. Verùm nemo indè confecerit, exiſtimare Auguſtinum, quòd omnem confeſſionem oporteat eſſe contritionis indicem, nec citiùs ſacerdoti peccatum eſſe detegendum, quàm regnans Dei amor illud poſſet detegere: agit enim ibi Auguſtinus, non de confeſſione, prout à ſatisfactione diſtinguitur, velut folium à fructu, & medium à fine, ad quem deſtinantur, diſcernuntur: verùm loquitur illic Auguſtinus de eâ confeſſione, quæ ſatisfactionem includit, & quæ eſt diſpoſitio proxima ad abſolutionem ritè percipiendam. Iſtiuſmodi autem confeſſio, oportet, ut ſit tam effectus, quàm teſtis divini amoris. Hoc non ſolùm libentiſſimè confitemur; ſed etiam conſtantiſſimè aſſerimus. Quod autem ibi Auguſtinus loquatur de confeſſione, non prout à ſatisfactione diſtinguitur; ſed quate-

nùs

nùs hæc in illâ concluditur, patet, quia ſatisfactionis illic expreſsè non meminit; meminiſſet autem niſi vocem, *confeſſio*, in eâ ſignificationis amplitudine, quæ ſatisfactionem comprehendit, accepiſſet. Neque enim de Auguſtino opinandum, quòd quamcumque criminis confeſſionem certum animæ reſuſcitatæ indicem eſſe crediderit. Noverat plurimos ſine pœnitentiâ peccata confiteri. „[n] Multi, in-„ quit alio loco, aſſiduè ſe dicunt eſſe peccatores, & tamen „ adhuc illos delectat peccare. Profeſſio eſt; non emendatio. „ Accuſatur anima; non ſanatur. Pronunciatur offenſa; non „ tollitur. Pœnitentiam certam non facit niſi odium pecca-„ ti, & amor Dei. Noverat, ſicuti ipſe alibi [o] dicit, quòd ad emendanda crimina vox pœnitentis ſola non ſufficit. Noverat, quòd in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm; ſed opera quærantur. Cùm igitur ſermone de verbis Domini, confeſſionem non ſemel; ſed ſæpiùs: non dubiè; ſed aſſeveranter dicat eſſe opus animæ reſuſcitatæ: *Si peccatum*, inquit, *confitetur*, *utiquè à morte revixit*; non eam intelligit confeſſionem, quæ in ſolâ voce eſt; ſed eam deſignat, quæ eſt *in opere & veritate*. Ea enim clarior debiti agnitio, ea expreſſior criminis confeſſio, ea certior doloris index, quæ editur non ſolâ voce; ſed opere: non ſono linguæ; ſed ſpontaneâ pœnarum perpeſſione: non verborum foliis; ſed dignis pœnitentiæ fructibus. „[p] Si-„ gnum, *inquit Gregorius*, veræ converſionis non eſt in o-„ ris confeſſione; ſed in afflictione pœnitentiæ. Tunc nam-„ que verè converſum peccatorem cernimus, cùm dignâ af-„ flictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo con-„ fitetur. In fructu ergo non in foliis, aut ramis pœniten-„ tia cognoſcenda eſt.

Loquitur igitur Auguſtinus, non de ſolo confeſſionis rudimento, quæ voce editur; ſed maximè loquitur de ejus progreſſu, & perfectione, quæ fructibus pœnitentiæ confirmatur. Quod autem de iſtiuſmodi confeſſione aſſeritur, ad eam malè transfertur, quæ ideò ſuſcipitur, ut fructus pœ-

n *Aug. Serm. 7. de tempore.* o *Serm. de temp. 57.* p *Greg. lib. 16. in lib. 1. Reg. c. 2.*

pœnitentiæ ſubſequatur. Undè etiam antiqui ſcholaſtici, qui docuêre confeſſionem debere eſſe victricis divinæ dilectionis ac contritionis filiam, conſiderarunt eam, quemadmodum ſupra diximus, non quatenùs ſuſcipitur, ut prævias & præparatrices ad abſolutionem pœnitentiæ à ſacerdote imponantur; ſed ad illam oculos reflexerunt, cui ſacerdos abſolutionem, ex more, qui poſt tempora Sancti Bernardi cœpit invaleſcere, ſine morâ ſubjungebat, dans ordine nonnihil inverſo beneficium abſolutionis ante meritum ſatisfactionis, & recuperatæ ſanitatis teſtimonium ante ſumptam pœnalium operum medicinam. Ad hujuſmodi autem confeſſionem, ut abſolutionem conſequi poſſit, certiſſimè requiritur, ut vel ex amore Dei ſuper omnia dilecti procedat, vel certè ex amore Dei in tantum provecto, ut pœnitens accedentibus ſacerdotis monitis, ſuiſque ac *illius* precibus, adjutrice divinâ gratiâ, & ſacramentali virtute, ut loquitur D. Borromæus, q *ex attrito contritus fiat.*

§. 5. Nemo, ut probet confeſſionem ſacramentalem debere eſſe & indicem & fructum doloris ob offenſam Dei ſummè dilecti, objiciat hunc celebrem Gregorii locum: „ r Tria quippe in unoquoque conſideranda ſunt veraciter „ pœnitente; videlicet converſio mentis, confeſſio oris, & „ vindicta peccati. Nam, uti ibidem ait Gregorius, qui „ corde non convertitur, quid prodeſt ei, ſi peccata confiteatur. Peccatum, quod diligitur, confitendo minimè „ deletur. Nonnulli quidem ſunt, qui peccata confitendo „ aperiunt; ſed non convertendo, nequaquam deteſtantur. „ Hi profectò confitendo nihil agunt; quia, quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Undè & ſalubriter „ confiteri volentibus Scriptura inſinuat, dicens: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* „ Quid eſt corde credere ad juſtitiam, niſi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? Cùm ergo „ quis cordis intentionem ad juſtitiam per amorem dirigit, „ per initium bonæ voluntatis fructum habet bonæ converſio-

q *In inſtruct. de Sacram. pœnit. actor. parte 2.* r *Greg. l. 6. c. 2. in lib. 1 Reg. c. 15.*

ſionis. Docet quidem hic locus confeſſionem, quæ ſine cordis converſione, & Dei dilectione editur, fruſtrà eſſe; quia *peccatum, quod diligitur, confitendo minimè deletur; & quod loquendo quaſi ejicitur, quaſi diligendo introducitur.* Verùm his verbis non docet ſanctus Pontifex, oportere, ut amor Dei, antequam quis rectè confiteatur, omnes alios amores ſuperet. E contrà hoc loco indicat, ſat eſſe ad utilem confeſſionem, ut confitens cor ſuum *ad juſtitiam per amorem dirigat.* Hoc eſt, ut habeat bonæ voluntatis, ſive dilectionis initium, quo cor ad juſtitiam dirigens ab iniquitate magìs magíſque disjungat. *Cùm ergo*, inquit, *quis cordis intentionem ad juſtitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis, fructum habet bonæ converſionis.* Plura itaque ad utilem confeſſionem non requirit, quàm initium bonæ voluntatis. Per initium autem bonæ voluntatis, quo intentio cordis ad juſtitiam, hoc eſt, ad fidem per dilectionem operantem, ſive ad ſervanda Dei mandata, & exercenda ſatisfactionis opera, dirigitur, dicit à confitente haberi fructum converſionis; quia *plùs loquendo de vulnere ejicit, quàm converſione compunxit.* Neque enim dubium eſſe poteſt, quin compunctioni, ſive converſioni cœptæ accedens humilitas confeſſionis, curationem cœptam plùs promoveat, quàm feciſſet ſola compunctio confeſſione carens.

Quàmvis igitur ſit certiſſimum, ad confeſſionem, ut in eâ ſit fructus atque utilitas, requiri quoddam dilectionis & converſionis initium; indubitatum tamen, non requiri tantum dilectionis de Deo offenſo dolorem, ut dolens dilectio omnes alios vincat affectus. Hoc clariſſimè ibidem docet Gregorius, dum de ſatisfactione, quæ tertia pars ſacramenti pœnitentiæ eſt, ſic loquitur: *Tertia ergò ſpecies, id eſt, vindicta, quaſi medicina neceſſaria eſt, ut apoſtema reatus, quod converſione compungitur, confitendo purgetur, afflictioniſquè medicinâ ſanetur.* Minimè igitur ex mente Gregorii neceſſarium eſt, ut confeſſionem præcedat ſanitas contritionis, ſive dolens de Deo offenſo amor, alios omnes vincens amores.

Licet igitur concludere ad confeſſionem non ſemper poſtulari, ut ex tali procedat Dei amore, qui omnes alios ſuperet amores; ſed ſufficere, ut ex pio motu initium ſumat.

Non difficile ex his erit definire, quo ſenſu contritio dicatur prima trium partium ſacramenti pœnitentiæ: etenim ità vocatur, tum quia duas alias dignitate & neceſſitate ſuperat; tum quia oportet, ut eas quædam inchoatio & contritionis rudimentum etiam tempore antecedat. Nequaquam igitur probatur, quòd confeſſionem dolor de offenſâ Dei ſummè dilecti anteire debeat, tametſi contritio inter partes ſacramenti pœnitentiæ prima numeretur.

CAPUT XVIII.

1. *Explicatur natura contritionis, ad quam primò requiritur dolor non tam ſenſibilis, quàm rationalis.* 2. *Requiritur ad eam amor Dei tanquam iſtius doloris cauſa: triplex propoſitum tanquam ejus comites.* 3. *Dolor, qui contritio dicitur, quinque habet conditiones, nempe ut ſit purus, pius, maximus, perpetuus, particularis.* 4. *Contritio iſtiuſmodi ita delet peccata, ut ſine illâ in adultis nullo tempore deleantur.* 5. *Veræ de peccatis contritioni conjuncta eſt fiducia de divinâ miſericordiâ, ac ſatisfactio, quæ Deo maximè debetur.* 6. *Oſtenditur quâ ratione dolor Deum placans eliciatur.*

§. 1. NOn poſſum omittere, quæ de contritionis naturâ, neceſſitate, modoquè eam acquirendi ſcripſit ſanctus Thomas de Villâ novâ Eremitarum ſancti Auguſtini magnum decus, qui poſtquam Academiis Complutenſi & Salmanticenſi ob inſignem eruditionem, totiquè Hiſpaniæ ob ignitum prorſúſque divinum prædicandi donum admirationi fuiſſet, à Carolo quinto, qui ipſum dicentem maxi-

maximo cum animi ſui oblectamento ſæpè audiverat, quiquè ejus ſanctimoniam perſpectam habebat, in Archiepiſcopum Valentinum fuit electus; hic itaquè ſanctus ſermone, quem habuit Dominicâ paſſionis, de contritione ſic diſſerit.

„Contritio eſt juxta Theologorum ſententiam, dolor „voluntariè aſſumptus pro peccato, cum propoſito con„fitendi, & ſatisfaciendi; poteſt addi, & iterùm non pec„candi. Dicitur primò, *eſt dolor*. Pro hoc notandum quòd „duplex eſt dolor; quidam qui eſt actus voluntatis, & ille „eſt odium, & diſplicentia, & deteſtatio, & abominatio „peccati, nolle peccaſſe: & iſte actus eſt liber, & in noſtrâ „poteſtate; ſecundùm illud Auguſtini: Nihil eſt magìs in „poteſtate voluntatis, quàm ipſa voluntas. Alius eſt dolor „ſenſitivus, qui eſt paſſio & triſtitia quædam in ſenſualita„te, quæ aliquando prorumpit in lacrymas. Primus dolor „eſt contritio, & non ſecundus, ſed eſt effectus contritio„nis. Nam ex diſplicentiâ & odio peccati commiſſi naſcitur „in ſenſualitate illa triſtitia: & hæc non eſt ſic in noſtrâ po„teſtate: nam quidam ſunt duriores ad lacrymas, alii te„neriores, ut mulieres; & tantum bonum & tam magnum „commodum peccatorum debuit eſſe liberum, & in noſtrâ „poteſtate cum Dei gratiâ. Nam ſi in hujus commotione & „dolore ſenſualitatis contritio eſſet, mulieres teneræ multò „melioris conditionis eſſent, quàm viri duriores. Verum „eſt, quòd (ut ait Auguſtinus) hic dolor ſenſualitatis ſi„gnum eſt contritionis: nam qui pro temporalibus luget „faciliter, & pro peccatis non luget, ſignum eſt, quòd „non perfectè dolet, neque diſpliceant ei peccata. Eſt ta„men ſignum fallax: nam quæ ſenſu percipimus faciliùs nos „afficiunt hoc dolore, quàm quæ fide tenemus. Dicitur, „*voluntariè aſſumpus*, propter quod dolor & pœnitentia „in morte ſuſcepta aliquo modo ſuſpecta eſt, quæ non vo„luntate libera, ſed magìs timore fit, & quaſi quâdam vio„lentiâ inſtantis periculi: ſi tamen liberè doleat, proderit.

„ §. 2. Dicitur, *de peccato*, non de damno, vel de pœ„nâ, vel de infamiâ, vel de turpitudine, & vilitate pecca-

 „ti:

,, ti : ſed dolendum eſt de peccato, prout offenſa Dei, ſic
,, ut, etiamſi nullum incommodum de peccato proveniret,
,, nequè eſſet infernus aut judicium, nequè aliquis ſciret, e-
,, tiam diſpliceret peccatum, quia Deus fuit offenſus. Sicut
,, Petrus & Magdalena poſt remiſſionem peccatorum, &
,, poſt tantam Dei amicitiam nihilominùs plorabant aſſiduè
,, peccata, adeò ut Petrus maxillas haberet concrematas præ
,, lacrymis, ut ait Clemens. Vera contritio ex amore Dei
,, debet procedere, non ex timore, aut ex amore ſui. Un-
,, de Auguſtinus: Oportet pœnitentem non ſolùm Deum
,, timere judicem, ſed & juſtum diligere: & hoc valdè ad-
,, vertere debet peccator: nam Deus magìs aſpicit de quo do-
,, les, quàm quantum doles; & plùs curandum eſt, ut do-
,, lor ſit perfectus, quàm ut ſit intenſus. Damnati multùm
,, dolent de peccatis, & multùm pœnitent, ut dicitur *in li-*
,, bro ſapientiæ: [s] *Dicent intra ſe pœnitentiam agentes*, &c.
,, ſed pro tormento, non pro peccato. Similiter latro mul-
,, tum dolet de furto, ſed propter patibulum, non propter
,, delictum. Adulteri de adulterio, ſed propter infamiam,
,, non propter culpam: & alii propter alios reſpectus. Solus
,, dolor ille contritio eſt, qui eſt propter Deum: undè at-
,, tritio & contritio non tam differunt, quia contritio eſt do-
,, lor intenſus, & attritio eſt dolor remiſſus; ſed magìs,
,, quia contritio eſt dolor perfectus propter Deum, & attri-
,, tio eſt dolor imperfectus, & mixtus cum aliis reſpectibus.
,, Dicitur in diffinitione, *cum propoſito confitendi, & ſatis-*
,, *faciendi, & iterùm non peccandi.* Nam triplex propoſi-
,, tum debet comitari contritionem; ſcilicet propoſitum
,, confitendi ſuo tempore, ad minus; & propoſitum ſatis-
,, faciendi, implendo ad minùs pœnitentiam à ſacerdote in-
,, junctam; ac propoſitum non peccandi. Non ſufficit,
,, quòd non habeas propoſitum peccandi; ſed debes habe-
,, re propoſitum non peccandi.
,, §. 3. Ex hâc diffinitione poſſumus elicere quinque con-
,, ditiones, quas debet habere dolor, ut ſit perfecta & con-
,, ſummata contritio. Prima, quòd ſit *purus*, id eſt, pro-
,, pter Deum totaliter, vel principaliter, ut dictum eſt, non
,, pro-

„ propter damnum : non quòd malum ſit dolere de damno, „ & de inferno, & de vilitate peccati, & perditione multorum bonorum, quæ perdidiſti peccando, imò hoc eſt „ valdè bonum : unde Propheta ad hunc dolorem provocat, „ quando dicit : [t] *Quam vilis facta es nimis iterans vias* „ *tuas* : & iterùm : [u] *Leva in directum oculos tuos, & vi-* „ *de, ubi nunc proſtrata ſis* : ſed hic dolor non debet eſſe „ principalis, ſed acceſſorius. [x] Unde Dominus ſuſcitaturus „ Lazarum bis infremuit ſpiritu, oſtendens quòd in ſuſci- „ tatione peccatoris duplex gemitus habendus eſt : primus „ de peccato, ſecundus de damno. Propter hoc & in expia- „ tione puerperæ par turturum, aut duo pulli columbarum „ offeruntur pro peccato : nam turtur & columba gemit : „ utraque in figurâ, quòd duplicatus gemitus offerendus „ eſt pro peccato in expiatione peccatoris.

„ Secunda conditio, quòd ſit *pius*, id eſt, non ſit fu- „ rioſus : ut faciunt quidam, qui ſe ipſos diris devovent, & „ conqueruntur de Deo, & peccatis ſuperaddunt blaſphe- „ miam. Hæc furia damnatorum eſt & deſperatorum. Un- „ de Pſalmus : [z] *Furor illis in ſimilitudinem ſerpentum*, id „ eſt, damnatorum. Jam enim hîc incipiunt guſtare & bi- „ bere calicem dæmoniorum, & damnationis æternæ. De- „ bet itaquè dolor eſſe pius, humilis in manſuetudine, qua- „ lis exprimitur in pſalmis pœnitentialibus : in illis enim Spi- „ ritus ſanctus deſcripſit formam doloris ſalutiferæ contritio- „ nis. Non ibi reperis furiam ; ſed humilitatem & afflictio- „ nem piam. Exempli gratia : [a] *Miſerere mei Domine, quo-* „ *niam infirmus ſum : ſana me Domine, quoniam contur-* „ *bata ſunt oſſa mea : & anima mea turbata eſt valdè.*

„ Tertia conditio, quòd ſit *maximus* appretiativè, ſci- „ licet, non intenſivè : ut plùs doleas de peccato, quàm de „ quocumquè infortunio, vel morte uxoris, aut filiorum. „ Non intenſivè : nam ſenſibilia magìs movent nos ; ſed ap- „ pretiativè & in æſtimatione : quia ſi daretur optio, potiùs „ eligeres pati quodcumque infortunium & mortem filio-

 „ rum,

t *Jerem.* 2. u *Jerem.* 3. x *Joan.* 11. y *Levit.* 12. z *Pſ.* 57. a *Pſal.* 6.

„rum, & tuam, imò & infernum, & annihilationem tuam,
„quàm eligere peccatum. Unde Auguſtinus: Chriſtianus
„non debet peccare, etiamſi neceſſe ſit mori, quicquid
„Deus non eſt. Tantum malum eſt peccare. Sicut igitur
„peccatum eſt maximum malorum, ita debet maximè ex-
„horreri apud rationem rectam, & illuminatam mentem.
„Dole peccator, & deteſtare peccata tua quantùm potes,
„quantùm vales, quia nunquam pro merito deteſtaberis,
„nunquam eris nimius in hâc deteſtatione & odio voluntatis.
„Sed in dolore ſenſitivo & triſtitiâ poteſt eſſe exceſſus: un-
„de aliquando temperandus eſt, ne venias in deſperationem.
„Propter quod Apoſtolus jubet conſolari peccatorem Co-
„rinth. ne abſorbeatur abundantiori triſtitiâ [b]. Temperatur
„autem hujuſmodi triſtitia contemplatione divinæ bonita-
„tis. Unde pſalmus: [c] *Ad me ipſum anima mea conturba-
„ta eſt, propterea memor ero tui.* Oportet enim aliquan-
„do divertere oculos à conſideratione tui, & tuæ iniquita-
„tis, & ponere in divinâ miſericordiâ & pietate. Unde
„Auguſtinus: Pœnitens de peccato doleat, & de dolore
„gaudeat; & ſic dolor temperabitur gaudio.

„ Quarta conditio doloris, quòd ſit *perpetuus:* nam
„pœnitentia cum vitâ finienda eſt. Vide peccator, quod
„onus imponis ſuper te, ad quid te obligas peccando, pro-
„pter momentum delectationis. Non tamen eſt ſic intelli-
„gendum, quòd dolor ille continuatus duret per totam vi-
„tam: hoc enim quis poſſet? Sed quòd quoties peccatum
„tibi occurrit in memoriam, practicè & moroſè teneris
„odio habere & deteſtari, ut te pœniteat feciſſe illud. Qui-
„dam dicunt, quòd ſufficit, ut non placeat, ſed tutius
„eſt, ut etiam diſpliceat. Unde pſalmus: [d] *Peccatum meum
„contra me eſt ſemper.* Et iterùm: [e] *Totâ die*, id eſt, totâ
„vitâ *contriſtatus ingrediebar.*

„ Quinta conditio, quòd ſit *particularis* de quolibet pec-
„cato mortali, quod eſt in memoriâ: non quòd debeas ha-
„bere tot dolores particulares, quot peccata recordaris, ut
„quidam volunt: ſed ſufficit, quòd habeas unum dolorem
„ex-

b 2 *Cor.* 2. c *Pſ.* 41. d *Pſ.* 50. e *Pſ.* 37.

„ extenſum, qui ſe extendat ad omnia peccata mortalia in „ particulari, quæ recordaris te feciſſe. Non enim ſufficit, „ ſi in confuſo doleas de omnibus, & in generali, quia es „ peccator magnus, & quia offendiſti multùm, ſicut do- „ lent ſancti; ſed quòd doleas de homicidio, de adulterio, „ de fornicatione, de furto, ſi commiſiſti in ſpeciali: ad „ quod non opus eſt habere multos dolores, ſed ſufficit u- „ nus intenſus de omnibus in particulari conſideratis.

„ §. 4. Has conditiones debet habere dolor, ut ſit per- „ fecta contritio: quas ſi habuerit procul dubio remittetur „ peccatum. Habemus de hoc validiſſima & fortiſſima teſti- „ monia. Pſal. [f] *Cor contritum & humiliatum Deus non de- „ ſpicies*. Eſaias: [g] *Si converſus fueris, & ingemueris, ſal- „ vus eris*. Ezechiel: [h] *In quâ horâ ingemuerit peccator, „ omnium peccatorum ejus non recordabor*. Et ne hoc alicui „ poſſet venire in dubium, Deus firmiſſimo verbo ſuo, de „ quo ait, [i] *Cœlum & terra tranſibunt; verba autem mea „ non tranſibunt*, appoſuit jusjurandum, dicens: [k] *Vivo „ ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut con- „ vertatur, & vivat*. Id eſt, vivo ego, quod ſi conver- „ ſus fuerit & ingemuerit, vivet, & non morietur. Quis „ locus hæſitandi relictus eſt, ubi Deus hoc teſtificat, & ju- „ rat? Undè & exemplis hoc iterùm confirmat: nam quis, „ obſecro, à principio mundi uſquè hodie converſus eſt, & „ pœnituit, & non illi pepercit Deus? Attende & ſcrutare „ ſcripturas, & neque unum dabis exemplum. Achab, Da- „ vid, Ninivitæ, Magdalena, Petrus, Paulus, Manaſſes „ pœnituerunt, & venia ſecuta eſt. Saul autem, & Eſau, „ & Antiochus non verè pœnituerunt, & ideò non invene- „ runt veniam. Sicut Apoſtolus ait de Eſau, [l] non invenit „ locum pœnitentiæ, quamvis cum lacrymis quæſiſſet il- „ lam, ſcilicet quia odium fratris retinebat in pectore, & „ mortem meditabatur. Voluit Deus hanc veritatem ſic eſ- „ ſe firmam, & confirmatam, & ſtabilem, ne peccatores „ incerti & dubii diffiderent, & retraherentur à pœnitentiâ, „ & perirent. Quanta miſericordia, quanta benignitas, quan- „ ta

f *Pſ.* 50. g *Eſai.* 30. h *Ezech.* 18. i *Matth.* 24. k *Ezech.* 33. l *Heb.* 12.

„ ta fiducia! In manu rei venia eſt poſita. Si pœnituerit, ſi „ converſus fuerit ad Deum, quem offendit, ſine dubio „ parcetur ei, & redibit in gratiam. Juravit hoc Deus, ut „ ſecurus ſis: ne trepides, ne diffidas, ò peccator: hæc eſt „ lex poſita à Deo cum filiis hominum, lex certa & infalli- „ bilis: hæc me conſolata eſt in humilitate meâ. Aliàs ſi du- „ bia eſſet converſo & pœnitenti venia, quis non diffideret „ præ multitudine & gravitate peccatorum? Vide homo, „ ſi eſt aliquis Rex tam pius, & tam miſericors, qui hoc „ faciat, ut offenſus ſolam pœnitentiam poſtulet, & ſuas „ offenſas in manu rei ponat. Eſt ergo contritio remedium „ peccatorum omninò neceſſarium, proprium, naturale, „ & univerſale. Juſtificationes enim exteriores, & ſanctifi- „ cationes, & ſacramenta, in diverſis temporibus & legi- „ bus variantur: alia enim ſunt ſacramenta novæ legis, & „ alia veteris, & alia legis naturæ: ſed contritio omni tem- „ pore, & in omni lege naturæ, ſcripturæ, & gratiæ, tan- „ quam naturale & proprium peccati remedium immobilis „ & immutabilis perſeverat: unde & omnia alia ſine hâc non „ ſufficiunt. Etiamſi dederis omnes tuas facultates pauperi- „ bus, & carnes tuas flagellis laceraveris, & totâ vitâ in pa- „ ne & aquâ jejunes, ſi peccatum placet, aut non diſplicet, „ nihil prodeſt ad veniam. Undè ab initio peccatum ſine do- „ lore remiſſum non eſt.

„ §. 5. Hic autem dolor in homine poſt baptiſmum la- „ pſo, ità demùm præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi „ cum fiduciâ divinæ miſericordiæ & voto præſtandi reliqua „ conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum pœnitentiæ ſacra- „ mentum requiruntur. Et tantus poteſt eſſe dolor, ut etiam „ omnem pœnam purgatorii tollat. O magnam & potentiſſi- „ mam medicinam, & quæ ad manum ſit, neque opus ſit „ eam exteriùs perquirere, ſed in pectoris officinâ redun- „ det, ſi eam quæramus ibi! Et ratio hujus eſt, quia pec- „ catum in ratione ſuperiore eſt, & in conſenſu voluntatis „ conſiſtit: nam non conſentiente voluntate non poteſt eſſe „ peccatum. Oportet ergo, ut ibi quæratur peccati ſatisfa- „ ctio, ubi fuit culpa. Voluntas eſt, quæ peccavit, ipſa

„ ſatisfaciat. Quid prodeſt pœnitentia carnis, ſi non pœnitet, quæ peccavit? In quo autem alio poteſt ità voluntas „ ſatisfacere Deo, niſi ut doleat de illo, in quo malè delectata eſt, & benè deteſtetur, quod malè complacuit? „ Quod aliud magis conſonum ſacrificium ex naturâ rei poteſt peccator Deo offerre, quàm cor contritum & humiliatum? Hæc ergo vera, & propria & legitima ſatisfactio, „ & medela peccati eſt. Non habet peccator ad manum aliud „ remedium certius, quàm ſicut puer accurrere ad lamentum & lacrymas. [l] Nam *ſi voluerit cum Deo contendere* de „ juſtitiâ, exiet condemnatus: *non poterit reſpondere unum pro mille:* quia non juſtificabitur coram eo omnis „ vivens. Si fugere voluerit ab eo. [m] *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam?* ait Pſalmiſta. Si reſiſtere tentaverit: [n] *voluntati ejus quis reſiſtet?* [o] Nam *ſi fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt.* Si decipere, aut occultare peccata voluerit: [p] *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus.* „ Nihil itaque reſtat peccatori, niſi contriſtari, dolere, & „ plorare coram eo. Eſt enim tanta Dei noſtri pietas, quòd „ non ſuſtinet videre nos triſtes, & afflictos. Undè Propheta hoc conſulit animæ peccatrici, dicens: [q] *Filia populi mei accingere cilicio, conſpergere cinere, luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Id eſt, ſic dole, ſic luge, „ ſicut mulier unigenitum plorat defunctum. Videas illam „ afflictam, dolore & amaritudine plenam, lacrymis perfuſam, ſingultus, & ejulatus & rugitus ex ſuo pectore emittentem, veſtitam ſacco, ſolam jacentem, nullam recipere conſolationem, nullum ſolatium admittentem, nolle comedere, nequè bibere, nequè videre quemquam, „ non poſſe dormire, diebus ac noctibus imaginem defuncti in animo revolventem, in hoc ſolo abſorptam & occupatam, nihil aliud volentem nequè curantem. O homo, ſi „ ſic plorares animam tuam, ſi ſic plangeres animæ tuæ mortem! Nequè enim minùs cara eſt tibi anima tua, quàm „ matri unigenitus. Quantò ergo magìs lamentari deberes „ ani-

l *Job.* 9. m *Pſal.* 138. n *Rom.* 9. o *Job.* 9. p *Hebr.* 4. q *Jerem.* 6.

„ animam tuam mortuam, quam potes lacrymis ſuſcitare, „ quàm illa filium, quem lugendo non poteſt revocare ad „ vitam? Ut ait Auguſtinus. Si enim poſſet, quid non fa„ceret? Quomodò ejularet? Vidit aliquando quidam A„nachoreta mulierem ſic filium deplorantem, & converſus „ad ſe ingemuit, dicens: O anima, nunquam ego te mor„tuam ſic deploravi. Sic, ſic ſine conſolatione plorandum „ eſſet peccatum, ex ſupradicto prophetæ conſilio. Sed væ „ nobis inſenſatis, qui, mortuâ animâ mille peccatis, nul„lum ſentimus dolorem: ſed opus eſt exprimere lacrymas, „ excitare dolorem, quærere afflictionem. Quanta hæc „ confuſio, quanta hæc cæcitas & miſeria! Si mortuo viro „ uxor pergeret ad vicinas, dicens: non poſſum plangere; „ ubi quæram dolorem & lacrymas? Quid illæ reſponde„rent! O inſenſata, non multùm diligebas, quem non de„ploras. Sic fratres, poſt peccatum confuſio eſt noſtra, in„digere monitione ad lacrymas. Verè ſi ſciremus malum „ quod perpetravimus, quid amiſimus, quid incurrimus, „ non poſſemus à lacrymis temperare: potiùs fræno, quàm „ calcari egeremus. Sed tamen [r] Deus cognovit figmentum „ noſtrum, quia ſenſuales ſumus, & ſpiritualia incommo„da non ſic, ut temporalia, ſentimus, & ideò, ſi non „ ſpontè dolemus, ſaltem ipſum dolorem perquiramus, ut „ Propheta ait: [s] *Tribulationem & dolorem inveni*. Et ite„rùm: [t] *Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam „ vociferationis*, id eſt, clamoris & lamenti. Sed quomo„dò circuibimus? Utique conſideratione & intellectu, „ more avium, quæ circumeundo volatu ſe in alta rapiunt: „ ſic circumeundo conſideratione, jacentem & gravem „ affectum excitemus, & elevemus intelligentiæ plumis.

„ §. 6. Sed quomodò fiet iſtud practicè? Audite. Re„cluſus in oratorio ſolus, conſidera Dei bonitatem, cle„mentiam & amorem erga te, & multiplicem ejus benefi„centiam, & dona, quæ tibi dedit, quomodò te ſuſti„nuit, & expectavit in multâ patientiâ, quomodò pro of„fenſis multa bona dedit, offenſus rogat, ut redeas ad „ illum:

r *Pſ.* 112. s *Pſ.* 114. t *Pſ.* 26.

„ illum: & conſidera tuam duritiem, pertinaciam, ingra-
„ titudinem, & pravitatem, quàm malè reſpondiſti tam
„ bono patri, quomodò contemnis monentem, deſpicis
„ vocantem, & ſine timore & verecundiâ pro nihilo habes
„ illum offendere, & mille injurias facere. Quâ audaciâ,
„ quo vilipendio formica de terrâ erigis caput contra tantam
„ majeſtatem, & rebellas contra eum, quem trepidant cœ-
„ leſtes principatus, [u] *ſub quo curvantur, qui portant or-*
„ *bem:* & legem ejus, quam Angeli & cœli, & omnes crea-
„ turæ cuſtodiunt, ſolus cum diabolo præterire & prævarica-
„ ri audes ſtultus & cæcus? Et relicto parente conditore,
„ qui te proprio ſanguine redemit, cum diabolo inimico
„ ſuo & tuo conſpiras, & ſolus rebellas contra illum, qui
„ tanta pro te ſuſtinuit, & tantam gloriam tibi paravit? Hæc,
„ inquam, & ſimilia profundè conſidera, attentè & moro-
„ sè, & ſi lapis non es, movebitur certè cor tuum, & mol-
„ leſcet in lacrymas, tantâ Dei bonitate, & tantâ ingratitu-
„ dine & malitiâ tuâ conſideratâ, & in meditatione tuâ exar-
„ deſcet ignis amoris, & doloris calore ſuccendêris. Quod
„ ſi hâc viâ non vales duritiem cordis devincere, ſaltem jux-
„ ta conſilium prophetæ, convertere ad infernum, qui obli-
„ viſceris Deum, & cogita damna, quæ peccando incurri-
„ ſti innumera; quot virtutes, quot dona, quantam gra-
„ tiam perdidiſti; quomodò vitam tuam malè conſumpſiſti;
„ quàm alius eſſes, ſi Domino adhæſiſſes, & mandata ejus
„ ſervaſſes, ſicut ipſe per Prophetam ait: [x] *Utinam cuſto-*
„ *diſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, &*
„ *juſtitia tua ſicut gurgites maris.* Cogita etiam pœnas illas
„ æternas, & æterna ſupplicia, quæ incurriſti; gloriam,
„ quam amiſiſti; ſervitutem diaboli duram, quam ſuſtines;
„ cæcitatem, quam pateris; vilitatem tuam & ejectionem,
„ quâ confunderis; quàm vilis & abominabilis factus es, &
„ quantum decorem innocentiæ perdidiſti, quomodò vitiis
„ ligatus es & irretitus, tuâ nobilitate & libertate captivatâ
„ ſub jugo peccati. Cogita, inquam, quid pro quo com-
„ mutaſti. O ſtulte! Dei amicitiam & gratiam, omnia do-
„ na

u *Job.* 9. x *Eſai* 48.

„ na ejus, & gloriam illam ſempiternam, & divitias per-
„ petuas, Angelorum ſocietatem, juſtitiæ & innocentiæ
„ decorem pro viliſſimâ & momentaneâ voluptate, & pro
„ modico temporali lucro contempſiſti & commutaſti, & te
„ perpetuis ignibus & ardoribus, & dæmonum ſervituti
„ obligaſti. Quanta dementia, quanta ſtultitia, quanta mi-
„ ſeriâ. Sicut ſi regina decora & ornata, relicto rege mari-
„ to ſuo, & gloriâ regni contemptâ, cum vili mancipio Æ-
„ thiopiæ pro vili pretio recedat, & omnem ignominiam ſu-
„ ſtineat. Hæc cogita, ut quem Dei amor non excitat, ſal-
„ tem incommodum moveat ad luctum. Quòd ſi nequè ſic
„ emolleſcit cor tuum, ſaltem ipſam tuam duritiam & inſen-
„ ſibilitatem deplora, quòd quaſi phreneticus in tanto pe-
„ riculo mortis, & in tantâ miſeriâ conſtitutus, nihil ſen-
„ tias; ſed rideas, & gaudeas, futurus poſt modicum tor-
„ ris inferni perpetuus, & cibus ignis. Et converſus ad Do-
„ minum, ora ut amoveat à te cor lapideum, & præſtet cor
„ carneum; & aperiat tibi fontem lacrymarum, venam
„ [y] *aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam*. Nequè ab hâc o-
„ ratione deſiſtas, donec obtineas: nam certè ſi perſiſtis,
„ obtinebis. Novi ego fœminam, quæ de hâc ſiccitate do-
„ lebat, quòd nullas haberet lacrymas, quæ monita, ut
„ peteret à Domino cum fiduciâ & perſeverantiâ, tantam à
„ Deo obtinuit abundantiam lacrymarum, ut neceſſe fuerit
„ poſtea eas reprimere, & ab oratorio recedere, ne evane-
„ ſceret caput, & oculi caligarent. Credite mihi, noſtra
„ culpa eſt, quòd tepeſcimus: quia non oramus, non po-
„ ſtulamus, non quærimus, non procuramus. O felices
„ lacrymæ, quibus peccatorum maculæ abluuntur, & ignis
„ ille ſempiternus extinguitur! O felices gemitus, quibus
„ ululatus illos ſempiternos evadimus! Felices dolores, qui-
„ bus tormenta mortis æternæ declinamus! Felix contritio
„ & triſtitia, quæ hîc peccatum delet, veniam obtinet, Deo
„ reconciliat, hominem à ſervitute diaboli liberat, & læti-
„ tiam illam inenarrabilem, & gloriam impetrat ſempiter-
„ nam!

CA-

y *Joan.* 4.

CAPUT XIX.

1. Illuſtriores ſocietatis Jeſu Religioſi Alphonſus Salmeron, Claudius Jajus, Lainez, Petrus Caniſius & Augerius docent timorem gehennæ conjunctum ſacramentis non eſſe idoneum ad hominem juſtificandum. 2. In eâdem ſententiâ ſunt Roſignolius, Joannes Theodorici, Joannes Maldonatus, Gaulterius, Mangotius, & Maſtrillus, omnes religioſi Societatis Jeſu pietate & doctrinâ conſpicui.

§. 1. NObili ſancti Thomæ de Villâ novâ teſtimonio, quod præcedenti capite retulimus, non erit inutile ſuffragia illorum adjungere, qui præcedenti & hocce ſæculo ſocietatem Jeſu ſuâ religione & eruditione orbi Chriſtiano venerabilem reddiderunt.

Alphonſus Salmeron unus ex illis illuſtribus viris, quibuſcum ſanctus Ignatius ſocietatem inſtituit, diſertè docet; per timorem ſervilem cor non juſtificari, nec pelli peccatum. „[a] Hic, inquit, timor, ſi ſolus ſit, cum Spiritu „ſancto & cum Dei gratiâ conſiſtere nequit; quia perfecta „charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam „habet. Ejuſmodi namque affectio purgat non affectus in„ternos; ſed externos tantùm: immutat, non cor ipſum; „ſed opera: coërcet iniquitatem; non juſtificat volunta„tem.

Fatetur tamen Salmeron attritionem, quæ ex iſto timore dimanat, ſi accedat cœleſtis gratiæ adjutorium, per pœnitentiæ ſacramentum in contritionem mutari poſſe. „[b] Qua„re, inquit, rectè dictum eſt à ſacris Theologis, attri„tum virtute ſacramenti poſſe fieri contritum, quemad„modum puer in virum poteſt evadere, aut frigidus effi„ci calidus. Sed attritio nunquam poteſt fieri contritio,

 „ſicut

a *Tom. 3. tract. 22. de cantico Zachariæ.* b *Tom. 11. tract. 22.*

„ ſicut nec pueritia virilis ætas, aut frigus calor effici poteſt.
„ Repugnat ſiquidem dolorem ſimul eſſe imperfectum at-
„ que perfectum, quamvis minimè repugnet, eum qui
„ imperfectè deteſtabatur peccatum, accedente novâ Dei
„ gratiâ & liberi arbitrii conatu, perfectum de illo odium
„ & deteſtationem concipere. Hæc Salmeron. Ex cujus verbis patet, 1. peccatorem non donari juſtitiâ, niſi ex amore Dei peccatum deteſtetur. 2. Eum amorem ſubinde in pœnitentium cordibus accendi, dum ſacramentum pœnitentiæ eis adminiſtratur: hoc eſt, dum reus confitetur, inſtruitur monitionibus, & precibus ad Dei amorem ità animatur, ut æternam juſtitiam omnibus anteponat.

Hac in re Salmeroni conſentit divus Borromæus ità loquens: „ [c] Antequam ſacerdos pœnitentiam imponat &
„ abſolutionem tribuat pœnitenti, videbit an propter *Deum*
„ veram peccatorum ſuorum contritionem habeat, atque
„ certum & deliberatum ei ſit impoſterum, quantum in
„ ſe eſt, divinâ gratiâ adjuvante à peccatis abſtinere, & quæ
„ antea commiſerit, pro iis ſatisfactionem perſolvere. Quòd
„ ſi ità animo affectum viderit, monebit, valdéque hor-
„ tabitur, ut pro tanto beneficio maximas gratias Deo agat,
„ ab eoque cœleſtis gratiæ præſidium petere nunquam de-
„ ſinat, quo adjutus pravis cupiditatibus reſiſtere poſſit.
„ Si verò talem contritionem illum non habere intellexerit,
„ illius deſiderio accendere conabitur, hoc admonens,
„ propter Deum ipſum uſque adeo quantùm poteſt eum
„ peccata dolere oportere, ut ſaltem adjutrice divinâ gra-
„ tiâ, quam à Deo intimè precetur, ex ſacramentalique vir-
„ tute ex attrito contritus fiat.

Ex his enim verbis conſtat crediddiſſe Carolum, ſine Dei amore peccata non dimitti; & ſacerdotis officium eſſe, ut iſtius amoris deſiderio pœnitentem, quem eo deſtitutum arbitratur, accendat, ut ſaltem adjutrice divinâ gratiâ, quam à Deo intimè precetur, ex ſacramentalique virtute ex attrito contritus fiat.

Claudius Jajus ob ſanctimoniam vitæ Angelus Dei, & ob

c *Act. part. 4. de inſtruct. pœnit.*

ob maximos labores in aſſerendâ & propagandâ fide Catholicâ ab ipſo toleratos dictus à Petro Caniſio Germaniæ Apoſtolus: & Didacus ſive Jacobus Lainius, qui tanquam Theologus ſummi Pontificis in Concilio Tridentino primum inter Theologos locum obtinuit; uterque etiam ex illuſtribus præſtantiſſimiſque illis viris quibuſcum ſanctus Ignatius Societatem exorſus eſt; in dicto Concilio docuerunt, ſine amore Dei homines ætate adultos haud juſtificari, tametſi gehennam timentes aut baptiſmi aut pœnitentiæ ſacramentum ſuſcipiant. Utriuſque ſententiam in œcumenicâ ſynodo Tridenti ab eis prolatam atque aſſertam refert Eminentiſſimus Pallavicinus ejuſdem ſocietatis religioſus atque Theologus. Verba iſtius Cardinalis referemus hujus libri cap. 21. Ut clarè pateat maximos illos viros credidiſſe, quòd nemo ſine amore Dei cum ipſo in gratiam redire poſſit.

Inter eos, qui primordia Societatis præcipuè illuſtrarunt, reponi poteſt Petrus Caniſius, qui ab ipſo Ignatio primus Germaniæ Provincialis creatus fuit. Hic enim Caniſius non obſcurè indicat, ſine Dei amore peccata non dimitti, dum ait, quòd [d] *contritio eſt animi dolor, & quæ de peccatis propter Deum offenſum concipitur, deteſtatio cum propoſito vitæ in melius commutandæ conjuncta.* Quid enim propter Deum offenſum dolere, quàm averſari peccatum, non tantùm, quà noſtris commodis; ſed præſertim quà divinæ juſtitiæ adverſatur. Hac autem ratione nemo illud odit, qui divinam non diligit juſtitiam. Unde Caniſius, dum profert ſanctorum Patrum teſtimonia, quibus ſuam de contritione definitionem aſſerit, profert illud celebre Auguſtini dictum: [e] *Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati & amor Dei. Quando ſic pœnites, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod antè dulce fuit in vitâ, & quod te priùs oblectabat in corpore, ipſum te cruciet in mente.* Hunc autem Auguſtini locum pro ſuâ non potuit citare doctrinâ, niſi cum Auguſtino crediderit, pœnitentiam veram non provenire niſi ex odio peccati & amore Dei.

d *In Catechiſmo.* e *Serm. 7. de temp.*

Neceſſitati contritionis ad obtinendam peccatorum remiſſionem adſtipulatur Edmundus Augerius,qui cùm præcedenti ſæculo pluſquam quadraginta deviorum millia ad gremium Eccleſiæ divinâ quadam eloquentiâ morumque ſanctimonia reduxiſſe enarretur, Societatem Jeſu, cujus membrum erat, luculenter decoravit. Hic celeberrimus Eccleſiaſtes, & pientiſſimus religioſus diſertè aſſerit, „ [f] ad „ obtinendam peccatorum remiſſionem neceſſarium eſſe, „ ut noſmet-ipſos condemnemus, horrentes fœditatem pec„ cati, quia ſummo nos bono deſtituit, & quia Deo, quem „ ſupra omnia diligere, cujuſque offenſam nos oportet ma„ mè timere, adverſum eſt.

Ex quibus verbis liquet ipſum docere, ad remiſſionem peccatorum poſtulari, ut peccatum deteſtemur ex amore Dei ſummè dilecti.

Bernardinus Roſignolius, qui ſub finem præcedentis & initium hujus ſæculi religioſis moribus & eruditis libris adoleſcenti ſocietati ornamento fuit, libro primo de Diſciplinâ Chriſtianæ perfectionis, reconciliando peccatori neceſſarium ait, non ſolùm ut timore gehennæ, aut dolore amiſſæ cœleſtis beatitudinis compungatur; ſed ut peccata ſua præcipuè defleat ipſo amore ſolius Dei, in quem ſolum graviſſimè injurioſus fuit. „ [g] Porrò, inquit, compunctio„ nis apud ſanctum Gregorium duo ſunt genera, ut ſæpè il„ le docet (lib. 3. dial. cap. 34. lib. 2. ſuper Ezech. hom. 22. „ lib. 5. in 1. Reg. cap. 14.) cui addi debet tertium ex aliis „ auctoribus, & præſertim S. Bernardo. De primis duo„ bus ita ſcribit ſanctus Pontifex: *Duo compunctionis gene„ ra ſunt, quia Deum ſitiens anima prius timore compun„ gitur, poſt amore, priùs enim ſeſe in lacrymis afficit, quia „ dum malorum ſuorum recordatur, pro his perpeti æterna „ ſupplicia pertimeſcit. At verò cùm longâ mœroris anxieta„ te fuerit formido conſumpta, quædam jam de præſum„ ptione veniæ ſecuritas naſcitur, & in amore cœleſtium gau„ diorum animus inflammatur, & qui priùs flebat, ne du-*

„ ce-

f *L. 1. c. 3. de la penit.* g *Bernardin. Roſignol. lib. 1. de diſcipl. Chriſt. perfect. c.* 8.

„ *ceretur ad ſupplicium, poſtmodùm amariſſimè flere inci-*
„ *pit, quia differtur à regno.* Hæc ſanctus Gregorius: Pri-
„ mum compunctionis genus illud eſt, quod à Theologis
„ appellatur attritio, nec alio nomine dignum eſt, eò quòd
„ adhuc longè diſtat ab altiſſimo illo mœrore & dolore cor-
„ dis, qui contritio nominatur.

„ Secundum etiam mœroris genus, licet cum amore con-
„ junctum ſit, eſt nihilominus & ipſum attritio, licèt prio-
„ re excellentius, ut quod ex amore proficiſcitur; non au-
„ tem adhuc contritio, quia nititur non amori Dei perfe-
„ cto, qualem exigit contritio, ſed amori cœleſtium gaudio-
„ rum; qui non ineptè appellatus eſt amor concupiſcentiæ.

„ Neceſſe igitur eſt, ut altiorem gradum de peccatis com-
„ miſſis dolor teneat, itáque afficiat peccatoris animum, ut
„ non amore aliquo ſui peccata ſua defleat; ſed præcipuè
„ ipſo amore ſolius Dei, in quem ſolum graviſſimè inju-
„ rioſus fuit, ſanctiſſimam ejus legem violando, ejuſquè
„ voluntatis placita temerè reſcindendo; hanc contritionem
„ non poterat explicatiùs uno verbo nominare S. Bernar-
„ dus, quàm nomine pudoris, & hic eſt tertius compun-
„ ctionis altiſſimuſquè gradus, ſic verò ſcribit: *Cogitan-*
„ *tem quòd Patrem offenderim, eſt certè quod pudeat, etſi*
„ *non quod terreat. Voluntariè genuit me verbo veritatis*
„ *non ſtimulo carnalis cupiditatis excuſſit, quemadmodum*
„ *genitor carnis meæ. Deinde etiam non perpercit Unigenito*
„ *pro ſic genito. Ita ipſe quidem Patrem ſe exhibuit mihi;*
„ *ſed non ego me illi viciſſim filium. Quânam fronte attollo*
„ *jam oculos ad vultum Patris tam boni, tam malus filius?*
„ *pudet indigna geſſiſſe genere meo, pudet tanto Patri vixiſſe*
„ *degenerem...... quid? caduca, vana, & propè nulla, &*
„ *quorum finis mors eſt, infelix & inſanus præferre non eru-*
„ *bui æterni Patris amori & honori. Confundor, confun-*
„ *dor audire: ſi ego Pater, ubi eſt honor meus?* Serm. 16. in
Cantic. his aliiſque ex Divo Bernardo allatis, ad hunc mo-
dum concludit: „ Ex quibus, inquit, etiam colligi poſ-
„ ſunt ea, quæ in nobis amorem hunc pudoremque facilè
„ excitant.

Hæc Roſignolii verba clarè oſtendunt, ipſum ſenſiſſe opus eſſe peccatori cum Deo in gratiam redire cupienti, ut ejus de peccatis dolor non ex ſui ipſius; ſed ex caſto Dei amore proveniat.

Joannes Theodorici Macherentinus, qui cum opinione ſanctitatis Treviris è vitâ deceſſit, in catechiſmo, quem ex auctoritate Archiepiſcopi Trevirenſis pro eruditione parochorum conſcripſit, ſuo ſuffragio munit doctrinam, quæ aſſerit, ſine amore neminem, tametſi ſacramentis utatur, ad juſtitiam pervenire. Cùm enim in catechiſmo quæſiviſſet. „Quanta debet eſſe contritio, ſeu dolor, ut ad peccati re„miſſionem ſufficiat? Requiritur, inquit, & ſufficit, ut „ex verâ Dei charitate ſuper omnia emanet, ipſamquè ha„beat. Si enim ille animi motus ex aliis, quàm ex amore „Dei procedit, non ad Deum, ſed ad aliud bonum du„cit. Si enim procedit ex amore Dei, ſed non perfecto, „non conjungit perfectè Deo. *Qui* itaquè *non diligit, ma„net in morte*: *& ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, „charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Hæc eſt, quæ „*operit multitudinem peccatorum.*

Ex ſententiâ ergo hujus ſcriptoris, ut quis juſtificetur, duo poſtulantur; primò ut doleat ex amore Dei: ſecundò, ut is amor, à quo dolor dimanat, omnem alium vincat amorem. Unum horum ſi pœnitenti defuerit, abſolutio, ut deindè de confeſſione loquens docet idem auctor, nequicquam valebit.

Joannes Maldonatus celeberrimus ex eâdem Societate Theologus, cùm Pariſiis Theologiam doceret, diſertè tradidit, non attritionem; ſed contritionem neceſſariam eſſe, ut peccator Deo reconcilietur: atque hujus doctrinæ iſtam profert rationem. „[g] Nam, inquit, eâdem viâ neceſſe eſt, „ut ad Deum convertamur, quà ab eo diſceſſimus. Diſceſ„ſimus autem ab eo, quia illi antepoſuimus res creatas. Er„go debemus ad illum redire, dolendo quòd ipſum offen„derimus, pluſquam doleremus propter res omnes creatas. Hæc Maldonatus ſui ævi nominatiſſimus, ſive doctrinam ſive pietatem ſpectes, Theologus. Scio

[g] *Tom. 2. de pœnit. part. 4. c. 4.*

Scio quidem P. Alegambium commentarios in quartum ſententiarum Maldonato abjudicare: verùm illos invictis argumentis ei aſſeruit, auctor præfationis variorum operum theologicornm, quæ Pariſiis anno 1677. typis Pralardi ſub auſpiciis Illuſtriſſimi Mauritii de Tellier Rhemenſium Archiepiſcopi in lucem prodierunt.

Eandem doctrinam tradit Maldonatus tomo tertio operum theologicorum, de juſtitiâ & juſtificatione, tertiâ quæſtione, de cauſis juſtificationis. Cùm enim ibi contra Calviniſtas ex mente Theologorum docuiſſet quadruplicem motum liberi arbitrii neceſſarium eſſe in adulti hominis juſtificatione, nempè fidei, deteſtationis peccati, ſpei & dilectionis, tum de quarto motu liberi arbitrii ità loquitur: „Quartum motum dicunt eſſe in charitatem, id eſt, quòd „diligunt Deum, ut indicat Chriſtus Joannis 14. *Qui di-„ligit me, diligetur à Patre meo*; quaſi dicat, nemo dili-„getur à Patre meo, niſi diligat me. Diligi autem à Patre „eſt juſtificari: Aliqua igitur actio à nobis requiritur in ju-„ſtificatione. Atque ità refutatur quintus Calviniſtarum „error, quod ſolâ fide juſtificemur nihil agentes. Hæc magnus ille Theologus, ut oſtendat, ſine operante dilectione neminem Deo gratum effici.

In tabulâ ſtatus Eccleſiæ Catholicæ Jacobus Gualterius, ejuſdem Societatis religioſus, & doctrinæ Catholicæ contra Novatores vindex, dum ad quintum ſæculum doctrinam Auguſtini de pœnitentiâ refert, ſuamquè facit, ita ſcri-„bit: Huc ſpectat quod ſcriptum reliquit (Auguſtinus) „concione ſecundâ in pſalmum centeſimum primum, ut „doceat pœnitenti haud quaquam ſatis eſſe dolorem ex pec-„catis ſuſceptum, imò nec peccatorum confeſſionem cum „dolore illo conjunctam, niſi ſacerdotalem quoque abſolu-„tionem conſequatur. Quid enim, inquit, prodeſſet La-„zaro, quia proceſſit de monumento, niſi diceretur, Sol-„vite eum, & ſinite abire? Ipſe quidem voce de ſepulchro „ſuſcitavit, ipſe clamando animam reddidit, ipſe terrenam „molem terreno ſepulchro impoſitam vicit, & proceſſit il-„le vinctus: non ergo pedibus propriis, ſed virtute produ-

„ centis, ſit hoc in corde pœnitentis. Cùm audis hominem „ pœnitere peccatorum ſuorum, jam revixit. Hoc intelli„ ge (ait Gualterius) quando peccator verè conteritur, hoc „ eſt, quando præcipuè propter Deum odit peccatum, ſeu „ quod eódem redit, quando peccatum eo potiſſimùm no„ mine deteſtatur, quòd Deo injurioſum eſt.

Ex his verbis conſtat ſentire Gualterium. 1. neminem ſolvi à peccatis, qui non ſit revocatus à morte iniquitatis ad vitam juſtitiæ. 2. in hâc vitâ juſtitiæ conſiſtere veram contritionem. 3. Contritionem in eo præcipuè ſitam eſſe, ut peccatum odio habeatur, quatenùs divinæ juſtitiæ adverſatur.

His magnorum virorum teſtimoniis ſuccedat teſtimonium viri ex eadem ſocietate à morum integritate, & ſanctorum Patrum lectione aſſiduâ celebrati, Adriani, inquam, Mangotii. Hic poſtquam auctoritate Auguſtini & Proſperi docuiſſet nunquam accidere, ut aliquis velit inchoare vitam Chriſtianam, qui non fuerit aliquo Dei timore perculſus, deindè aſſerit, illuſtratione fidei Spiritum ſanctum proponere homini non tantùm pœnam; ſed etiam peccatum, quia legi Dei & juſtitiæ contrarium eſt, dignum eſſe odio & abominatione: juſtitiam autem, quam præcipit Deus, verè eſſe amabilem, & omni proſecutione dignam; & majore gratiâ, inquit Mangotius, affectum ejus, quo amabat iniquitatem, Spiritus ſanctus mutare incipit; ita ut jam incipiat deſiderare juſtitiam, oriaturquè in eo bona voluntas, quâ ſua peccata deteſtari, & odiſſe, & ſecundùm Deum de illis contriſtari incipit, proponitquè vitam inſtituere ſecundùm mandata Dei, & pravas ſuas concupiſcentias oppugnare. His dictis continuò ſubjungit: „ [h] Vera „ & ſincera cordis ex fide ad Deum converſio poteſt conſi„ ſtere ſine charitate, quæ cum Deo habet amicitiam; ſine „ dilectione certè non eſt vera contritio, cùm non ſatis ſit pœnam odiſſe, niſi & juſtitia diligatur. Quod ut probet Mangotius, allegat Concilii Tridentini verba ex cap. 6. Seſſ. 6. ubi inter cæteras diſpoſitiones ad adipiſcendam juſtitiam ne-

h *Tom.* 1. *Menita* 81.

neceſſarias Concilium poſtulat, ut Deus tanquam fons omnis juſtitiæ diligi incipiat,

His verbis Mangotii docemur ad reconciliationem hominis cum Deo, hoc eſt cum æternâ juſtitiâ ac veritate, quæ Deus noſter eſt, poſtulari ut illam juſtitiam amet, & peccatum ex illo juſtitiæ amore deteſtetur. Secundò docet Mangotius veram cordis converſionem eſſe poſſe ſine eâ charitate, quæ amicitia cum Deo dicitur, quia & culpam & pœnam tollit, Deo animam non ſolùm movente; ſed etiam eam inhabitante tanquam templum ſuum. Hæc enim charitas, quâ Deus animam tanquam gratum ſibi templum inhabitat juxta Lovanienſem Scholam diſcipuloſquè Auguſtini, ſacramentali abſolutione animæ confertur, quando Deum omnibus præferens peccatum deteſtatur, quatenùs ejus offenſa eſt.

Deniquè non omittendum hîc teſtimonium Gregorii Maſtrilli Religioſi è Societate Jesu & Eccleſiaſtis celeberrimi, qui ſub initium hujus ſæculi floruit in Italiâ. Hic igitur eccleſiaſtes diſertiſſimè docet, ſine contritione nullo „tempore dari ſalutem. Semper (inquit) & in ſtatu naturæ, „Moſaicæ legis, & gratiæ, neceſſaria fuit contritio, cùm „interim confeſſio ſacramentalis tantummodò neceſſaria ſit „in ſtatu gratiæ. Deindè, ut neceſſitatem hujus contritionis fortiùs aſtruat, hanc ſuam doctrinam illuſtrat ſimilitu„dine ex libro Eſther repetitâ. Palatium (ait) Regis Aſſue„ri non poterat ingredi qui veſtitus erat veſte ſervili: ſic & „ſolus ſervilis timor cœleſti te patriâ excludit. Ideò Domi„nus per Jeremiam monet: [a] *Si reverteris Iſraël, ad me* „*convertere.* Quaſi dicat, ſi vis peccatum deſerere, illud „deſere amore mei. Hæc ille religioſus. Ne quis autem dubitaret quâ de contritione loquatur, eam ſic definit. *Eſt peccati deteſtatio, atque odium ſupra omne quod odio haberi poteſt, & id propter Deum ſummè dilectum.* Ut autem doceat omninò oportere ut contritio procedat ex amore, quo Deus ſupra omnia diligitur, hanc deindè profert rationem, „dicens: Facilè colligi poteſt, quantum oporteat eſſe hoc

 „odium

a *Jerem.* 4. 1.

„ odium peccati, quandoquidem amor Dei ſuper omnia eſt
„ illius menſura. Deus eſt ſummum bonum, peccatum ſum-
„ mum malum. Ad hæc cùm in peccato ſit plus mali, quàm
„ in inferno, hunc autem ſummè execremur, quantùm no-
„ bis peccatum magìs deteſtandum? Atque hoc deinceps probat exemplo ſancti Anſelmi dicentis: *Mallem purus à peccato & innocens in gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus cœlorum regna tenere.*

Plura poſſent ex iſto religioſo proferri, ut pateat ipſum credere, nulli ſine contritione aut juſtitiam aut ſalutem donari; ſed ſuaſerim lectori, ut ipſum adeat, totumque legat ſermonem quinquageſimum quintum tomi ſecundi concionum edit. Colon. 1624. ubi naturam & neceſſitatem contritionis luculenter ediſſerit.

Porrò ex his teſtimoniis conſtat, quàm illuſtres ex ſocietate Jeſu defenſores habeat ea ſententia, quâ docetur, neminem verè converti, qui ad Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem amando non convertatur.

CAPUT XX.

1. *Venialia ſine contritione non delentur, qui tamen ſine contritione illorum abſolvitur, non ſemper contrahit mortale peccatum.* 2. *Non profanatur ſemper pœnitentiæ ſacramentum, quando primarius ejus effectus non obtinetur.* 3. *Hæc doctrina non favet ſocordiæ iſtorum, qui malunt venialia ſua confiteri, quàm in ſeipſis vindicando emendare.*

§. 1. DOctrina ſuperioribus elucidata capitibus oſtendit peccata ſine amore Dei illorumquè odio minimè dimitti; quod etiam de remiſſione venialium peccatorum veriſſimum eſt. Non tamen hinc rectè collegeris, eos, in quorum cordibus amor Dei ſupremum locum obtinet, iſto amo-

amore deſtitui, ſimulac ſacerdos, quibus minuta ſive quotidianæ incurſionis peccata ſine illorum deteſtatione confeſſi ſunt, ipſis abſolutionis formam impertitur. Non expellitur ex animâ Dei amor, niſi majore creaturarum amore, & niſi res condita Conditori præferatur. Sine hâc perverſitate venialia delicta in pœnitentiæ tribunali exponi poſſunt, quamvis illorum amor adhuc vivat in corde. Quid enim vetat, regnantem Dei amorem in uſu ſacramenti pœnitentiæ cum aliquâ adhæſione ad res mutabiles conſiſtere, ſicut extra uſum ejus ſacramenti regnans Dei charitas cum nonnullo „creaturarum amore conſiſtit? [i] Ipſa concupiſcentia, cum „quá nati ſumus, finiri non poteſt quamdiu vivimus. Quo„tidie minui poteſt, finiri non poteſt. Quid ergo cauſæ erit, ut criminibus carens & Deum ſuper omnia diligens crimen ſuſcipiat, & amorem Dei amittat, ſi peccata venialia confiteatur, à quorum amore necdum expeditus eſt, præſertim ſi illud ſacramentum adeat non deſiderio profanandi; ſed ſtudio ſeſe in actibus religionis exercendi, ſed ſpe ſacerdotalem gratiam obtinendi.

Nec objicias, peccata licet minuta ſine dolore non eſſe Eccleſiæ clavibus ſubdenda, ſiquidem ſacramentum pœnitentiæ ſit baptiſmus lacrymarum, in quo nullæ ſordes emundantur, quin odio habeantur. Nullus reſiſto. Sed quid hinc efficies? Fortè, iſtiuſmodi uſum ſacramenti pœnitentiæ carere effectu, ad quem præcipuè inſtitutum eſt? Nec hîc reluctor. Nemo tamen inde confecerit, eum mortali crimine pollui, qui imbutus victrici Dei dilectione ſacramentum uſurpans, primarium ſacramenti fructum haud conſequitur. Fructus Euchariſtiæ primarius eſt, ut animam ſpirituali dulcedine paſcat, ejuſquè ſpirituales vires ex luctâ cum concupiſcentiis nonnihil affectas reficiat atque inſtauret. Si communicans corpori Domini ob diſtractiones, quibus mens abripitur, hoc fructu deſtituatur, einè lethale crimen aſcribes? Hoc non feceris, niſi unà velis, ut ſacerdotes nunquam rebus ſacris operentur, nec fideles unquam manducent carnem Chriſti, niſi quando ſine crimi-

ne

i *Aug. Serm. 45. de temp.*

ne ab eis abſtinere non poſſunt. Cùm enim difficillimum ſit, ut quis inveniat cancellos, quibus mentem, ne evagetur, coerceat, nonnè prudentia exigeret, ut oblationem diviniſſimæ victimæ, & communionem corporis Domini, quando licitum eſt ab eis abſtinere, potiùs omitteremus, quàm tanto eas cum periculo uſurparemus? Similiter nonnè ſatius foret peccatis venialibus, nullo exiſtente præcepto, quo ea clavibus Eccleſiæ ſubjicere teneamur, abſolutionem ſacramentalem non impendi, quàm eam poſtulare cum magno periculo, ut ex Dei amicis inimici fieremus, & ibi contraheremus ſceleris noxam, quò liberi à criminibus properabamus, & quidem properabamus non deſtinatâ voluntate peccandi; ſed ſpe majoris conſequendæ puritatis?

Habent crimina perverſitatem & turpitudinem, quas anima divino amore ſuccenſa facilè deteſtatur; ſed in peccatis quotidianæ incurſionis cùm non ſit tanta perverſitas, fit ſæpè, ut innocentes animæ eis tunc quoque affectu adhæreſcant, quando ab illecebroſis illorum vinculis expeditæ ſibi eſſe videntur. Magnæ virtutis eſt Deum omnibus anteponere, ſed grandioris eſt perfectionis, in illis rebus, quibus etiam innocentes delectantur, amoris pondere ſubindè non paulùm quieſcere. Si ergo innocens anima aperiat ſacerdoti minuta peccata, in quæ lapſa eſt, crimenne contrahet, ſi nondum expulſo penitùs eorum amore, ſibi à ſacerdote dici ſinat, *Ego te abſolvo à peccatis tuis?*

Homo Deum ſuper omnia diligens morti proximus, ut ſe Deo judici puriorem ſiſtat, confitetur venialia delicta, quæ ſola commiſit; ſed confitetur occulto illis amore connexus: ejicietur nè ille in tenebras exteriores hanc unam tantùm ob culpam, quia à ſacerdote abſolvitur, aliàs certiſſimè ſalvandus, ſi ei ſolemnia abſolutionis non fuiſſent impenſa? Hoc ſi verum foret, damnandæ imprudentiæ ac temeritatis foret in lethalibus morbis, eis abſolutionem impendere, qui vitam ſine crimine tranſegerunt, vel à longo tempore in nullum facinus aut flagitium prolapſi ſunt. Nam ſi eis abſolutio non detur, certiſſimè ſalvabuntur; ſi verò detur, in evidenti æternæ damnationis periculo collocantur,

tur. Si graviter peccat in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, quiſquis, uti aſſerit Auguſtinus, certis incerta præponit; profectò graviter peccaret quiſquis nullius ſibi criminis conſcius, à ſolis venialibus delictis, quorum neſcit, an amorem excluſerit, cuperet abſolvi, præſertim in mortis articulo; iſtâ enim confitendi voluntate certam ſalutem magno peccandi periculo poſthaberet.

Qui exiſtimant lethale crimen committi, quotieſcumque iis, qui ſine contritione venialia peccata confeſſi ſunt, abſolutio datur, in hanc perſuaſionem inducti ſunt argumento ſolùm à ratione humanâ mutuato, non verò teſtimoniis aut Scripturæ aut traditionis, ſine quibus loquens Theologus non meretur audiri.

§. 2. Argumentum, quod eis impoſuit iſtiuſmodi eſt: Profanatio ſacramenti eſt grande crimen; ſed ſacramentum pœnitentiæ profanat, qui illud uſurpat, nec tamen ex illo fructum conſequitur. Verùm negatur ſacramentum pœnitentiæ profanari, quando traditur non profano, qui temporalia æternis antepoṅit, ſed religioſo, qui Deum omnibus præfert. Nequè enim uſus ſacramenti ſemper lethalem noxam animæ affert, quando ſine utilitate percipitur. Poſſunt cibi, poſſunt medicamenta ſic ſumi ut nec proſint nec obſint, vel certè non lethaliter obſint. Pari ratione cibus & medicina ſacramentorum non ſemper animæ mortem inferunt, quando accepta non proſunt. Nam inter prodeſſe & lethaliter obeſſe medium intercedit, nec prodeſſe nec obeſſe; vel etiam parùm obeſſe. Et quamvis ſacramenta ſint res ſacroſanctæ, non omnis tamen irreverentia, quæ in illa committitur, in animabus charitatem extinguit.

§. 3. Nemo hinc inferat, me iſtorum favere ſocordiæ, qui neque frigidi, neque calidi peccata venialia clavibus Eccleſiæ ter quaterve in hebdomada, aut etiam quotidie clavibus ſubjiciunt, non ut illa ardore pœnitendi & perfectionis deſiderio expugnent aut minuant; ſed ex falsâ perſuaſione, quòd per abſolutionem tanquam per arcanam virtutem magnâ donentur ſanctimoniâ ac abundanti participatione meritorum Chriſti, quamvis nunquam ſeriò proponant à viſco re-

rum

rum tranſeuntium cor ſuum magìs expedire, ac Chriſto crucifixo amores moreſquè ſuos perfectè reddere conformes.

Scio iſtiuſmodi homines ſegnem ſuam religionem tueri exemplo plurium ſanctorum, v. gr. Petri de Luxemburgo, qui ſæpiùs uno die leviores offenſas moderatori ſuæ conſcientiæ confitebatur; Caroli Borromæi, qui nunquam ſacris operabatur, niſi priùs expiatâ in confeſſionis tribunali conſcientiâ. Verùm lentæ & tepidæ illorum religioni nihil præſidii in iſtorum exemplis ſanctorum. Illi etenim ingenti peccati odio & ſanctitatis amore, dum à ſe ipſis ob minimas offenſas acerbam exigebant vindictam, undique etiam auxilium repetebant; ut à contagione peccati magìs magíſque recedentes æternæ puritati ac ſanctimoniæ exemplari ac prototypo ſuo propiùs accederent. Confitebantur ergo ſæpè, non ut molliori ratione merita vitæ æternæ ſibi compararent; ſed ut nihil negligentes, quod abſtergendæ peccatorum fuligini & minuendis concupiſcentiarum reliquiis utile credebant, citiùs divinæ puritati adaptarentur. Nihil itaquè ſocordiæ, nihil mollitiei dabant, dum à clavibus Eccleſiæ auxilium contra animæ ſuæ nævos repetebant; ut pateat in illorum exemplo nihil eſſe, quod patrocinetur illorum lentori ac tepiditati, qui ad pœnitentiæ ſacramentum ter quaterve in ſeptimanâ recurrunt, non ardenti odio peccati, nec inflammato puritatis deſiderio; ſed ut copioſa Chriſti merita ſine ſtudio cum perfectiùs imitandi ſibi comparent & acquirant. Undè meritò verendum, ne iſtis mollioris devotionis ſectatoribus, qui ſibi ipſis blandiuntur de magnâ meritorum copiâ, dum numerant, quot vicibus ſua peccata ſacerdoti fuerunt confeſſi, iſtud ſcriptum ſit, quod in Apocalypſi Angelo Laodiciæ Eccleſiæ ſcriptum legimus: „[k] Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: „utinam frigidus eſſes aut calidus, ſed quia tepidus es, & „nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. „Quia dicis: quòd dives ſum, & locupletatus, & nullius „egeo: & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper & „cæcus & nudus: tametſi ſæpiſſimè confitearis, ſæpiſſimè ab-

k *Apoc. 3.*

abſolutione à ſacerdote doneris, ſæpiſſimè corpus Chriſti accipias.

Quarè iſtis lentis ſegnibuſquè devotis in confeſſionum frequentiâ confidentibus inculcandum illud Chriſti ad Angelum, ſive Epiſcopum Laodicenæ Eccleſiæ; [l] *ſuadeo tibi a me emere*, orationum pretio, & eleëmoſynarum largitate, *aurum ignitum probatum* pœnitentis amoris, *ut locuples fias*, *& veſtimentis albis induaris*, *& non appareat confuſio nuditatis tuæ* coram oculis Dei cuncta videntis, *& collyrio*, dolentium lacrymarum, *innunge oculos tuos*, *ut videas* perfectionem vitæ Chriſtianæ non eſſe unicè repoſitam in frequenti uſu ſacramentorum; ſed in perfectâ imitatione mei, qui ſum Salvator & redemptor tuus.

CAPUT XXI.

1. *Concilii Tridentini Patres non docuerunt timorem gehennæ cum ſacramento pœnitentiæ ad juſtitiam peccatoris ſufficere; ſed ſolùm definiunt iſtum timorem non facere homines magis peccatores.* 2. *Mens Concilii ex hiſtoriâ Cardinalis Pallavicini clariſſimè patet.*

§. 1. OPinio, quæ docet timorem gehennæ, ſi abſolutio accedat, ſufficere ad peccatorem Deo reconciliandum, per quædam verba Concilii Tridentini perperam intellecta celebritatem & ſectatores non paucos ſibi comparavit.

Verba, quibus ejus opinionis fautores abuſi ſunt, ità „ſonant: [m] Illam verò contritionem imperfectam, quæ at„tritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſi„deratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communi„ter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe „veniæ, declarat non ſolùm non facere hominem hypo„critam & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſ„ſe, & Spiritûs ſancti impulſum, non adhuc quidem inha„bi-

l *Ibid.* m *Seſſ.* 14. *c.* 4.

„ bitantis; ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus „ viam ſibi ad juſtitiam parat; & quamvis ſine ſacramento „ pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccato- „ rem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in ſacramento „ pœnitentiæ diſponit.

Verùm his verbis Concilium minimè definire voluit iſtum timorem eſſe diſpoſitionem proximam & ſufficientem ad juſtitiam in ſacramento pœnitentiæ obtinendam; ſed ſolùm definit contra Lutherum, qui docebat, illo homines magis peccatores & hypocritas fieri, eum eſſe Spiritûs ſancti donum, quod hominem non magis peccatorem & hypocritam faciat; ſed quo à peccato revocetur & ad juſtitiam diſponatur. Quod veriſſimum eſt: is enim timor à peccato revocat, quia voluntatem hîc & nunc peccandi excludit. Atque hâc ratione latentem in cordis receſſu voluntatem peccandi, ſi fieri poſſet impunè, debilitat & reprimit, quæ majores vires conſequitur, dum peccatum opere perpetratur. Diſponit ergo is timor ad juſtitiam, ſicuti acus corium aut pannum perforans diſponit ad hoc, ut filum in corium aut pannum inducatur: niſi enim acus quaſi vulnus corio aut panno imprimat, filum in ea minimè inducetur. Verùm quemadmodum acus nonniſi vulnus in corium facit, ſi filum non ſubſequatur; ita timor, niſi amor ſuccedat, animum quaſi vulnere perforat; ſed non ſanat. Juvat ergo timor tanquam juſtitiæ initium; ſed eam non perficit, etiam accedente ſacramento, niſi accedat Dei amor omnes alios vincens amores. Præclarè hoc docet Franciſcus „ Saleſius, ità loquens: [n] Quacumque homo ſe pœnitentià „ atterat, ea tamen ſalutem non dabit, niſi Dei attigerit a- „ morem. Nam (inquit) exordium rerum bonarum eſt bo- „ num, progreſſus eſt melior, & finis eſt optimus. Atta- „ men exordium valet ſolùm tanquam exordium, ſicut pro- „ greſſus non valet niſi tanquam progreſſus. Quare operis „ perfectionem ſive finem, vel exordio vel etiam progreſ- „ ſui tribuere, eſt rerum ordinem perturbare.

Hæc præclarè Saleſius, ut oſtendat juſtificationem ne-

n *L. 2. de l'amour de Dieu c. 12.*

què timori, qui juſtificationis ſolummodò exordium eſt, neque etiam ſpei, quæ ejus progreſſus dici poteſt; verùm amori, qui eſt finis atque perfectio ejus, tribuendum eſſe.

§. 2. Facile foret ex ipſis Concilii Tridentini verbis oſtendere, illud nullatenùs definiviſſe timorem gehennæ cum ſacramento pœnitentiæ juſtificando homini idoneum ac ſufficientem eſſe; verùm ab illo labore tanquam ſupervacaneo nunc licet quieſcere.

Etenim auctoritas unius Cardinalis Pallavicini, cui, quicquid à Concilii Patribus intentum ac definitum fuit, non potuit non eſſe notiſſimum; cùm omnia Concilii acta, etiam ſecretiſſima, perluſtraverit; abundè ſufficit ad probandum, Patres Tridentinos nihil minùs cogitaſſe, quàm ut definirent per verba, quæ ex capite 4. Seſſionis 14. de pœnitentiâ modò laudavimus, atquè expendimus, gehennæ timorem conjunctum abſolutioni, divinæ hominem amicitiæ reſtituere. Audiamus ergo Eminentiſſimum Cardinalem Concilii hiſtoricum ac vindicem contra Paulum Suavem, qui Concilii auctoritatem ſuis ſarcaſmis voluit elevare. Pallavicinus recenſitis articulis, qui in Seſſ. 14. ut examinarentur propoſiti fuerunt, ità loquitur: „Didacus „Lainius, qui primo loco inter minores Theologos ſermonem habebat, damnans poſteriorem ſecundi articuli „partem, dixit; ſacramento eſſe neceſſaria pœnitentiam, „timorem, dilectionem, contritionem, abſolutionem. „Dilectionem pariter tanquam neceſſariam enumeravit Ja-„cobus Ferruſius Hiſpanus Segovienſis Epiſcopi Theolo-„gus, & per hoc eundem articulum improbavit, cauſatus „ſolis terroribus minimè contineri dilectionem, quæ abſo-„lutè neceſſaria eſt, cùm Chriſtus pronunciaverit, *remit-„tuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*: & „*dilexit*, inquit, per præteritum, quia dilectio remiſſio-„nem anteceſſit. Et Apoſtolus: *Triſtitia, quæ eſt ſecun-„dùm Deum*, (hoc eſt, interpretabatur Ferruſius, ſecun-„dum Deum dilectum) *operatur pœnitentiam in ſalutem.* „Et cap. 2. ad Romanos: *Benignitas Dei vos adducit ad pœ-„nitentiam*. Unde ſanctus Auguſtinus ait: *Abſque amore*

„*gratia non datur*. Idcirco exigebat is ante omnia primam „quandam, ut vocant, motionem in Deum, ad quam ſi„gnificandam ea Scripturæ verba dicerentur: *Converte nos* „*Domine ad te*. Et, *ego ſto ad januam, & pulſo. Vos* „*ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis*. Et, *Extendi manum* „*meam, & non fuit, qui aſpiceret*. Poſtea verò actum fi„dei; unde ſcriptum erat: *Accedentem ad Deum oportet* „*credere*. Et, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Hinc „oritur, ajebat ille, in homine peccatorum deteſtatio, aſ„ſurgitquè in ſpem animus, & amoris initium habetur; in„de verò primam gratiam Deus infundit: qui tamen amor „naturalis non eſt; ſed à divinâ gratiâ efficitur: tametſi na„turalis amor ad id etiam conferat. Ità Ferruſius. At Mel„chior Avoſmedianus, tunc Pacenſis Epiſcopi Theologus, „poſtea verò regreſſus ad Pii Concilium Guadicenſis Epi„ſcopus, dixit, priùs nos propter pœnæ metum dolere, „deindè propter Deum; poſtea verò, ajebat, peccata con„fitemur. Et Bernardus Colloredus Dominicanus Foroli„vienſis Epiſcopi Theologus tanquam neceſſaria numeravit „timorem, deteſtationem, ac fidem, ex quâ ſpes oriatur, „& ab hâc dilectio. Ejuſdem ſententiæ fuit Franciſcus Con„treja ex ordine Minorum Obſervantium. Et revera, quan„tùm ex actis conjicio, Theologorum mens erat, ut er„ror hæreticorum damnaretur, tanquam inhoneſtum im„probantium pœnæ timorem; non item, ut ferrent ſen„tentiam de Scholaſticâ quæſtione, an hujuſmodi timor „non ſolùm abſque contritione animi perfectâ (de quo con„troverſia vix fuit, ſicuti patebit) ſed etiam abſque eo, quòd „ullus excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad peccatorum „remiſſionem in ſacramento. Id verò clarè liquet ex ipsâ „probatione Concilii, quà hujus articuli doctrinam firmat „capite quarto; nimirùm Ninivitarum pœnitentiam ex ti„more profectam ipſis profuiſſe; cùm certum eſſet, eo tem„pore, quo ſacramentum pœnitentiæ adhuc non extabat, „eam formidoloſam pœnitentiam minimè ſuffeciſſe per ſe „ipſam ad peccatum delendum; ſed vim tantummodò ha„buiſſe ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjice-

„re-

„ retur charitatis affectus, quem omnes neceſſarium fuiſſe
„ fatentur ante novam legem, ad juſtitiam recipiendam.
„ In Patrum conventu id pauci attigerunt. Aliquod dun-
„ taxat veſtigium comperio opinionis negantis neceſſitatem
„ amoris, in iis quæ Granatenſis diſputavit. At verò Joan-
„ nes Æmilianus Hiſpanienſis Tudetanus Antiſtes, extre-
„ mum oppoſitæ ſententiæ tenuit: hoc eſt, opus eſſe con-
„ tritione perfectà; nec tamen hinc argui per ſacramentum
„ peccata non remitti, quippè quæ ſacramentum jam inve-
„ nit remiſſa, præeuntis contritionis efficacitate: ſiquidem,
„ ajebat, ipſa contritio id præſtat virtute ſacramenti, cujus
„ votum in eâ continetur.
„ Præterea oportet ſcire, poſtea decretis doctrinam com-
„ plexis verba hæc fuiſſe adjecta: Illam contritionem, quam
„ Theologi attritionem vocant, quòd imperfecta ſit, &
„ ſolùm vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex
„ gehennæ & pœnarum metu, qui ſervilis timor dicitur, con-
„ cipiatur, ſi voluntatem peccandi excludat, & dolorem qua-
„ lemcumque de commiſſis delictis exprimat, ſtatuit hæc
„ ſancta Synodus, & declarat, non ſolùm non facere ho-
„ minem hypocritam, & magis peccatorem (ut quidam bla-
„ ſphemare non verentur) verùm etiam ſufficere ad ſacra-
„ menti hujus conſtitutionem, ac donum Dei eſſe, & Spi-
„ ritûs ſancti impulſum veriſſimum, non adhuc quidem in-
„ habitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adju-
„ tus, cùm ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix
„ queat, viam ſibi ad juſtitiam munit, & per eum ad Dei
„ gratiam faciliùs impetrandam diſponitur. Sed laudatus E-
„ piſcopus monuit, falsò dici, hujuſmodi dolorem ſine
„ amore vix unquam concipi poſſe: quòd autem hæc attri-
„ tio ſatis eſſet ſacramento conſtituendo, ità ut homini at-
„ trito deleantur peccata abſolutionis ſupervenientis vi, va-
„ riare auctorum ſententias, adeóque id eſſe tollendum;
„ quamobrem decretum, ſicuti nunc extat, reformatum
„ eſt, & prout à nobis refertur.

Hæc Pallavicinus, ut conſtet, quàm temerariè & falsò illi pro ſe Concilium allegent, qui ad timorem gehennæ dotes

caſti amoris, quo æterna juſtitia diligitur, transferre auſi fuerunt.

Et ut magìs eluceat, quàm Patres Tridentini propenſi fuerint in eam doctrinam, quæ ſine regnante Dei amore neminem regenerationi aut reconciliationi aptum agnoſcit, non poſſum non hìc referre, quid de propenſione Tridentinorum Patrum in illam ſcripſit alibi idem Cardinalis. Hic itaque agens de ſeſſione ſextâ Concilii Tridentini de juſtificatione c. 6. refert, quâ de causâ illa particula, *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moveri adversùs peccata per odium aliquod ac deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agere oportet,* &c. inſerta fuerit decreto Concilii, atque juncta ad alias præparationes, quibus ad ſpiritalem nativitatem adaptamur. „Quod attinet, inquit, ad id, quod dicitur de di„lectione, advertendum eſt per tenorem decreti priùs de„lineati nullam fieri dilectionis mentionem; ſed Salvato„rem Alepium Archiepiſcopum Turritanum, Claudium „Jajum Societatis Jeſu, Lypomanum Veronenſis Eccleſiæ „Adjutorem, Pium Franciſcanorum Præſidem admonuiſ„ſe, ut aliquis charitatis actus infereretur. Cúmque id ad „omnium Patrum judicium relatum fuerat, cum aliis præ„cipuis notis, ut indicavimus, viginti tres ex ipſis diſer„tè comprobaſſe, adeóque inſertum decreto. Deinde iſtiuſ„modi additio, ut narrat idem Cardinalis, aliis non pla„cuit; Theologi verò eam defenderunt & retinuerunt, ità „ſcriptum relinquentes: *Non eſt hìc ſermo de habitu cha„ritatis; ſed quia in particulà, ubi de pœnitentià agitur, „amoris nulla fit mentio, placuit cum fidei ſpeiquè actibus, „aliquem etiam dilectionis actum adjungere: ſi enim pœni„tentia tota eſſet timoris, ſine amore juſtitiæ, & ſi dolor eſ„ſet propter ſolam pœnam, & non propter Dei offenſam; „tunc ſine fructu foret.* In actis quoque authenticis, quem„admodum refert laudatus Cardinalis, quæ in arce ſancti „Angeli cuſtodiuntur, dum ibi fit mentio cujuſdam Con„gregationis Præſulum Theologorum ſuper decretis juſti„ficationis, leguntur hæc verba: Propoſitum pariter fuit,

num

„num peccatorum deteſtatio in præparatione præcedat „ſpem, & poſt diligentiſſimum examen concluſum fuit: „*Quòd licet aliqua peccatorum deteſtatio ſpem præcedat, il-* „*la nihilominus deteſtatio, quæ ad juſtificationem diſponit,* „*de quâ in ſexto capite Decreti agitur, quia ſine aliquâ ſpe* „*& dilectione nequit fieri, poſteà ſequatur.* Hæc Pallavicinus: ex cujus narratione patet, ſenſiſſe Tridentinos Patres, 1. actum charitatis juſtificando homini neceſſarium eſſe. 2. Pœnitentiam, quæ tota ſit timoris ſine amore juſtitiæ, ac dolorem de peccato propter ſolam pœnam, & non propter Dei offenſam, eſſe pœnitentiam & dolorem ſine fructu. 3. Deteſtationem peccati, quæ proximè ad habitum juſtitiæ, ſive gratiam ſanctificantem diſponit, ſpei ac dilectionis actus ſubſequi. Eſt itaque certiſſimum, Tridentinos Patres traditæ à nobis doctrinæ non adverſari; ſed oppidò favere.

CAPUT XXIII.

1. Sacramenta novæ legis dant juſtitiam, ſed non aliis, quàm eam amantibus. 2. Nemo ſapiens ab officio Deum amandi vult eſſe exemptus: in iſtâ enim exemptione non privilegium; ſed dedecus. 3. In dilectione eſt decus & privilegium Chriſtianorum, virtuſque ut abſentiam ſacramentorum ſuppleat: in ſacramentis verò non eſt virtus, ut in adultis abſentiam ſuppleat divini amoris. 4. In charitate reperitur, quicquid hominem verè reddit illuſtrem. 5. Si ſacramenta ſine charitate hominem poſſent juſtificare, ſine ullâ verâ virtute ſalutem homo aſſequi poſſet.

§. 1. Nonnulli dum legerunt hoc diſcrimen inter antiquæ & novæ legis ſacramenta intercedere, quòd illa erant egena elementa, quæ neque juſtitiam, neque ſalutem dabant; hæc ſint inſtrumenta plena cœleſti virtute,

quæ juſtitiam ac ſalutem operantur in nobis; ſibi perſuaſerunt illos, qui ſub novâ lege vivunt, hoc privilegio eſſe inſtructos, ut juſtitiam ac ſalutem adipiſci, & cum Deo poſt grandia peccata in gratiam redire poſſint, tametſi eum tanquam juſtitiæ fontem minimè diligant, dummodò timentes pœnam æternam, quam amor proprii commodi horret ac deteſtatur, baptiſmi aut pœnitentiæ ſacramenta ſuſcipiant; cùm interim Judæi, qui tam operatoriis ſacramentis carebant, à criminibus purgari non poſſent, niſi æternam juſtitiam ſuper omnia diligentes, magìs de ejus offenſâ, quàm de ſuâ pœnâ dolerent, magíſque peccatum, quàm quaſlibet pœnas timerent.

Verùm de illis omnibus, qui hâc opinione imbuti ſunt, timendum, ne audiant ex ore Chriſti, *Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Nihil certiùs eſt, quàm novæ legis ſacramenta dare juſtitiam, ſalutem, & ſalutis auctorem; verùm dant juſtitiam fontem juſtitiæ ſitientibus. Nam Deus eſt ſumma juſtitia, quam ſitire & eſurire noſtra eſt in hâc peregrinatione inchoata juſtitia, & quâ poſtea ſaturari noſtra eſt in æternitate plena juſtitia & plena felicitas. Dant ſalutem; ſed illis qui ardenti corde cum Prophetâ clamant: *Dic animæ meæ ſalus tua ego ſum.* [p] Aliam ſalutem non quæram præter te Dominum Deum meum; tua charitas eſt animæ meæ ſanitas. Dant Salvatorem; ſed iis qui illum quærunt, ſicut quærendus eſt, hoc eſt, [q] non propter bona extra ipſum poſita; ſed ut ipſemet ſit bonum animæ noſtræ. Profectò quàm illud Chriſtiano indignum, ut dicente Salvatore: [r] *Omni autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo; & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo:* ipſe ſibi perſuadeat, quòd donis majoribus præ Judæo ſit donatus, ut minora, quàm Judæus, reddere poſſit; quòd grandiora ei ſint credita, ut ſuo creditori exiliora refundat; quòd diviniores gratias acceperit, ut viliores ei grates rependat, quòd data ſit ei poteſtas filium Dei fieri, ut ſervili cupidine ſuo erga patrem officio defun-

ga-

p *Vid. Aug. in pſal. 34. conc. 1.* q *Aug. tract. 9. in epiſt. Joan.*
r *Luc. 12. 48.*

gatur; quòd gratuito ſit amore à Deo præventus, ut mercenarium refundat affectum? Hocnè docet Scriptura? Vox Scripturæ eſt, [s] *Qui non diligit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, anathema ſit.* Et iterùm, [t] *Qui non diligit, manet in morte.* Hocnè tradiderunt Eccleſiæ Doctores? Abhorrent ab hâc doctrinâ, dum non de ſacramentis, ſed de charitate dicunt, [u] *Sola charitas perducit ad vitam.* Et alibi: [v] *Adde charitatem, proſunt omnia: detrahe charitatem, nihil proſunt cætera.* Tribuuntnè ſancti ſacramentis virtutem, ut ſine amore Dei ſuſcepta juſtificent? [x] *In omnibus*, ajunt, *irritum eſſe & frivolum*, *quicquid dilectio non confirmat.* Hæc quoque ipſorum vox eſt: [y] *Non pertinet ad te, Domine, nec de tuis eſt*, quantumvis ſacramentis initiatus, *qui te non diligit.* Docentnè ſancti Patres præceptum de amando Deo magis ad Judæos, quàm ad Chriſtianos ſpectare? Hæc doctrina ipſis inſolens, undè Chriſtianos ità alloquuntur: [z] *Quis autem non redamare affectet juſtiſſimum & miſericordiſſimum Deum, qui prior ſic amavit injuſtiſſimos & ſuperbiſſimos homines, ut propter eos mitteret unicum filium ſuum?* Crediderūntnè licitum eſſe, ut Chriſtus à Chriſtianis non ametur? *Ad hoc*, inquiunt, *divina nobis tam ſedula erga nos, & tam profuſa beneficentia commendatur; ut ſollicitemur ad gratiam, invitemur ad dilectionem.* Docentnè baptiſmo iſtos, qui Deum non amant, in ejus filios renaſci? Iſtud minimè exiſtimant.
„ [a] Ecce, inquit Auguſtinus, accepit ſacramentum nativi-
„ tatis homo baptizatus. Sacramentum habet & magnum ſa-
„ cramentum, divinum, ſanctum, ineffabile. Conſide-
„ ra quale: ut novum hominem faciat dimiſſione omnium
„ peccatorum. Attendat tamen in cor, ſi perfectum eſt ibi,
„ quod factum eſt in corpore: videat ſi habeat charitatem,
„ & tunc dicat, natus ſum ex Deo. Si autem non habet, cha-
„ racterem quidem impoſitum habet; ſed deſertor vagatur.

P 4 „Ha-

s 1 *Cor.* 16. 22. t 1 *Joan.* 3. 14. u *Aug tract.* 6 *in Epiſt. Joan.* v *Idem Serm.* 5. *de verbis Domini.* x *Aug. Serm. de bapt. Chri. apud Cyprianum.* y *Ibid.* z *Aug. l. de catech. rudibus c.* 4. a *Auguſt. expoſit. in epiſt.* 1. *Joan. c.* 3. *tract.* 5.

,, Habeat charitatem: aliter non ſe dicat natum ex Deo. Sed ,, habeo, inquit, ſacramentum. Audi Apoſtolum: Si ,, ſciam omnia ſacramenta, & habeam omnem fidem, ità ,, ut montes transferam, charitatem autem non habeam, ni- ,, hil ſum.

Docent nè Patres in ſacramento pœnitentiæ homines, tametſi Deum non ament, à peccatis abſolvi? E contrà diſertè ajunt, amorem Dei ad obtinendam abſolutionem neceſſarium eſſe. *Abſolvi vis?* Inquiunt; *Ama.* Et ut omnia peccata tam cordis, quàm externi operis vincantur, amorem requirunt Patres. [b] *Ama Deum*, inquiunt, *ſed totus ama, ut poſſis ſine labore omnia vincere peccata.* Abſolveruntnè Patres eos à crimine, qui neglecto Dei amore cor ſuum creaturis addicunt? Fornicantem à Deo animam in eis accuſant, qui ejus dona accipientes non amant donatorem. [c] ,, Quemadmodum fratres, inquit Auguſtinus, ſi ,, ſponſus faceret ſponſæ ſuæ annulum, & illa acceptum an- ,, nulum plùs diligeret, quàm ſponſum, qui illi fecit annu- ,, lum, nónne in ipſo dono ſponſi adultera anima deprehen- ,, deretur, quamvis hoc amaret, quod dedit ſponſus? Cer- ,, tè hoc amaret, quod dedit ſponſus. Tamen ſi diceret. Suf- ,, ficit mihi annulus iſte, jam illius faciem nolo videre. Qua- ,, lis eſſet? Quis non deteſtaretur hanc amentiam? Quis ,, non adulterinum animum convinceret? Amas aurum prò ,, viro, amas annulum pro ſponſo. Si hoc eſt in te ut ames ,, annulum pro ſponſo tuo, & nolis videre ſponſum tuum, ,, ad hoc tibi arrham dedit, ut non te oppignoraret, ſed a- ,, verteret. Ad hoc utique arrham dat ſponſus, ut in arrhâ ,, ſuâ ipſe ametur. Ergo dedit tibi Deus omnia iſta, ama il- ,, lum, qui fecit (iſta.) Plùs eſt, quod tibi vult dare, id ,, eſt, ſe ipſum, qui iſta fecit. Si autem amaveris hæc, quam- ,, vis illa Deus fecerit, & neglexeris Creatorem, & amave- ,, ris mundum, nónne tuus amor adulterinus deputabitur?

Poſſunt ne ſacramenta efficere, ut adulterinus amor non ſit turpis, non ſit inſipiens, dum Creatorem poſtponit creatu-

b *Petrus Chryſolog. Serm. de Magdal. 94.* c *Aug. tract. 2. de Epiſt. Joan.*

turæ, & ſummum bonum præ vili bono faſtidit? Certè ſi quis iſtiuſmodi in ſacramentis vim agnoſceret, eam illis virtutem præberet, quæ turpitudinem decori, & ſtultitiam ſapientiæ coæquaret; dum homini turpi & ſtulto ea bona conferrent, quæ ſine ipſis non aliis, quàm decoris & ſapientibus conferuntur.

§. 2. Si quis caſtam mulierem, probum filium, honeſtum civem ita alloqueretur: Tam grandia à marito, à Patre, à Principe dona accipietis, ut in illis privilegium ſitis conſecuturi, in quo impunè conjugem, Patrem, principem poſſitis non amare; nonne talia dona ut ſibi indigna iſti averſarentur? Nonne oblatum privilegium tanquam ſuum dedecus, ſuamquè injuriam deteſtarentur? Nonne diceret caſta uxor: meæ deliciæ & decus ſunt, officioſo caſtoquè amore conjugi ſervire: nolo eſſe exempta ab officio, quod cum meâ dignitate & iucunditate conjunctum eſt. venditetur iſtiuſmodi privilegium apud meretrices, quibus decus & officium pro pœnâ eſt, non apud fœminas juſtitiæ & decoris amantes, quibus volupe eſt conjugalem ſervare caſtitatem. Nonne filius, cui jucundum eam patri obſervantiam exhibere, quam lex naturæ ab illo exigit, in hunc quoquè modum loqueretur? Nolo privilegium, quo invertitur ordo naturæ, & quo frui non poſſem, niſi forem perverſus. Sit ſpuriis pro voluptate & prærogativâ, impunè à cultu patri debito ceſſare, meum erit gaudium & ornamentum ſervire patri. Nonne hæc etiam foret vox probi civis? Non æſtimo ea magna bona, quæ mihi concedunt exemptionem à fide, quam nemo non cum ſuo decore & ſuâ cum lætitiâ illo principi impendit? venditentur iſtiuſmodi dona apud lixas & calones, quibus honeſtas pro pœnâ; officium pro ſupplicio, & quibus iucunditas in turpitudine eſt.

En quæ loquerentur caſta uxor, ingenuus filius, & probus civis ad illos, qui ipſos vellent exemptos ab iſtis officiis, quæ illorum ſtatum præcipuè decent, & maximè ornant.

Animarum noſtrarum Sponſus, Pater & Princeps Deus eſt, hunc qui non amare paratus eſt, non ſolùm Chriſtiani; ſed etiam hominis nomine indignus eſt. Nam ut præclarè Sa-

„ leſius : [d] Verus homo non eſt, qui non habet propenſio-
„ nem ad Deum amandum : & nemo verus Chriſtianus, qui
„ hanc propenſionem non opere exequitur. Acceptent igitur illi privilegium non amandi Deum, qui hominis dignitatem cum brutorum vilitate, & Chriſtiani nominis ſublimem gloriam cum dæmonum turpitudine commutare parati ſunt.

§. 3. Veris Chriſtianis pro ſpeciali prærogativâ & ſublimi privilegio erit diligere Dominum Deum ſuum ex toto corde ſuo. Bona terrena habent plerumque gentiles, habent Mahometani, habent Judæi. Signum crucis, baptiſmum, exomologeſim, Euchariſtiam, & cætera apud eos quoque invenies, qui non tam Chriſtiani ſunt, quàm dehoneſtamenta nominis Chriſtiani. In ſolâ dilectione eſt privilegium, ut tametſi quis ex quâdam neceſſitate ſacramentis minùs ſit ſanctificatus, ſibi tamen Deum ſuum reddat propitium. Probant hoc verba Ezechiæ Deo in oratione dicentis : [e] *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum ſuorum, & non imputabit, quòd minùs ſanctificati ſunt. Quem*, inquit Scriptura, *exaudivit Dominus, & placatus eſt populo*, licèt minùs ſacramentis mundato. Proinde colligitur (cum Auguſtino lo-
„ quor) [f] inviſibilem ſanctificationem quibuſdam adfuiſſe,
„ atque profuiſſe ſine viſibilibus ſacramentis, quæ pro tem-
„ porum diverſitate mutata; viſibilem verò ſanctificatio-
„ nem ſine iſtâ inviſibili poſſe adeſſe, non poſſe prodeſſe. Eſt igitur in amore caſto privilegium, ut ſuppleat abſentiam ſacramentorum; ſed in ſacramentis non eſt virtus, ut divini amoris ſuppleant abſentiam. Eſt in divino amore privilegium, ut ſuppleat abſentiam ſacramentorum; quia ea voto continet. Quicquid enim ſuſcipere volumus, & ſuſcipere non poſſumus aliquâ neceſſitate impediti, pro ſuſcepto deputatur. [g] *Quid planius*, inquit Bernardus, *quàm quòd voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit neceſſitas?* In externâ autem ſacramenti ſuſceptione non eſt privilegium ſupplendi abſentiam amoris; quia externæ actiones non

[d] *De Sales l. 10. de l'amour de Dieu c. 10.* [e] *2. Par. 30.* [f] *Aug. l. 3. Quæſt. in Levit. c. 84.* [g] *Bernard. tractat. ad Hugon. Victor. c. 2.*

non ſunt vota & deſideria rei abſentis: cùm ſolius ſit voluntatis voto ac deſiderio rebus concupitis inhiare. In ſolâ dilectione eſt prærogativa & privilegium, quo boni à malis „ diſtinguuntur. [g] Qui enim diligunt, quia diligunt, in„ quit Auguſtinus, eliguntur: qui verò non diligunt, ſi lin„ guis hominum loquantur & Angelorum, fiunt æramen„ tum ſonans, & cymbalum tinniens. Et ſi habuerint pro„ phetiam & ſciverint omnia ſacramenta, & omnem ſcien„ tiam, & habuerint omnem fidem, ut montes transferant, „ nihil ſunt. Et ſi diſtribuerint omnem ſubſtantiam ſuam, „ & tradiderint corpus ſuum, ut ardeant, nihil eis prodeſt. „ Dilectio ſanctos diſcernit à mundo, quæ facit unanimes „ habitare in domo. Alibi ſanctus Doctor privilegium & ſpecialem bonorum Chriſtianorum prærogativam in ſolo Dei amore ait eſſe conſtitutam. [h] *Dilectio ergo ſola*, inquit, *diſcernit inter filios Dei, & filios diaboli.* „ Signent ſe omnes „ ſigno crucis Chriſti, reſpondeant omnes amen, cantent „ omnes halleluja, baptizentur omnes, intrent Eccleſias, „ faciant parietes baſilicarum: non diſcernuntur filii Dei à „ filiis diaboli, niſi charitate. Qui habent charitatem, nati „ ſunt ex Deo: qui non habent, non ſunt nati ex Deo. Ma„ gnum judicium, magna diſcretio. *Quicquid vis, habe,* „ *hoc ſolum non habeas; nihil tibi prodeſt. Alia ſi non ha-* „ *beas, hoc habe, & impleſti legem. Qui enim diligit alte-* „ *rum, legem implevit*, ait Apoſtolus, *& plenitudo legis* „ *charitas.* Puto iſtam margaritam eſſe illam, pro quâ ho„ mo negotiator deſcribitur in Evangelio, qui invenit unam „ Margaritam, & vendidit omnia, quæ habebat, & eme„ bat eam. Hæc eſt margarita pretioſa, charitas, ſine quâ „ nihil tibi prodeſt quodcumque habueris; quam ſi ſolam „ habeas, ſufficit tibi.

§. 14. In hâc dilectione meritò Chriſtianorum ſpecialis prærogativa collocatur: nam ſi benè attendas, in eâ dilectione invenies quicquid hominem ornare & nobilitare poteſt. Si ornet & nobilitet libertas; [i] *ſervum te fecit cupiditas, liberum* cha-

[g] *Aug. tract. 76. in Joan.* [h] *Aug. tract. 5. in Joan.* [i] *Aug. Serm. 10. in appen.*

charitas. Si ornet & nobilitet virtus: in hâc vitâ [k] *virtus non eſt, niſi diligere, quod diligendum eſt.* Si ornet & nobilitet ſanitas: [l] *charitas ſanitas; tunc plena ſanitas, quando plena charitas.* Si ornet poteſtas: [m] *quem regnare delectat uni omnium regnatori Deo ſubditus hæreat, plus eum diligendo, quàm ſe ipſum.* Si ornet ſapientia: [n] *ſumma & vera ſapientia eſt in præcepto illo primo, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex totâ animâ tuâ: ac per hoc ſapientia eſt charitas Dei.* Si ornet & nobilitet pulchritudo: [o] *Anima noſtra, fratres mei, fœda eſt per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur. Qualis amor eſt, qui reddit pulchrum amantem? Quantùm in te creſcit amor, tantùm creſcit pulchritudo, quia ipſa charitas eſt animæ pulchritudo.*

Hæc cùm ita ſint, non poſſent nos ſacramenta ab hoc præcepto, Diliges Dominum Deum tuum, ſolvere, niſi nobis turpiter ſerviendi, vitiis inhærendi, noxiè ægrotandi, caducis ſubjacendi, probroſè delirandi, & noſmetipſos deturpandi privilegium præberent: quod profectò non ad ſacramentorum commendationem; ſed potiùs ad illorum faceret vituperium.

§. 5. His accedit, quòd ſi ſacramenta homines ratione utentes & Dei amore vacuos ad juſtitiam & ſalutem perducere valerent, homines valerent ad juſtitiam & ſalutem perducere nullâ verâ virtute imbutos; ſed ſolùm quodam virtutis ſimulacro incruſtatos. Etenim ſine amore Dei virtutis ſimulacrum eſſe poteſt; vera virtus eſſe non poteſt. Docet hoc Auguſtinus hâc generali ſententiâ: [p] *Virtus non eſt niſi diligere, quod diligendum eſt.* Docet idipſum inſtantiùs, dum ab omnibus virtutibus ex amore Dei non prodeuntibus veram virtutis rationem disertè removet. Cùm enim fructus Spiritus ſancti, qui ſunt charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, ex Apoſtolo enarraſſet, tum ita proſequitur: „Quis

k *Aug. epiſt. 52. ad Maced.* l *Aug. tract. 9. in epiſt. Joan. & lib. de perfect. c. 3.* m *Lib. de verâ relig. c. 18.* n *Aug. epiſt. 120. c. 18.* o *Aug. tract. 9. in epiſt. Joan.* p *Epiſt. 52. ad Maced.*

„ q Quis autem benè gaudet, qui bonum non diligit, unde „gaudet? Quis pacem veram, niſi cum illo poteſt habere, „quem veraciter diligit? Quis eſt longanimis in bono ope-„re perſeveranter manendo, niſi ferveat diligendo? Quis „benignus niſi diligat, cui opituletur? Quis bonus niſi di-„ligendo efficiatur? Quis ſalubriter fidelis, niſi eâ fide, „quæ per dilectionem operatur? Quis utiliter manſuetus, „cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet, undè „turpatur, niſi qui diligat undè honeſtatur? Meritò igi-„tur magiſter bonus dilectionem ſic ſæpè commendat, tan-„quam ſola præcipienda ſit, ſine quâ non poſſunt prodeſſe „cætera bona, & quæ non poteſt haberi ſine cæteris bonis, „quibus homo efficitur bonus.

Ex his Auguſtini verbis liquet procul eſſe à vero, quòd ſine charitate aut vera virtus, aut ſalus homini eſſe poſſit; adeóque falſiſſimum eſſe, quòd homines divino amore carentes ſolo ſubſidio ſacramentorum, præſertim baptiſmi vel pœnitentiæ, & juſtitiam & ſalutem adipiſcantur.

Maxima laus ſacramentorum novæ legis eſt, nos ad Deum amandum excitare, nos in unâ ſocietate ad Deum amandum confœderare, nos ad Deum amandum expedire, denique veluti inſtrumenta in manu ſummi artificis divinum amorem in nobis nutrire atque perficere.

Hæc ſacramentorum efficientia optimè congruit intentioni Chriſti. r *Quicquid enim Redemptor noſter in noſtrâ carne fecit*, uti ait Auctor ſancto Anſelmo Coætaneus, *ob hoc utique fecit, ut amaretur à nobis.* s *Qui*, ut præclarè ait Auguſtinus, *amavit nos ut redamaremus eum, & ut eum redamare poſſemus, viſitavit nos ſpiritu ſuo.* E contrà iſta ſacramentis vis afficta, quam hucuſque refutavimus, iſti Salvatoris fini hoſtiliter adverſatur. Nam increatæ incarnatæquè ſapientiæ, quæ omnia fecit, ut amorem impendendo ad amorem provocaret, convenit iis uti inſtrumentis, quæ nos amori arctiùs innecterent; non verò iſtis, quæ amoris vincula relaxarent. Quippe non ſapientis; ſed inſipien-

q *Aug. tract. 87. in Joann.* r *Tract. de ſacramento Altaris.*
s *Aug. in pſal. 127.*

pientis eſt, ea in uſum aſſumere per quæ potiùs à fine devia-tur, quàm ad finem pervenitur.

Ex his conſtat in ſacramentis Chriſtianæ religionis non eſ-ſe nobis conceſſum ignobile privilegium Deum non amandi; ſed potiùs in illis data nobis eſſe varia ad Deum amandum incitamenta atque auxilia, ut veriſſimè dicere poſſimus, nos tantò magìs ad Deum amore colendum eſſe devinctos, quò majora ſacramenta, veluti totidem medicamenta, pro no-ſtrâ ſalute inſtituit.

Et profectò tantùm abeſt, ut per ſacramenta ſine divi-no amore Deo placere poſſimus, ut nemo iſtis ſacris ſignis ſine illo amore benè & ſalubriter uti poſſit; juxta illud indu-bitatum ſancti Auguſtini effatum: [t] *Per hunc amorem Crea-toris benè quiſque utitur creaturis: ſine hoc amore Creato-ris nullus quiſquam benè utitur creaturis.*

CAPUT XXIII.

1. Sanctus Thomas de villâ novâ docet quòd non amare Deum non ſit privilegium; ſed dedecus hominis. 2. Dulce eſt mandatum, quo exigi-tur à nobis Dei amor, cùm quodammodò tolera-bilior ſit infernus, quàm non diligere Deum. 4. A Præcepto amoris nemo poteſt excuſari, quia factu facillimum & jucundum. 4. Juſtiſ-ſimum eſt, ut rationalis creatura ſuum amet Conditorem. 5. Præceptum amoris eſt præceptum bonum & novum; quia cordi infuſum & novâ ratione à Chriſti exemplo commendatum. 6. Æ-terna beatitudo præmium amoris, qui ipſe Dei donum eſt. 7. Deus amorem ſtrictiſſimè exigit; quia cunctis amare præſto eſt. 8. Deus in re-bus vilibus homines impares fecit, ſed in capa-ci-

t *Aug. l. 4. contra Iulian. c. 3.*

citate amandi pares. 9. Amor eſt fons filiis Dei proprius, qui eis ſolis è cœlo datus. 10. Arguuntur qui aliud quærunt, quàm amare Deum; quia omnia ab amore pretium habent. Solùm in cœlis Deus perfectè amatur.

§. 1. UT magìs elucescat, quàm fœda ſit illorum doctrina, qui Chriſtianis privilegio tribuunt, quòd ſine Dei amore juſti & ſalvi eſſe poſſint; conſilium eſt hîc exſcribere integrum ſermonem, quem beatus Thomas de Villâ novâ videtur de induſtriâ inſtituiſſe, ut fœditatem iſtius erroris omnibus deteſtandam exhiberet. Idque eò faciam libentiùs, quò beati viri opera rariora ſunt, quàm ut ea facilè reperiantur. Ex iſto ſermone etiam iſtud commodi conſequetur, quòd indè patebit attentè legenti, iſtum alieniſſimum fuiſſe ab illorum erroribus, qui opinantur, ad juſtitiam ſalutemquè hominum, non affectum viventemquè amoris flammam deſiderari; ſed ſolùm eſſe præceptum, ne Deus vel odio habeatur, vel ne ejus mandata violentur, vel ne deſit habitus charitatis. Hic itaque ſanctus, finito exordio, in quo docet eſſe amantis de amore loqui, ipſum ſermonem ità aggreditur.

§. 2. „Præcipis Domine, atque ſevero nimis injungis „mandato, ut amem te, & in omnibus & ſuper omnia di„ligam te. Itá ne Domine? Tam iniquus ego ſum, & tam „ingratus, ut tali indigeam mandato? Poſtquam à te fa„ctus ſum, & tanto pretio redemptus, poſt tot & tanta „beneficia, quæ mihi quotidiè præſtas, opus eſt mandato, „ut diligam te? Confundis me utique Domine, & hoc tuo „mandato valdè me convincis. Sed ò ſuave nimis, & dul„ciſſimum mandatum! ò jucundum & leve præceptum! „Gratias tibi, gratias tibi Domine pro tam benevolo & tam „grato mihi mandato. Spontè currenti calcaria addidiſti. „Et quid mihi gratius, quàm amare te? Quid jucundius „quàm te diligere? Et quis poteſt non amare te Domine „mi? Si præciperes, ut non diligerem te, hoc mihi impoſſi-

„ poſſibile & intolerabile videretur. Tolerabilior propemo-
„ dum infernus eſt, quàm non diligere te. Cùm enim de
„ inferni cruciatibus ſermo incidit, quòd animum meum
„ præ ignibus & tormentis omnibus magis terret, hoc eſt,
„ quòd, ut fertur, qui illic cruciantur, miſerrimi oderunt
„ te & maledicunt. O miſeras & infelices creaturas, quæ ta-
„ lem vicem rependitis auctori veſtro, Deo veſtro! Abſit,
„ abſit hoc à me, ut unquam te diligere ceſſem. *Si oblitus*
„ *fuero tui Deus meus, oblivioni detur dextera mea: ad-*
„ *hæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi*
„ *non propoſuero* te Domine mi, *in principio lætitiæ meæ.*
„ *O quàm bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde!*
„ Attendite fratres chariſſimi, attendite & videte, qua-
„ lia præcepta nobis injungit Deus noſter, non aſpera & dif-
„ ficilia, non gravia & importabilia. Non quidem jugula-
„ re filios, ut olim crudeliſſimi dæmones idolorum culto-
„ ribus præcipiebant: non lacerare carnes verberibus, non
„ pedibus nudis ſuper ferreos tribulos ambulare. Sed quid?
„ [u] *Hoc eſt,* (inquit,) *præceptum meum, ut diligatis invi-*
„ *cem.* [x] *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.*
„ [y] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex*
„ *totâ animâ tuâ.* Nihil aliud peto, nihil aliud impono,
„ nihil aliud à vobis requiro. Solum amorem flagito, hoc
„ ſolo pro tot beneficiis & donis contentus ſum. O homo
„ ama, & regna: ama, & omnia quæ habeo, tua ſunt.
„ Audiſtis unquam aliquid clementius, aut benignius? Au-
„ diſtis unquam tam clementiſſimum & benigniſſimum Do-
„ minum, qui à ſervis ſuis hoc ſolùm exquirat obſequium,
„ ut ametur? Si quis rex à domeſticis ſuis pro omnibus do-
„ nis ſuis ſolum repeteret amorem, neque omninò aliud in-
„ jungeret obſequium: quàm pius, quàm clementiſſimus
„ haberetur? Talis eſt rex noſter, fratres, talis eſt Dominus
„ noſter.
„ §. 3. O qualem Dominum habemus fratres mei! Quàm
„ benè hoc noverat, qui dicebat: *Lex Domini immacu-*
„ *lata, convertens animas. Teſtimonium Domini fidele, ſa-*
pien-

u *Jo.* 15. x *Jo.* 13. y *Matth.* 22.

„*pientiam præſtans parvulis. Juſtitiæ Domini rectæ lætifi-*
„*cantes corda: Præcepta* (inquam) *Domini deſiderabilia ſu-*
„*per aurum & lapidem pretioſum*, &c. Quid enim ju-
„cundius, quid dulcius, quàm amare? quid ſuavius?
„quid levius? Quid eſt vita ſine amore, niſi atrociſſima
„mors? Qui non amat, etiam dum vivit; mortuus à cor-
„de eſt: Vita enim cordis amor eſt. Quis excuſari poterit
„à tali præcepto? O quàm juſtè damnatur æterno ſuppli-
„cio, qui perpetuò maluit ardere, quàm amare: ſi enim
„ex charitate diligeret, in inferno non arderet. Nimis,
„non dico te; ſed ſe ipſum odiſſe convincitur, qui potiùs
„elegit ardere, quàm diligere. Quid vidiſti in Deo tuo,
„ò damnate, quid vidiſti, qui, ne diligeres, ardes? Quam
„excuſationem afferre poteris in judicio, qui neque juſſus
„quidem infinitam Dei bonitatem amare paruiſti? Non
„maria ſulcare præceptum eſt tibi, non penetrare nubes,
„non nudis pedibus ulteriorem Indiam adire: de cellario
„cordis implere poteras præceptum, & contempſiſti. Quid
„dicturus es in poſtremo illo examine? Quid ad tam im-
„menſam clementiam reſponſurus? Hoc eſt, quod Domi-
„nus per Eſaiam populo ſuo exprobrat, dicens: [a] *Non me*
„*invocaſti Jacob, neque laboraſti in me Iſraël. Non obtu-*
„*liſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glori-*
„*ficaſti me. Non te ſervire feci in oblatione, neque laborem*
„*tibi præbui in thure. Non emiſti mihi argento calamum, &*
„*adipe victimarum tuarum non inebriaſti me. Veruntamen*
„*ſervire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in*
„*iniquitatibus tuis.* Ac ſi diceret: Non tibi aſpera præce-
„pta dedi, non tibi gravia onera & importabilia impoſui,
„non omnem tuam ſubſtantiam in meis ſacrificiis & oblatio-
„nibus expendere præcepi. Facilia ſunt, quæ imperavi tibi,
„& tu pro nihilo habuiſti præcepta mea, & in peccatis tuis
„triginta tres annos ſervire me feciſti, & ad ultimum pro
„te abjectiſſimam & acerbiſſimam mortem ſufferre. Uti-
„que ſi gravia tibi imperaſſem, & facere debueras: quan-
„tò magis, quia non dixi tibi, niſi, ama & regna. Hæc

[a] *Eſai.* 43.

„ omnia ad populum novum, quem creavit ſibi, id eſt,
„ Chriſtianum: cui, quia ipſe ſacrificium & hoſtia eſt, nul-
„ lum aliud ſacrificium impoſuit, ſicut veteri illi Hebræo-
„ rum populo, ſed ſuum duntaxat indixit amorem.

„ §. 4. O quàm juſtum & æquum eſt Domine, ut amet
„ te opus tuum, quod feciſti, opus quod plaſmaverunt ma-
„ nus tuæ. Gratìs feciſti illud, nec tibi opus erat, ut face-
„ res illud, ſed ſpontaneâ voluntate illud creaſti: ad quem
„ igitur niſi ad te debuit eſſe converſio ejus? Si pictor ima-
„ ginem pulchram depingeret in tabulâ, & illi viſum dare
„ poſſet, & ſenſum, ut ſe ipſam, pulchritudinem ſuam,
„ & pictorem ſuum agnoſceret, & coram ſe poſitum vide-
„ ret, quo amore, quâ benevolentiâ, exiſtimas, diligeret
„ ipſum? aut quid aliud imago illa toto conatu ageret, quàm
„ amare, laudare, colere & venerari pictorem ſuum, à quo
„ habuit, ut eſſet, & tam pulchra eſſet? Numquid, ob-
„ ſecro non tota in amorem ejus incandeſceret? Numquid
„ non die noctúque pro tanto beneficio illi gratias ageret?
„ Et tu homo non ſolùm hujus tanti & tam mirifici pictoris
„ imago es, quia ipſe te fecit: ſed quòd valdè majus eſt,
„ quia in te ſeipſum depinxit, ad imaginem enim ejus pla-
„ ſmatus es, ut ipſa te ſimilitudo ad amorem ejus ampliùs in-
„ citaret. Quanti igitur piaculi reus es, ſi tantam neglexeris
„ gratiam, & tanti immemor fueris beneficii? Illi namque
„ debes quicquid es, quicquid potes, quicquid ſapis, te
„ totum denique. Cui enim debetur fructus, niſi ei, qui
„ plantavit arborem? illi igitur integrum debes amorem, qui
„ tibi amandi præſtitit facultatem: illi debes omnes cogita-
„ tiones, qui vim intelligendi animæ tuæ inſeruit: illi debes
„ deſideria omnia tua & appetitus, qui appetendi deſideran-
„ dique potentiam in te plantavit. Si quam igitur cogitatio-
„ nem, ſi quam dilectionem in alio expendis, ſi quid aliud
„ cupis aut ſapis, ſi quid agis vel meditaris, quod non ipſe
„ eſt, aut propter ipſum eſt, fur es & latro, & alienum eſt,
„ quod prodigis. Undè & in judicio non ſolùm de verbo
„ otioſo, ſed etiam de cogitatione vagâ, & deſiderio vano
„ rationem reddere cogêris: illi enim, qui tibi præſtitit, ut

„ eſſes,

„ eſſes, omnis actus & operatio tua jure debetur. Non igi- „ tur tibi fit injuria, ſi à te exigitur, ut ex toto corde, & „ ex totâ animâ, & ex omni mente diligas ipſum, ac ex te „ toto. Denique quia totus illius es: tres enim potentias, „ velut tres plantas in te plantavit altiſſimus, intellectum „ ſcilicet voluntatem & ſenſum; horum trium à te jure ſuo „ fructum expoſcit, cùm præcipitur: *Diliges Dominum* „ *Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, & ex* „ *omni mente tuâ.*

„ §. 5. Satis (ut opinor) innotuit ex dictis bonitas & cle- „ mentia præceptoris talia præcepta populo ſuo largientis. „ Non poteſt de illis dici, quod de aliis quondam dictum „ fuit: Dedi eis præcepta non bona, & juſtitias, in qui- „ bus non vivent. A bono enim & optimo præceptore, bo- „ na & optima præcepta expectanda erant. Nam & illa, de „ quibus ait, quòd bona non erant, propter ſubditorum „ inertiam bona non erant: quia ſcilicet perfectiorum præ- „ ceptorum capaces non erant: erant tamen pro tempore & „ populo illi bona. Undè & populo novo, novum quoque „ injungit mandatum, dicens: *Mandatum novum do vo-* „ *bis ut diligatis invicem.* Quomodò Domine novum eſt, „ quod tamdiu à te datum eſt? Utique novum; quia non „ accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore; ſed ſpiritum adop- „ tionis filiorum, in quo clamatis, Abba, Pater: lex enim „ amoris eſt; non timoris, quam vobis præſto. Novum „ ergo eſt; quia novo modo datum eſt, non in tabulis la- „ pideis; ſed in tabulis cordis ſcriptum. Novo etiam modo „ impletum eſt: Deo enim nos uſque ad mortem crucis di- „ ligente, dum tam inſignem erga homines oſtendit amo- „ rem, didicerunt homines novo modo amare illum, cu- „ jus tam novam & inauditam experti ſunt dilectionem. „ Vetus ergo & novum eſt mandatum dilectionis, ut ait „ Joannes in epiſtolâ. Vetus quoad traditionem: novum „ quoad vim amoris & intenſionem. Jam enim homines & „ ſe & ſua pro Dei amore libenter exponere cœperunt, ex „ quo ipſum flagranti amore pro eis in cruce pendêre, Apo- „ ſtolis prædicantibus, audierunt.

„ §. 6. Eſt quoque aliud non minùs in iſto præcepto pon-
„ derandum, quod Dei magnificentiam largitatemque de-
„ monſtrat, videlicet, quòd pro tam leni ac ſuavi manda-
„ to, grande nimis & æternum præmium repromittitur.
„ Teſtis eſt Apoſtolus, qui ait: [b] *Neque oculus vidit, ne-
„ que auris audivit, neque in cor hominis aſcendit, quòd re-
„ promiſit Deus his, qui diligunt illum.* O ineffabilem lar-
„ gitatem! Amantibus talia promittit. Et quænam remu-
„ nerandi ratio in amore? Quis labor? Quæ moleſtia? Quæ
„ difficultas? Quod diſpendium eſt amare? Ipſe amor ſibi
„ grande præmium eſt: omnibus enim deſiderabilibus amor
„ amabilior eſt: & tamen illi adjungitur remuneratio. Mira
„ res, das amorem, & pro amore paradiſum donas. Das,
„ quia dediſti: das, ut des gratiam pro gratiâ, donum pro
„ dono. Cùm enim merita noſtra præmias, quid, quàm
„ tua dona, præmias? Nam meritum noſtrum donum quo-
„ que tuum eſt. Quis non admiretur ſuper tantâ dignatione
„ tuâ? Veluti ſi cui famelico favus mellis, aut ſuaviſſimus
„ cibus apponatur, &, ut comedat, aureus ei condonetur
„ nummus: aut ſi cui valdè ſitienti, ut deſideratum pocu-
„ lum bibat, pretium promittatur. Sic nobiſcum agis Do-
„ mine, quando ſitientibus amorem tuum & ipſum gratìs
„ præſtas, & pro ipſo inſuper gloriam repromittis. Quo-
„ modò adhæret tibi ſedes iniquitatis, ò magnificentiſſime
„ Deus, qui fingis laborem in præcepto? in præcepto in-
„ quam ſuavi & jucundo amoris tui laborem fingis, ut præ-
„ miandi habeas occaſionem: & non laborioſum remuneras
„ quaſi laborioſum, tanta eſt aviditas præmiandi. Quomo-
„ do ergo tam bonus & liberalis Dominus ſervis ſuis juſtam
„ mercedem denegabit, qui non laborantibus, quaſi labo-
„ rantibus præmia repromittit? Talis enim Domine eſt a-
„ mor tuus & tantus, & pro illo adipiſcendo quantumlibet
„ gravia ac dura tormenta libenter ſuſtinenda eſſent, & ta-
„ men non ſolùm gratìs das illum; ſed etiam paradiſo præ-
„ mias eum.

„ §. 7. Jam enim quanti æſtimandum eſt, quòd non ſo-
„ lùm

b 1 *Cor.* 2. & *Eſai.* 64.

„ lùm amari à me non dedignaris; verùm etiam ſtrictiſſimè
„ à me hoc exquiris? Quis ego ſum Domine, aut quæ eſt
„ ſubſtantia mea, ut ſic à me cupias amari, quòd æternos
„ cruciatus, & ignes atroces mihi, ſi te non dilexero, mi-
„ niteris? Tantus ne ego ſum coram te Domine, ut tanti
„ facias à me amari? *Quid eſt homo Domine, quia innotuiſti*
„ *ei, aut filius hominis, quia ſic reputas eum?* Ecce coram
„ te millia millium Angelorum in amore tuo flagrantium, &
„ tibi curæ eſt de vili vermiculo ſuper terram repente, ut te
„ diligat? Gratias tibi ago Domine, quia ſic reputas me.
„ Sed non pro te; ſed pro me amari vis à me: quia enim di-
„ ligis me, ideò diligi vis à me. Noſti enim quia in amore
„ tuo mihi ſalus omnis & vita eſt. Ob hoc igitur exquiris a-
„ morem, ut præſtes vitam. *Hæc eſt enim vita æterna, ut*
„ *cognoſcam te, & cognoſcendo diligam te, & quem miſiſti*
„ *Jeſum Chriſtum.* Ut enim nemo à vitâ excluderetur,
„ vitam in amore poſuiſti, quoniam cunctis præſtò eſt ama-
„ re te. Et quàm piè, quàm miſericorditer hoc feceris Do-
„ mine, quis verbis explicare valebit? Si enim in alio quo-
„ vis opere noſtra conſiſteret ſalus, excluderentur nonnulli,
„ excuſarentur plurimi, quibus tale opus non eſſet aut poſſi-
„ bile aut facile. Sicut ſi in eleëmoſynarum largitione ſalvos
„ nos eſſe voluiſſes, excluderetur egenus: ſi in jejunio, ex-
„ cluderetur ægrotus: ſi in labore, excluderetur debilis: ſi
„ in doctrinâ, excluderetur idiota: ſi in contemplatione,
„ excluderetur agricola: ſi in virginitate, excluderetur u-
„ xor: ſi in paupertate, excluderetur dives: & ita de aliis.
„ At verò ab amore quis excluditur, aut quis legitimè excu-
„ ſatur? Sapientibus & inſipientibus, divitibus ac pauperi-
„ bus, pueris & ſenibus, omni ſtatui, omni ſexui, omni
„ ætati communis eſt amor: nullus ſenex ad amorem, ne-
„ mo pauper ad amandum. Quis enim amare neſcit, aut ne-
„ quit? Ubique & omni tempore amor omnibus præſtò
„ eſt, ſive comedas, ſive bibas, ſive ambules, ſive ſedeas,
„ ſive labores, ſive quieſcas, quomodocumque te habeas,
„ & quocumque te vertas, ſi libet amare, potes, neque te
„ quidpiam ab amore valet impedire: adeò enim amor tuus

„ eſt, ut ſubripi non poſſit invito. Teſtes tibi ſunt Marty-
„ res, & exempla, quibus vita ſurripi potuit; amor autem
„ nunquam. Libentiſſimè enim vitam dederunt, ne darent
„ amorem: quia amor vitâ pretioſior eſt. Piiſſimus itaque
„ Deus, mundi hujus rectiſſimus moderator & rector, ſic
„ omnes ad vitam condidit, & ità omnium ſalutem concu-
„ piſcit, ut ad eam obtinendam nemini viam præcludat.
„ §. 8. Et ideò licèt in his vilibus, abjectis, & floccipen-
„ dendis bonis, quæ tempore tranſeunt, impares nos con-
„ ſtituit & fecit, neque pro libito donat cuique, quod pe-
„ tit; attamen in veris & legitimis bonis, quæ ad ſalutem &
„ vitam æternam ſpectant, neminem fecit egenum: ſed pa-
„ rem omnibus indidit faculatem ac libertatem integram, ut
„ diteſcat in eis, quicumque voluerit, & pro ſuo arbitrio
„ tam magnus fiat, quantùm ſe ad gratiam diſpoſuerit. Ea
„ enim bona, quæ homines in hoc triſti ſæculo & extollunt
„ & magni faciunt, apud Deum pro nihilo reputantur, ac,
„ veluti furfures, in domo Dei ſunt abjecta nimis & contem-
„ ptibilia: quæ autem vera ſunt bona, cujuſque arbitrio
„ cum ipſius gratiâ reſervavit. In utroque pius, in utroque
„ juſtus: ut omne os obſtruatur, & omnis iniquitas oppilet
„ os ſuum, neque ullam habeat rationabilem & juſtam ad-
„ versùs Deum querimoniam, quantumvis proterva mali-
„ tia. Horum autem omnium bonorum culmen tenet a-
„ mor: nihil enim in totâ domo Dei amore ſuo pretioſius,
„ nihil præſtantius. Hoc omnium donorum Dei maximum
„ eſt donum ſuper omne donum, quod non præſtatur niſi
„ amicis, imò donum ipſum amicitiæ: *Ego* (inquit) *dili-*
„ *gentes me diligo.* O pretioſam margaritam, quam qui in-
„ venit homo, vendit omnia quæ habet, & emit eam! O
„ præſtantiſſimum theſaurum, quem qui poſſidet, etiamſi
„ omnibus careat, dives eſt: quo qui caret, etſi cætera o-
„ mnia habeat, pauper eſt! Verè *ſi dederit homo omnem ſub-*
„ *ſtantiam domûs ſuæ pro dilectione, quaſi nihilum deſpiciet*
„ *eam.* Beatus namque ille eſt, quem tu ditaveris Domine,
„ & de amore tuo locupletaveris eum.
„ §. 9. Hic eſt enim fons proprius, cujus non eſt particeps
„ alie-

„ alienus: hæc veſtis nuptialis, quam qui in nuptiis non ha-
„ bet, mittitur in tenebras exteriores: hoc operimentum
„ eſt, quo omnis peccatorum multitudo operitur: hæc ſa-
„ cra unctio, quæ docet nos de omnibus: hic eſt ignis, quem
„ Dominus venit mittere in terrram; & quid vult niſi ut ar-
„ deat? *De excelſo* (inquit Propheta) *miſit ignem in oſſibus*
„ *meis, & erudivit me.* De cœlo mittitur iſte ignis, non
„ de noſtro promitur. Et ideò, ò maxime & optime Jeſu,
„ ſi amari te jubes, da quod jubes, & jube quod vis: quia
„ licèt jucundum & valdè jucundum ſit mihi amare te; ſed
„ tamen ſupra vires, ſupra facultatem meam & naturam eſt
„ amor, quem præcipis, dilectio quam requiris: ſuperna-
„ turalis namque eſt, tuo dono; non meo arbitrio, poſſi-
„ denda. Neque tamen ex hoc excuſatio mihi ulla eſt, ſi
„ non dilexero te: tuam enim volenti dilectionem neque
„ denegas, & petentibus ipſam liberaliter præſtas. Videre
„ non poſſum ſine luce, & tamen in meridie ſi non videro,
„ oculos habens clauſos, culpa mea eſt; non defectus in ſo-
„ le, cujus clara lux omnia illuſtrat. Ità eſt omninò in amo-
„ re tuo Domine.

„ §. 10. Quis mihi det, ut omiſſis omnibus hanc ſolam
„ inquiram margaritam: hanc totis viribus & omni conatu
„ mihi procurem. O mortales, ò curvæ in terras animæ, &
„ cœleſtium inanes, quid periturìs his intenditis bonis, &
„ perpetuam hanc ſpecioſiſſimamque gemmam inſpicere ne-
„ gligitis? Quantùm deſudant, quos non libenter labores
„ ferunt miſeri homines in acquirendâ ſcientiâ, quæ deſtrui-
„ tur? O ſi ità Dei perquirerent dilectionem, quæ quantò
„ melior & utilior ſcientiâ ſit, dies ultimus demonſtrabit.
„ Quia hic amor non ſolùm in ſe ipſo pretioſus eſt; ſed etiam
„ omnium aliorum pretium eſt. Quid ſcientia, quid elo-
„ quentia, quid oratio, quid eleëmoſyna, quid jejunium,
„ ſive quodlibet aliud opus ſine charitate valeat, Apoſto-
„ lum audi, qui fidem transferentem montes, & angelicam
„ linguam, & martyrii agonem, & omnem facultatum elar-
„ gitionem ſine charitate pro nihilo reputat. Vetula illa, quæ
„ duos obolos miſit in gazophylacium, plus omnibus mi-

„ ſit, quia plùs omnibus dilexit. Et Deus noſter non re-
„ ſpicit quantum, ſed ex quanto. Affectum ponderat, non
„ cenſum. Hic eſt ille ſiclus ſanctuarii, quo omnia ponde-
„ rantur: ità enim habes in Levitico: *Omnis æſtimatio ſi-*
„ *clo ſanctuarii ponderabitur.* Et ſicut fiebat in illo myſti-
„ co, ità fit in hoc vero, quod præfigurabatur, ſanctua-
„ rio: Omnia donaria ſiclo amoris ponderantur. Tantum
„ habiturus es in illo gloriæ & honoris, quantum hinc de-
„ tuleris gratiæ & amoris. Menſura plena reddetur tibi; ſed
„ tamen hoc ſiclo ponderata. Cave ne appenſus in ſtaterâ in-
„ veniaris minus habens, & pereas. Hoc igitur nunc maxi-
„ mè cura, hoc præ omnibus in hâc mortali vitâ ſatage, ut
„ iſto ſiclo non careas, ut hoc dilectionis theſauro abundes,
„ ut hâc margaritâ locupleteris: id eſt, ut amorem teneas,
„ amorem augeas, amorem in te confirmes. Vacuum enim
„ & otioſum eſt omne tempus, quod in hoc non expendi-
„ tur: vacuum & ſine fructu eſt omne opus, quod ad hoc
„ non dirigitur. Nunc autem etſi valdè conemur, ex parte
„ diligimus, & ex parte deſideramus, neque perfectè à no-
„ bis impletur, quod præceptum eſt: *Diliges Dominum*
„ *Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, &*
„ *ex omni mente tuâ. Corpus enim, quod corrumpitur, ag-*
„ *gravat animam*; & ſenſus hominis ſuo pondere ad iſta
„ inferiora deflectit; neque valet totus intendere, quò cona-
„ tur. Spargitur enim animus per multa, & per quaſdam
„ occultas rimulas, quas vix comprehendere valemus, à ſe
„ ipſo egrediens, per diverſa malè vagatur; luſtranſquè
„ omnia in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos rever-
„ titur: & dum per ſingula malè dividitur, vero illi & ſum-
„ mo bono non totus adnectitur. Sed veniet, veniet ecce
„ tempus ò anima, quando omnis iſte tui cordis motus ceſ-
„ ſabit, & omnis iſta cogitationum inundatio ſedabitur, &
„ ſilebunt omnes fluctus tui, & lætaberis, quia ſiluerunt:
„ *tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor*
„ *tuum.* Mirabitur, inquam, quia contra morem ſuum fi-
„ xum non permutabitur. Tunc veluti carbo tota igniêris,
„ & amore ſuccenſa in Deum tota transformaberis; & ad-

„ hæ-

„ hærens Deo, ſicut ſcriptum eſt, cum eo unus ſpiritus ef-
„ ficieris, dicit Dominus, cujus ignis eſt in Sion, & cami-
„ nus in Hieruſalem: hîc in Sion ignis fumans, ibi in Jeru-
„ ſalem caminus flagrans. Verè caminus, verè fornax, in
„ quo cœleſtium vaſa ſpirituum flagrantiſſimo illó ac poten-
„ tiſſimo igne excoquuntur, conflantur, & transforman-
„ tur in Deum; & ad perpetuum illum & immarceſſibilem
„ gloriæ impetum, & voluptatis torrentem deguſtandum,
„ firmiſſimo robore ſolidantur. Quo nos potare dignetur
„ ipſe amoris dator & præceptor, & ſuper omnes ardentiſ-
„ ſimus amator noſter, Jeſus Chriſtus, cui cum Patre &
„ Spiritu ſancto eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

CAPUT XXIV.

1. *Objicitur contra neceſſitatem divini amoris virtus ſacramentorum. Antequam reſpondeatur, fit præloquium.* 2. *Exponitur doctrina Eſtii circa neceſſitatem contritionis & virtutem ſacramenti pœnitentiæ.* 3. *Illuſtratur ex Patribus Eſtii reſponſio de Lazaro priùs vivificato, quàm ſoluto.* 4. *Cum Eſtii doctrinâ in multis conveniunt moderni Lovanienſes Theologi vel omnes vel illuſtriores: in nonnullis ab ejus doctrina recedunt.* 5. *Sacramenta baptiſmi & pœnitentiæ jure merito nuncupantur ſacramenta mortuorum.*

§. 1. QUi ſolum gehennæ metum, ſi accedat ſacramentum ſive baptiſmi ſive pœnitentiæ, reconciliandis Deo animabus ſufficientem putant, illi doctrinæ, quæ aſſerit, ſine amore, qui Deum omnibus anteponit, adultis non relaxari peccata, aliud opponunt argumentum. Si, inquiunt, amor Dei ſuper omnia ſit neceſſarius ad juſtificationem in ſacramentis conſequendam, ſequitur juſtificationem non ſacramento; ſed uni contritioni, quæ proficiſcitur ex amore, quo omnia terrena atque creata Deo poſtha-

habentur, attribuendam eſſe. Quod probant quia docet Auguſtinus juſtitiam in Dei amore ſitam eſſe. [a] *Charitas*, inquit, *inchoata inchoata juſtitia eſt, charitas provecta provecta juſtitia eſt, charitas magna magna juſtitia eſt.*

Notari velim inprimis hanc objectionem contra adverſarios poſſe retorqueri imponendo ipſis neceſſitatem ſolvendi iſtud argumentum.

Docent adverſarii cum omnibus Catholicis, dolentem de peccatis juſtitiæ amorem ad ſacramentalem abſolutionem meliùs & certiùs diſponere, quàm diſponat timor gehennæ. Unde ait Dominicus à Soto, qui adverſæ opinioni favet, non fidendum in articulo mortis ſoli attritioni, quamvis cum ſuſceptione ſacramenti conjunctæ. Verba ejus ſic habent: „ [b] Et quod poſtremò deterret, eſt, non „ eſſe articulum fidei, ut attriti per ſacramentum fiant „ contriti: non eſt enim expreſſa Evangelica aſſertio, aut „ Eccleſiaſtica definitio. Imo neque apud Auguſtinum a„ liumve illius claſſis auctorem reperitur: ſed eſt Scholaſti„ corum collectio; quæ quanquam ſit vera, non tamen eſt „ digna, cui bilances perpetuæ noſtræ aut ſalutis aut damna„ tionis confidamus.

[c] Suarez verò ait (quamvis & ipſe oppoſitæ doctrinæ adhæreſcat) eam non eſſe certam, illumque gravi peccato ſe implicaturum, qui in extremo vitæ periculo poſitus non ſatageret Deum ſuper omnia diligere, & ex eo amore peccata deteſtari.

Ex omnium ergo ſententiâ amor Dei, qui omnes alios vincit amores, melior ſecuriorque eſt diſpoſitio ad ſacramentalem abſolutionem, quàm ſit timor pœnæ æternæ.

At verò contra iſtam tam adverſariorum quàm cæterorum Catholicorum doctrinam ſic poteſt opponi. Non poteſt ea eſſe optima diſpoſitio ad ſacramentum pœnitentiæ, quâ illud inutile redditur: ſicuti ea non poteſt eſſe optima diſpoſitio aut ad Euchariſtiam aut ad ſacramentum Confirmationis, quâ ſacramentum corporis Chriſti aut Spiritûs ſan-

a *Lib. de nat. & grat. c.42.* b *In 4. ſent. diſt. 19. q.2. a.6.*
c *Tom. 4. in 3. p. ſ. Th. qu. 90. a. 4. diſp. 15. ſect. 4.*

ſancti infructuoſum efficeretur. Atqui juxta adverſarios per contritionem ſive per amorem Dei ſuper omnia ſacramentum pœnitentiæ inutile redditur. Ergo iſta contritio non eſt melior & certior ad ſacramentum pœnitentiæ diſpoſitio.

Hujus argumenti ſolutio ab adverſariis meritò exigitur antequam eorum propoſitæ objectioni reſpondeatur; reſpondebitur tamen: ſed priùs à piis lectoribus adverti velim eſſe nonnulla in Scripturis & traditione dogmata adeò certò contenta & clarè expreſſa, ut fidem eis denegare minimè liceat, tametſi inde nonnulla videantur conſequi, quæ quomodo cum aliis Eccleſiæ dogmatibus componantur, non facilè videri poteſt, & ſæpe in hâc vitâ nunquam videbitur. Peccatum originale tam clarè in Scripturis docetur, & tam conſtanter in Eccleſiâ prædicatur, ut nemo de eo dubitare, & ſimul fidelis eſſe poſſit. Verùm quomodo cohæreat cum divinâ juſtitiâ, ut infans puniatur ob crimen millenos, antequam naſceretur, annos perpetratum, humanus non capit intellectus.

Unitas divinæ naturæ quaſi radiis ſolis in Scripturâ expreſſa; ſed quomodo ea veritas cum Perſonarum divinarum Trinitate conſiſtat, in hâc vitâ à curioſis quæritur, ſed in hâc vitâ nunquam à curioſis invenitur. Duas in Chriſto eſſe naturas Scripturæ teſtantur, Patres prædicant, Concilia confirmant, Catholici confitentur; ſed quòd hæc pluralitas naturarum unitati perſonæ non repugnet, fides credit; ratio, dum ſumus in mortali corpore, minimè comprehendit.

Dogma de neceſſitate divini amoris, ut quis juſtificetur, tam luculenter à Scripturis docetur, tam conſtanter à Patribus aſſeritur, ut de illo diligens Scripturarum lector, & ſtudioſus ſanctorum Patrum diſcipulus nequeat dubitare; tametſi illud dogma necdum illum auctoritatis gradum in Eccleſiâ obtinere videatur, ut ei contradici non poſſit, ſalvâ, quam omnes Catholici debent Eccleſiæ docenti, obedientiâ. Unde etiam omnes antiqui Theologi in illud dogma conſenſerunt; quamvis non pari conſenſu explicaverint

rint quomodo cohæreat cum neceſſitate ſuſcipiendi ſacramenta aut baptiſmi aut pœnitentiæ: ſicut nec hodie Theologi, qui tenent, ſine regnante Dei amore neminem poſſe juſtificari, hâc in explicatione ſibi invicem ſunt concordes.

Horum verò Theologorum tum antiquorum tum modernorum opiniones magis celebres referemus; illam quidem, quam tradit Eſtius celeberrimus hujus ætatis Theologus, & quam penè ſequuntur moderni Lovanienſes Theologi, hocce capite, quas verò amplectuntur alii Scholæ Theologi poſtea ediſſeram.

§. 2. Hæc præfatus, referam primò quæ docet Eſtius circa præſentem difficultatem. Improbat ſententiam Magiſtri, „[d] Cujus, inquit, fundamentum hoc fuiſſe videtur, veram contritionem ſeu pœnitentiam non poſſe ſeparari à remiſſione peccatorum, ſed hanc illi per ſe, & „neceſſariò conjunctam eſſe: ſed hoc fundamentum alio ſolidiore deſtruitur, hôc nimirum; nullius peccati remiſſionem fieri poſſe niſi virtute paſſionis Chriſti, quatenus „eſt ſatisfactoria pro pœnâ illius peccati. Quo circa non „ſufficit ad remiſſionem peccati pœnitentia, ſed præterea „opus eſt ut meritum paſſionis Chriſti homini applicetur „ad conſequendam remiſſionem peccati, cujus jam accepit pœnitentiam: ſunt enim diverſa & diſtincta beneficia „paſſionis Chriſti, converſio ſeu pœnitentia peccatoris, & „peccati ejus condonatio, ità ut homini verè converſo & „pœnitenti adhuc opus ſit peculiari quodam ex Chriſti paſſione beneficio, ut peccatum ei remittatur, quod quidem fit applicando ei ſatisfactionem in cruce factam pro „pœnâ peccato ejus debitâ. Neque enim exigit lex naturæ, ut pœnitenti remittatur peccatum, quemadmodum „facilè probari poteſt ex judiciis humanis juxta normam & „exemplar divini judicii inſtitutis, in quibus non eſt neceſſe iis, qui ex animo dolent ſe peccaſſe pœnas debitas „remittere; ſed pertinet hoc ad gratioſam Dei ordinationem, quâ Chriſtum nobis dedit propitiatorem per fidem „in

d *Lib. 4. ſent. diſt. 17. §. 2.*

„ in ſanguine ipſius, ut ait Apoſtolus Rom. 3. Unde Pa-
„ tres Concilii Tridentini ſeſſ. 22. docent ſacrificium Miſ-
„ ſæ verè propitiatorium eſſe; quòd per ipſum fiat, ut ſi
„ verè corde contriti & pœnitentes ad Deum accedamus
„ miſericordiam conſequamur & gratiam inveniamus in au-
„ xilio opportuno. Idipſum clarè docet Auguſtinus cùm
„ alibi, tum lib. 2. de Serm. Domini in monte cap. 14. Cu-
„ jus, inquit, tanta miſericordia commemorari poteſt,
„ quàm ejus, qui omnia peccata donat converſis? Non di-
„ cit peccatoribus, aut lapſis, aut averſis; ſed converſis.
„ Nam averſis donare peccata non miſericordiæ eſt, ſed
„ perverſi ordinis. Sentit ergo magnæ eſſe miſericordiæ
„ (quæ utique non præſtatur niſi per Chriſtum Dominum
„ noſtrum) quòd peccatoribus jam converſis Deus pecca-
„ ta condonat.

Quærit verò §. 2. quomodo ſit intelligendum, quod ait Concilium Tridentinum: *Etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare priuſquam hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine ſacramenti voto, quod in illâ includitur non eſſe adſcribendam.*
„ Et num id contingat ſemper, an ordinariè, an frequenter,
„ an rarò? Ad quam quæſtionem (inquit) probabiliter
„ reſpondetur, neque ordinariè, neque frequenter, ac
„ multò minùs ſemper, ſed rarò fieri, ut ante actualem ab-
„ ſolutionem peccator ſit abſolutus coram Deo.
„ Jam verò ſi quæratur quando id contingat, quod non
„ ordinariè, ſed rarò contingere fatemur, idem hîc reſpon-
„ dendum videtur quod de baptiſmo, cùm ſit utriuſque
„ ſacramenti, quantum ad effectus conſecutionem par ra-
„ tio. Primum igitur non eſt dubium quin urgente articu-
„ lo mortis, quando ſacerdos haberi non poteſt, in homi-
„ ne verè contrito votum ſacramenti ſuppleat, quod ex par-
„ te ſacramenti deeſt, quemadmodum dictum fuit de ba-
„ ptiſmo; idque juxta certiſſimas Dei promiſſiones has &
„ ſimiles: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus*
„ *erit.* Et, *Cor contritum & humiliatum non deſpicies.*
Quem-

„ Quemadmodum in ep. 77. ad Hugonem ex Auguſtino & „ Ambroſio docet Bernardus. Unde pro pœnitentibus an- „ te manus impoſitionem morte præventis olim offereba- „ tur ſacrificium corporis Domini. Sed præter hunc caſum „ etiam aliàs id contingere non eſt dubitandum (quod & de „ baptiſmate ſuo loco oſtendimus ad diſt. 4.) nimirum quan- „ do occurrit caſus ſcandali, aut alterius peccati incurrendi, „ ſi abſolutio petatur. Item quando quis omninò non po- „ teſt, aut certè difficillimè poteſt opportuno tempore „ adire ſacerdotem, à quo abſolvatur, velut ſi habitet in- „ ter infideles, aut teneatur in vinculis, aut ſimili quopiam „ impedimento prohibeatur. Quamvis enim nondum peri- „ culum mortis inſtet, non tamen veriſimile eſt, ejus re- „ conciliationem, atque in ſtatum gratiæ reſtitutionem a- „ pud Deum differri, qui non eſt in culpâ, nec in morâ, „ quò minùs à Vicario Chriſti abſolutionem petat, præſer- „ tim ſi fervor contritionis deſiderium quoque ſacramenti „ accenderit.

„ An autem ſit certus aliquis gradus intenſionis, ad quem „ cùm pertigerit contritio vel dilectio Dei in catechumeno „ vel pœnitente perpetuâ lege conjunctam habeat remiſſio- „ nem peccatorum, incertum eſt, imò non apparet, tum „ propter Auguſtini ſententiam ex tract. 13. Joan. & exem- „ pla ſupra commemorata; tum quia conſequens videretur „ contritionem aliquam ſine ordine ad claves ſufficere ad „ remiſſionem: tum denique quia, uti diximus, diſtincta „ ſunt beneficia paſſionis Chriſti donum contritionis & pec- „ cati remiſſio, quorum alterum ad alterum ordinatur, ut „ ſupra oſtendimus. Itaque quoties ante actualem ſacra- „ menti ſuſceptionem peccatum remittitur, neceſſe eſt ut „ præter contritionem adhuc miſericorditer ſuppleatur à „ Deo ſacramenti defectus ad conſequendum effectum re- „ miſſionis; atque ità ſive per ſacramentum, ſive per mi- „ ſericordem illam ſuppletionem Deus homini ad remiſſio- „ nem peccatorum applicat Chriſti filii ſui paſſionem tan- „ quam ſufficientem pro pœnâ peccatis debitâ ſatisfactio- „ nem.

Mul-

Multa verò habet notatu digna in reſponſione ad argumenta contrariæ opinionis.

Quintum argumentum fuerat: „[e] Converſio tollit aver-
„ſionem, ergo tollit peccatum, cum peccatum non ſit
„ aliud, quàm averſio hominis à Deo. Ad quod ſic reſpondet: „ Converſio tollit peccatum quantum ad actum & af-
„ fectum, non tamen ſtatim quoad reatum, qui plerum-
„ que permanet donec ſacramento ſolvatur.

Sextum argumentum fuerat: „ Contritio eſt actus cha-
„ ritatis, charitas autem non eſt ſine remiſſione peccato-
„ rum: ergo neque contritio. Reſp. Ex iis, quæ dicta
„ ſunt ad diſtinctionem 27. lib. 3. Manifeſtum relinquitur
„ eſſe quandam charitatem ſeu dilectionem Dei, quà dili-
„ gitur ſicut diligendus eſt, id eſt, ſuper omnia, quæ pec-
„ catorum remiſſionem antecedat, juxta illud Luc. 7. Re-
„ miſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multùm.

Ultimum argumentum ex parte adverſariorum ſic proponit: „ Per veram converſionem peccator vivificatur, er-
„ go & à peccatis ſolvitur; non enim conſiſtere videtur
„ debitum mortis æternæ cum vitâ animæ, quæ eſt juſti-
„ tia. Deinde probant, quia dicitur Ezech. 18. *Si impius*
„ *egerit pœnitentiam vitâ vivet, & non morietur.* Et Jaco-
„ bi 5. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ*
„ *ſalvabit animam ejus à morte.* Et peccatori à Paulo dici-
„ tur Epheſ. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis*, ni-
„ mirum per pœnitentiam. Præterea id ſignificatum vo-
„ lunt per hoc, quòd Lazarus priùs ad vitam revocatus
„ fuit, poſtea verò à vinculis ſolutus. Quem locum ex-
„ ponens Auguſtinus tract. 47. in Joan. & Homil. 27.
„ inter 50. docet peccatorem priùs intus vivificari per ve-
„ ram converſionem, quàm per confeſſionem foras pro-
„ diens abſolvatur à miniſtro Eccleſiæ. Idem habet ſerm.
„ 8. de verbis Domini &c. & poſt Auguſtinum Grego-
„ rius &c. Reſp. Poſtremum argumentum ſolvitur diſtin-
„ ctione duplicis vitæ ſeu vivificationis. Primùm enim
„ vivificatur, id eſt, à morte ad vitam revocatur anima
„ peccatoris, quando ei inſpiratur vera pœnitentia, id
„ quod

„ quod ſignificatum fuit per ſuſcitationem Lazari. Et hanc „ vitam rectè probant auctoritates Scripturæ & Patrum allegatæ. Deinde vivificatur, quando à reatu ſeu obligatione mortis æternæ, quam peccando incurrerat per miniſtros Eccleſiæ abſolvitur, id quod ſignificatum fuit per ſolutionem Lazari jam priùs reſuſcitati Apoſtolorum miniſterio factam, quemadmodum disertè locis citatis docent Auguſtinus & Gregorius. Nam & Scriptura hominem mortis aut virum mortis eum vocat, qui dignus eſt morte, ut 1. Reg. 20. & 26. 2. Reg. 12. Et 3. Reg. 2. Juxta hunc modum Apoſtolus Rom. 6. eos, qui baptizantur, comparat Chriſto ex mortuis ad vitam reſurgenti. Unde Aug. ſerm. 75. de diverſis ad Catechumenos de hâc ſecundâ vivificatione, quæ per ſacramentum fit, loquens: Secundum quam vitam (inquit) vos per Chriſti *gratiam* reviviſcetis à morte quâdam, cui renunciatis, id eſt, à morte peccati, cujus meminit ad Rom. 6. Apoſtolus. Conſiſtit ergo debitum mortis æternæ cum vitâ priori, non autem cum poſteriori, quemadmodum nec cum eâ charitate, quæ facit amicos & filios Dei & hæredes regni ac ſimpliciter juſtos.

§. 3. Sed operæ pretium eſt videre ad quàm multa Patrum loca ſe extendere poſſit illa Eſtii reſponſio de Lazaro priùs vivificato, quàm ſoluto.

Sanctus Irenæus, qui ſecundo poſt Chriſtum ſæculo floruit, poſtquam retuliſſet verba Chriſti dicentis, [a] *Lazare veni foras*, nec non verba Evangelii teſtantis, *Exivit mortuus ligatus manus & pedes inſtitis*; ita ſubjungit: „ Hoc ſymbolum ejus hominis, qui illigatus fuerat in peccatis, & propter hoc ait Dominus: Solvite illum, & dimittite eum abire.

Sanctus Ambroſius reſuſcitatione Lazari ſimiliter utens tanquam figurâ, quæ exprimit animæ reſuſcitationem, virtutem mortuas vivificandi animas uni Chriſto; ſolutionem verò à vinculis, quibus crimina animas implicant, Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus attribuit. [b] *Surgit* (inquit) *defunctus, & ſolvere jubentur ejus vincula, quæ ad-*

[a] *Lib. 5. adverſ. hæreſ. c. 13.* [b] *L. 2. de pœnit. c. 7.*

adhuc in peccato ſunt. His verbis Ambroſius quòd ſurgit defunctus, Chriſto, quòd ſolvitur, Apoſtolis aſſignat.

Eodem paradigmate utitur Auguſtinus, ut declaret quid Chriſtus, & quid ſacerdos circa lapſos operetur. Operationem Chriſti circa ſpiritaliter mortuum indicat, dum ait: [c] *Occultâ gratiâ intus vivificatur, ſurgit poſt vocem magnam, proceſſit ligatis pedibus. In utroque potentia Domini erat, non vires mortui. Proceſſit, & adhuc ligatus eſt, adhuc involutus, tamen jam foras proceſſit. Quid ſignificat? Quando contemnis nempe mandata Dei, jaces mortuus, quando confiteris procedis. Quid eſt enim procedere, niſi ab occultis velut exeundo manifeſtari? Sed ut confitearis Deus facit, magnâ voce clamando, id eſt, magnâ gratiâ vocando.* Deinde inſinuat quid circa peccatorem jam ex gratiâ viventem, jam ſe ipſum accuſando procedentem agat ſacerdos: ,, Cùm proceſſiſſet (inquit) mortuus adhuc liga-,, tus, confitens & adhuc reus, ut ſolverentur peccata ejus, ,, miniſtris hoc dixit Dominus: *Solvite illum, & ſinite abire. Quæ ſolveritis in terrâ, ſoluta erunt in cœlo.*

[d] Eucherius Lugdunenſis cùm hiſtoriam reſuſcitati à Domino Lazari, & ab Apoſtolis ſoluti retuliſſet, *Et hoc* (inquit) *fortaſſe ſignificatio eſt, ut intelligamus, quia peccator, quacumque horâ converſus fuerit, & ingemuerit, vitâ vivet, & non morietur; ligatus tamen adhuc eſſe videtur, donec ab Epiſcopis ſolutus, Eccleſiæ ſacramentis reconcilietur.* His verbis innuit Eucherius non alios ſacramentis Deo reconciliandos à ſacerdotibus eſſe, quàm quos Chriſtus ſuâ gratiâ vivificaverit.

Quod à majoribus didicerat, ſui ævi hominibus tradens Gregorius repetitâ ſimilitudine à Lazari reſuſcitatione per Chriſtum & ſolutione per Apoſtolos, explanat quid per ſe ipſum Chriſtus circa criminibus mortuos, quid per Apoſtolos eorumve ſucceſſores efficiat. Cùm enim docuiſſet ſine cauſarum diſcrimine abſolutionem non eſſe impendendam, nec alios paſtoris ſententiâ poſſe abſolvi, præter eos, quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam vi-

c *Tract. 49. in Joan.* d *Hom. poſt Domin. 4. Quadrag.*

viſitat, quòd tunc duntaxat ſit vera abſolutio præſidentis, cùm æterni ſequitur arbitrium Judicis, tunc hanc ſuam doctrinam exemplo Lazari illuſtrat. „Quod bene (inquit) „prædicta quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat, „quæ videlicet demonſtrat, quia priùs Dominus mortuum „vivificavit, dicens: *Lazare veni foras*; & poſtmodum „is, qui vivens egreſſus fuerat, à diſcipulis ſolutus eſt, ſic„uti ſcriptum eſt. Cùmque egreſſus eſſet qui fuerat liga„tus inſtitis, tunc dixit diſcipulis: Solvite, & ſinite abire. „Ecce illum diſcipuli jam viventem ſolvunt, quem ma„giſter ſuſcitaverat mortuum. Si enim diſcipuli Lazarum „mortuum ſolverent, fœtorem magis oſtenderent, quàm „virtutem. Ex quâ conſideratione intuendum eſt, quòd „illos debemus per paſtoralem auctoritatem ſolvere, quos „auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam „vivificare.

Quid vero ſit peccatorem ſolvere, docent hæc Gregorii verba paulò inferiùs poſita. „Venientem verò foras ſolvant „diſcipuli, ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amove„re, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit.

Sanctus Eligius Gregorii veſtigia premens, non alios ait per ſacerdotes ſolvi poſſe, præter eos, quos divina pietas per compunctionis gratiam à peccandi cupidine abſolvere dignatur. „Ante omnia (inquit ad lapſos Eligius) vobis „ſcire neceſſe, quia licet impoſitionem manuum noſtra„rum accipere cupiatis, tamen abſolutionem peccatorum „veſtrorum conſequi non poteſtis, antequam per com„punctionis gratiam divina pietas vos abſolvere dignatur. „*Tunc enim* (ut dicit Beatus Gregorius) *vera eſt abſolutio* „*præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur Judicis.*

Hæc Eligius, qui deinde relatâ ex Gregorio reſuſcitatione Lazari, concludit non alios, quàm redivivos à ſacerdotibus eſſe ſolvendos.

Laudata quoque Gregorii verba à Patribus, qui Aquiſgrani ſub Ludovico Pio adunati fuerunt, ad longum referuntur, ut ex iis ſacerdotes diſcerent, quouſque ſe poteſtas clavium extendat, & quodnam ſit ſacerdotum circa

pœ-

pœnitentes officium. Habent ergo verba Gregorii ab iſto celebri Concilio laudem & auctoritatem.

Et certè ſicuti decet ut nemo renaſcatur in Chriſto, niſi antea fuerit conceptus, ità nec decet ut reus abſolvatur, de cujus converſione non priùs conſtiterit. Niſi qui conceptus eſt vivat antequam naſcatur, non cum matris gaudio homo naſcitur in mundum, ſed cum ingenti matris dolore abortivum editur tenebris involvendum. Etſi ſacer Judex non converſos abſolvat, non abſolutionis virtutem oſtendit, cum diſcipulis reſuſcitatum Lazarum ſolventibus; ſed cum illis, qui putrida cadavera ſuis inſtitis ſolventes in lucem proferunt, fœtorem ſpargit, & ſanctimoniam corporis Domini, quantum in ipſo eſt, polluit, dum ad ejus epulum cadaveroſos putidoſque criminibus admittere minimè reformidat.

Catechumenos autem priùs ab Eccleſiâ concipi, quàm regenerari, priùs in ejus utero formari, quàm ex ejus utero per baptiſmum proferri præclarè docet Auguſtinus, dum catechumenos ità alloquitur: [k] „Dum per ſacratiſſimum „crucis ſignum vos ſuſcepit in utero ſancta mater Eccleſia, „quæ ſicut & fratres veſtros cum ſummâ lætitiâ ſpiritaliter „pariet, nova proles futura tantæ Matris, quouſque per „lavacrum ſanctum regeneratos veræ luci reſtituat, congruis alimentis eos, quos portat, paſcat in utero, & ad „diem partûs ſui lætos læta perducat: quoniam non tenetur hæc ſententia Evæ, quæ in triſtitià & gemitu parit filios, nec ipſos gaudentes, ſed potiùs flentes. Hæc enim „ſolvit, quod illa ligaverat, ut prolem, quam per inobedientiam ſui morti donavit, hæc per obedientiam reſtituat „vitæ. Omnia ſacramenta, quæ acta ſunt & aguntur in vobis per miniſterium ſervorum Dei, exorciſmis, orationibus, canticis ſpiritualibus, inſufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum, pavor ipſe omni ſecuritate appetendus. Hæc omnia, ut dixi, eſcæ „ſunt, quæ vos reficiunt in utero, ut renatos ex baptiſmo „hilares vos mater exhibeat Chriſto.

k *Lib. 4. de ſymb. ad Catechum. c. 1.*

Quo modo igitur in utero Eccleſiæ concipiuntur, formantur, nutriuntur, ac reficiuntur catechumeni, ut renatos ex baptiſmo hilares Mater Eccleſia exhibeat Chriſto; ita amoris pœnitentis dolore, gemitibus & laborioſis exercitiis vivificari debent pœnitentes & reſuſcitari, ut ſolutos per pœnitentiæ ſacramentum, hilares Mater Eccleſia exhibeat Chriſto.

Non difficile foret plures Patres recenſere, qui dum Gregorii verba laudando referunt, etiam docent non eſſe in arbitrio ſacerdotum quoſvis ſolvere, ſed eos ſolùm, quos Chriſtus ſuâ gratiâ reſuſcitando vitæ reſtituit; verùm illuſtrandæ Eſtii celeberrimi Theologi doctrinæ, hæc, quæ adduximus, pauca abundè ſufficiunt.

§. 4. Eſtium ſequuntur Lovanienſes Theologi in multis, iiſque præcipuis; in nonnullis ab ejus doctrinâ videntur recedere. Cum Eſtio docent, cor ad Deum converſum eſſe oportere, ut etiam in ſacramento pœnitentiæ cum Deo reconcilietur, aut juſtificetur; eamque cordis converſionem à Deo inſpirari ſine ſacramenti adjutorio aut miniſterio, quemadmodum ab Eſtio doceri vidimus vivificari animam, id eſt, à morte ad vitam revocari, quando peccatori inſpiratur vera pœnitentia, antequam miniſterium ſacramenti impendatur.

Id claris verbis docet Chriſtianus Lupus Doctor facultatis Theologicæ Lovanienſis. [m] „Solus (inquit) ſine aſ„ſumpto in miniſteriale adjutorium ſacramento, Deus ſo„lam actualem ſuæ dilectionis & contriti cordis vitam pec„catoribus inſpirat recipiendæ jam laudatæ habituali vitæ „diſpoſitionem penitùs neceſſariam; atque ità lucet ſine „hâc ad iſtam nemini patere ingreſſum. [n] Teſtaturque in„feriùs, ſemper docuiſſe Eccleſiam ſine Dei ſuper omnia „charitate neminem poſſe juſtificari.

Hinc meritò ſentiunt moderni Lovanienſes Theologi, vel omnes, vel illuſtriores, hominem in peccatum mortale prolapſum, non poſſe iſtius remiſſionem accipere, etiam per ſacramentum baptiſmi aut pœnitentiæ, niſi antè con-

m *Diſſert. dogm. de contr. & attrit. cap. 3.* n *Cap. 17.*

convertatur ad Deum per amorem Dei, qui ſuperet in illo omnem amorem creaturæ, quem Dei amorem rectè prædominantem vocari dicunt, prædominantem ſcilicet omni amori creaturæ, qui cor iſtius hominis poſſidet. Non eſſe tamen neceſſarium (ut patet ex S. Petro antè lapſum) ut ſuperet omnem amorem, quem homo iſte per cordis mutationem acquirere poteſt. Hoc ſenſu dicunt ad juſtificationem à peccato mortali, etiam cum ſacramento pœnitentiæ requiri amorem Dei ſuper omnia, quem aliqui vocant, affectu ſuper omnia, non effectu; affectu, quia cor illo amore poſſeſſum plus Deo & obſervantiæ mandatorum ejus affigitur, quam ulli creaturæ; non effectu, quia non eſt neceſſe, ut omnem tentationem, quæ ſupervenire poteſt, ſuperare valeat, Quod verò antedicto ſenſu requirant amorem Dei ſuper omnia, idcircò eſt, quia fieri non poſſe docent, ut homo juſtificetur niſi finem ultimum conſtituat in Deo, quandoquidem finem ultimum conſtituendo in creaturâ, hoc ipſo, inquiunt, habeat affectum mortaliter peccaminoſum, adeoque non fiat quod Concil. Trident. requirit, ut voluntas peccandi excludatur. Talem verò ac tantum amorem Dei prærequiri in pœnitente ante abſolutionem ſentiunt, non verò ab abſolutione demum effici, ut talis ac tantus in pœnitente exiſtat.

Docent præterea cum Eſtio neminem ordinariè juſtificari abſque ſacramenti actuali miniſterio, quòd per illud demum gratia habitualis conferatur, quam ſanctificantem vocant. Hanc eſſe juſtificationis ordinariæ legem à Chriſto in Eccleſiâ inſtitutam exiſtimant, idque ab Auguſtino inſinuari, dum docet, [a] Catechumenum, quantumcum-
„ que proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portare,
„ nec illi dimitti, niſi venerit ad baptiſmum. Et alibi:
„ [b] Omnia peccata ſuper illos (catechumenos) eſſe, & niſi
„ venerint ad ſalutarem baptiſmum, ubi peccata ſolvun-
„ tur, cum omni ſuâ excellentiâ, non poſſe intrare in re-
„ gnum cœlorum.

Docent interim ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4.

[a] *Tract. 13. in Joan.* [b] *Tract. 4. in Joan.*

Contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingere, hominemque Deo reconciliare priuſquam ſacramentum actu ſuſcipiatur. Dum ſcilicet juxta Catechiſmi Romani doctrinam, quam magni faciunt, & ſequuntur, contritio illa adeo vehemens, acris, atque intenſa eſt, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit.

Verùm in hoc tantillum ab Eſtio recedunt, ut, cùm exiſtiment ad Catechiſmi Romani mentem & ſenſum, ſoli contritioni cum ſacramenti voto ad certum aliquem gradum intenſæ perpetuâ lege conjunctam eſſe remiſſionem peccatorum; doceat Eſtius loco à nobis ſuperiùs relato, id incertum eſſe, imò ſibi non apparere.

Præterea non dubitat Eſtius, quin urgente articulo mortis quando ſacerdos haberi non poteſt, in homine verè contrito votum ſacramenti ſuppleat, quod ex parte ſacramenti deeſt, alioſque caſus enumerat, in quibus idem contingere, cenſet non eſſe dubitandum, præſertim ſi fervor contritionis deſiderium quoque ſacramenti accenderit. At verò niſi fervor ille contritionis talis fuerit, qualem debere eſſe judicat Catechiſmus Romanus, ut peccator extra ſacramentum juſtificetur, non tam affirmatè loquuntur ac Eſtius, nonnulli ſaltem ex modernis Lovanienſes Theologi de eo, quòd ſine actuali ſacramento etiam in caſu mortis operatur Deus per ſacramenti votum in verè contritis. Quanquam omnium veluti nomine pronuntiaſſe videatur Chriſtianus Lupus, dum propoſitâ ſibi quæſtione: c *An iſtud deficientis ſacramenti ſupplementum divina miſeratio per ſtatam atque infallibilem legem faciat omni contritioni imperfectæ*; adductiſque pro parte affirmativâ multis argumentis, his verbis concludit: *Quicquid* ſit, (inquit) pium hunc de divinâ in nos *peccatores clementiâ ſenſum* (nimirum de ſacramenti ſupplemento) *paſſim omnes hodie tenemus.*

Denique ab Eſtio differunt Lovanienſes Theologi, quòd diſſolutio reatûs pœnæ æternæ Eſtio ſit proprius & particularis effectus ſacramenti pœnitentiæ, licèt non diffiteatur etiam

c *Cap.* 8. *diſſert*,

etiam per ſacramenti miniſterium conferri gratias habituales & ſanctificantes, & illam charitatem, quæ facit amicos & filios Dei, & hæredes regni, ac ſimpliciter juſtos.

Lovanienſes verò Theologi præter amorem prædominantem, quem ad informandam contritionem à ſolo Deo inſpirari cenſent cætera omnia actuali ſacramento adſcribenda ordinariè exiſtimant. Abſolutioni enim ſacramentali veluti principalem effectum tribuunt gratiæ habitualis & ſanctificantis infuſionem, quâ ſecundum ipſos deletur culpa mortalis; & reatûs pœnæ æternæ ſolutionem veluti conſequentem effectum, quòd ſcilicet gratia habitualis cum debito mortis æternæ non conſiſtat. Eſtius autem credidit abſolutionis ſacramentalis miniſterio, ordinis ad gratiam habitualem nullâ aut non tantâ habitâ ratione, directam condonationem reatûs pœnæ æternæ fieri per virtutem ſcilicet paſſionis Chriſti, quæ applicatur in ſacramento, quatenus eſt ſatisfactoria pro pœnâ illis peccatis debitâ, quæ pœnitens confeſſus eſt.

Hactenus Eſtii doctrinam expoſuimus, & ejus, quam modò Lovanii paſſim doceri percepimus, cum illâ conformitatem, & differentiam. Neceſſitati amoris pœnitentis favet conformitas, differentia non nocet, nec attingit.

Neutram verò opinionem efficaciæ ſacramentorum quidquam detrahere, evidentius eſt, quàm ut probari indigeat, cùm abſque ſacramentis, ut ex utrâque opinione demonſtrari poteſt, nullus, etiam contritus, à perpetratis criminibus de lege communi abſolvatur.

§. 5. Unde ſacramenta mortuorum ſecundum illos Theologos jure meritò nuncupantur baptiſmatis ac pœnitentiæ ſacramenta, quæ ad peccatorum remiſſionem ſingulari ratione inſtituta ſunt. Quamvis enim peccator, qui de commiſſis in Deum offenſis ex corde dolens eum tanquam juſtitiæ fontem diligit, jam Deo vivere incipiat, & Dei vivificante Spiritu motus & excitatus uni Deo ſervire ſtudeat, & in ejus viis ambulare, quæ alicujus vitæ actus & ſigna ſunt, nondum tamen plenè vivificatus eſt; ſed adhuc æternæ damnationis, quæ animæ ſecunda mors eſt, reus;

reus; imò & juxta Lovanienſes, & culpa ipſa manet, donec in baptiſmi vel pœnitentiæ ſacramento & culpa deleatur & reatus pœnæ æternæ diſſolvatur.

Ut verò concedamus aliquid eſſe difficultatis in iis conciliandis opinionibus, quæ modò à nobis referendæ ſunt, cum virtute & efficaciâ ſacramentorum, nihil ex hoc derogari certum eſt iſtius opinionis auctoritati, quam hucuſque de amoris pœnitentis neceſſitate commendavimus. Neque enim diffitemur de amoris pœnitentis efficaciâ in ſcholis inter Theologos diſputari, verùm de iſtius amoris ad juſtificationem peccatoris neceſſitate, à ſaniori ſaltem doctrinâ imbutis exiſtimamus perperam dubitari.

CAPUT XXV.

1. Exponitur Doctrina illorum Theologorum, qui exiſtimant ab amore Dei ſuper omnia ſejungi non poſſe remiſſionem peccatorum. 2. Quâ ratione doctrinam ſuam cum efficaciâ ſacramentorum componunt. 3. Hanc in charitate prærogativam agnoverunt Patres & Concilia ut ſola ſufficiat ad ſalutem, ſi neceſſitas, non contemptus ſacramenta excludat. 4. Patres plerumque loquuntur magnificè de Charitatis merito. 5. Explicatur Concilii Tridentini Canon. 6. Quo ſenſu juxta eorum Theologorum opinionem, quæ hoc capite refertur, baptiſmus & pœnitentia ſacramenta mortuorum dici poſſunt.

§. 1. QUam ſuperiori capite diximus paſſim Lovanii de amore pœnitente doceri opinionem, ea eſt in Belgio communior apud eos ſaltem, qui amorem Dei inchoatè regnantem ad juſtificationem neceſſariam exiſtimant. Non deſunt tamen inſignes Theologi, imò & eximii Eccleſiæ Præſules, quibus magis placet ea opinio, quæ pœni-

nitentis juſtificationem contritioni cum voto ſacramenti adſcribit, hoc eſt, dolori de peccatis ex amore Dei propter ſe ſummè & prædominante affectu dilecti, in quocumque intenſionis gradu amor ille fuerit.

Et hujus quidem opinionis fundamentum ei omninò contradicit, cui innituntur Eſtii & Lovanienſium à nobis expoſitæ opiniones. Neque enim exiſtimant hujus opinionis patroni (& in hoc pleroſque antiquos ſcholaſticos conſentientes habent) illum amorem, qui totum cor ad Deum verè convertit, à remiſſione peccatorum disjungi poſſe, aut unquam ſeparatum eſſe, nec eò ſe patiuntur adduci, ut credant eum æternæ pœnæ reum eſſe, qui Deum pluſquam cætera diligit. In his, inquiunt, ſecunda mors, quæ animæ à Deo æterna ſeparatio eſt, non habet poteſtatem, qui Deum ſuper omnia diligunt: ſoli enim illi manent in morte qui non diligunt, [b] qui verò diligunt fratres (eâ dilectione verè Chriſtianâ, quæ ab amore Dei ſejungi non poteſt) ſciunt quia tranſlati ſunt de morte ad vitam. Unde ſi quis in corde ſuo invenerit charitatem, ſecurus ſit (inquit Auguſtinus) [c] quia tranſiit de morte ad vitam, jam in dexterâ eſt. Tantum igitur abeſt, inquiunt, ut æternæ pœnæ reus dici poſſit aut eſſe ille, qui Deum ſuper omnia diligit, ut ei æterna hæreditas negari non poſſit: ſola enim dilectio, teſte Auguſtino [d], diſcernit inter filios Dei & filios diaboli: quod ſi filius, qui diligit Deum, igitur & hæres, teſte Apoſtolo; *Si filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Qui autem hæres eſt Dei & cohæres Chriſti, quomodo ſimul eſſe poteſt æternæ pœnæ reus; quod idem juxta Scripturæ phraſim eſt ac eſſe filium gehennæ? Neque enim ſolùm inter filios Dei & filios diaboli, ſed inter filios regni æterni & filios damnationis æternæ dividit donum dilectionis Dei, quo nullum excellentius.

Hæc Scripturæ aut Auguſtini loca adducunt illi pro opinionis ſuæ ſtabiliendæ fundamento.

b *Joan. Ep.* 1. *c.* 3. c *Tract.* 5. *in Ep. Joan.* d *Lib.* 15. *de Trinit. c.* 8.

§. 2. Supereſt ut referamus quæ potiſſimùm reponunt ad ea, quæ vel ex Concilio Tridentino, vel ex ſacramentorum evacuatâ efficaciâ objiciuntur.

Ut igitur oſtendant laudati Theologi doctrinam, quæ aſſerit omnem Dei ſuper omnia dilecti amorem juſtificare, talemque reconciliando homini etiam per ſacramenta neceſſarium eſſe, non adverſari ei doctrinæ, quæ baptiſmo & ſacramento pœnitentiæ tribuit virtutem auferendi culpam & pœnam peccati, ajunt, contritione quidem hominem cum Deo redire in gratiam, & peccatorum remiſſionem conſequi, antequam aut baptiſmus aut abſolutio reapſe adminiſtretur, illud tamen ſine virtute aut baptiſmi aut abſolutionis haud fieri, continente contritione votum aut baptiſmi aut abſolutionis; ità ut baptiſmus & pœnitentia deſiderata (ſi ſeponas differentiam, quæ intercedit inter cauſam inſtrumentalem & meritoriam) non abſimili ratione in pœnitentibus ac catechumenis operentur, ac Salvator noſter Jeſus Chriſtus necdum natus operabatur gratiam in illorum cordibus, qui ejus adventum præcedentes, illum tanquam Mediatorem & Redemptorem ſuum oculis fidei aſpiciebant, & cordium votis deſiderabant.

Sicuti ergo Chriſtus ſanctis, qui ejus adventum præceſſerunt, verè dicere poteſt, ego ſum, qui vos juſtifico, qui vos à peccatis libero, qui vobis illorum impertior remiſſionem; ità, inquiunt, ſacerdos veriſſimè dicere poteſt illis, qui ante pronunciatam abſolutionis ſententiam juſtitiam & remiſſionem peccatorum ſunt adepti, ego vos abſolvo à peccatis veſtris. Poterat Chriſtus dicere Patribus in limbo concluſis, ego vos juſtifico; quia quicquid in illis erat juſtitiæ, intuitu meritorum ejus à Sanctiſſimâ Trinitate ipſis fuerat donatum, ipſique per fidem in eum iſtud acceperant: poteſt ſacerdos ante ſuam ſententiam juſtitiam conſecutis dicere, ego vos abſolvo à peccatis veſtris; quia illud ſacramentum tanquam reconciliationis inſtrumentum intuentes ac deſiderantes, juſtitiam ſunt adepti, eo ferè modo, quo Iſraëlitæ ab ignitis ſerpentibus vulnerati, intuendo æneum ſerpentem tanquam ſuæ ſanationis inſtrumentum, ſanitatem adipiſcebantur. Un-

Unde ſicuti non minùs Chriſtus Salvator eſt illorum, qui ejus adventum præceſſerunt, quàm illorum, qui eum ſubſecuti ſunt; ità, inquiunt, lavacrum baptiſmi & ſententia abſolutionis non minore virtute pollere cenſenda ſunt, tametſi innocentia & reconciliatio illis tempore ſint priores.

Ajunt præterea, cùm omne ſacramentum conſtet ex materiâ & formâ, & in ſacramento pœnitentiæ actus pœnitentis ſint loco materiæ, cenſeri non debere extra ſacramentum fieri, quod fit dum pœnitens crimina ſua confitendo ſe ipſe clavibus Eccleſiæ ſubjicit, & impoſitas ſibi auctoritate clavium pœnas reverenter excipit, & obedienter in ſe ipſum exequitur, vel exequi paratus eſt. At frequenter evenit, ut tunc tantùm verè conteratur, hoc eſt, ut ope divinæ gratiæ in ſe excitet victricem Dei dilectionem; in his ergo caſibus, qui frequentes ſunt, dici non debet, pœnitentes juſtificari extra ſacramentum per votum ſacramenti, ſed in ipſo ſacramento, etſi illorum contritio, quam à juſtificatione ſeparari non poſſe exiſtimant, prolationem verborum abſolutionis præceſſerit.

Addunt ex ſancto Thomâ 3. p. q. 86. a. 6. in c. *Omne ſacramentum producit effectum ſuum non ſolùm virtute formæ, ſed etiam virtute materiæ..... Actus* autem pœnitentiæ virtutis *materialiter ſe habent in ſacramento pœnitentiæ.....* & ſic *remiſſio culpæ*, quæ fit in hoc ſacramento, *eſt effectus pœnitentiæ principaliùs quidem ex virtute clavium, quas habent miniſtri..... ſecundariò autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ.*

Hoc nixi fundamento: Non (inquiunt) virtus & operatio ſacramenti pœnitentiæ, vel etiam clavium in ſolis abſolutionis verbis ſe profert; verùm etiam in humilitate confeſſionis, in ſtudio ſatisfactionis, & in ſacrificio cordis contriti atque humiliati, quæ ex uſu & legibus priſcæ Eccleſiæ abſolutionem præcedebant. Nam quando illæ actiones cum reſpectu ad claves Eccleſiæ exercentur, tunc uberiori divini Spiritûs influxu, ſive ſacramentali gratiâ irrigantur,

tur, quàm perfunderentur, ſi non tanquam partes ſacramenti pœnitentiæ, ſive cum reſpectu ad claves Eccleſiæ exercerentur. Atque hâc de causâ ajunt à Patribus dici, afflictionem pœnitentis, ut deleat peccata, vim mutuari ab ordinatione ſacerdotis eam præſcribentis. *Afflictio pœnitentis* (inquit Gregorius) *ad delenda peccata tum demum idonea eſt, cùm ſacerdotis judicio fuerit imperata; cùm ab eo pœnitentium actibus diſcuſſis pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis,*

Malè ergo de clavibus Eccleſiæ cenſent exiſtimare illos, qui arbitrantur ea tunc ſolummodò operari, quando profertur forma abſolutionis: operantur enim illæ, inquiunt, in confitente, qui ſe eis confitendo ſubdit, in ſatisfaciente, qui illarum judicium exequitur, in dolente, qui ex illis gratiam dolendi mutuatur. Virtus ergò ſacramenti pœnitentiæ, ſive etiam clavium, juxta illos, operatur etiam ad remiſſionem peccatorum actu ſe exerens quando Deus iſtius ſacramenti ſive clavium intuitu animum rei inter confitendum, inter opera ſatisfactionis, vel certè inter ſtudium & promptitudinem ad ſatisfaciendum, & inter abſolutionis verba majori auxilio prævenit, ut creſcens in dolenti amore ex attrito contritus fiat, & cum æternâ juſtitiâ in gratiam revertatur.

Verùm ſi peccator hâc ratione ex attrito contritus efficiatur, tunc cor ejus adeo immutari neceſſe eſt, ut vel imbecillus amor, quo Deum colebat, divino adjutus auxilio in robuſtum evadat, vel timor, quo magis gehennas, quàm peccatum metuebat, cedat timori filiali, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit. Non eſt ergò hîc cogitanda illorum doctrina, qui putant ſine actuali voluntatis immutatione, ſine amorum viciſſitudine, ſine incendio & incremento caſtæ dilectionis, neſcio quâ arcanâ & inerti qualitate, quam ſacramenta infundant, homines ex attritis contritos fieri.

Ex his facilè intelligi volunt, quòd tametſi regnans ac juſtificans Dei amor intinctionem baptiſmalem & ſacramentalem abſolutionem tanquam diſpoſitio præcedere debeat

beat, nihilominùs ſancti Patres tam magnificè de lavacro baptiſmi & ſententiâ abſolutionis fuerint locuti, uti norunt illi, qui illorum monumenta legerunt, ipſos fuiſſe locutos. Tam magnificè, inquiunt, de intinctione baptiſmali & ſententiâ abſolutionis locuti fuerunt, quia ea omnia, quæ eas præcedunt, conſiderarunt tanquam diſpoſitiones vel præparationes & partes ad ſacrum lavacrum vel abſolutionem prævias, eiſque tanquam fini & perfectioni ſuæ ex Dei inſtituentis ordinatione & ex catechumenorum ac pœnitentium votis ac deſideriis intimè conjunctas ac colligatas. Quod ergo, inquiunt, per præparationes parteſve priores fit, fini & conſummationi, ſive partibus poſtremis rectè tribuitur; idque eò magis, quòd præparationes & præviæ partes vi ſuâ deſtituerentur, ſi quis in illis hærere, nec per eas ad regenerationem, reconciliationem, communionemque progredi vellet.

§. 3. Monent itaque benignè exponendum eſſe ſanctum Fulgentium, [a] dum diverſis locis ait, non remitti peccata niſi baptiſmo aut fluminis aut ſanguinis; præſertim cùm non uno loco dixerit, *quòd* [b] *indulgentiam converſis Deus miſericors non poſſit abnegare.*

Unde etiam illa, quæ ſcribit Auguſtinus in epiſtolâ ad Honoratum de luctu Chriſtianorum, qui à ſuis Epiſcopis & Presbyteris tempore perſecutionis deſerti dolent exitium illorum, [c] *qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt vel ligati*, pro rei, quam tractabat, ratione cenſent eſſe exponenda. In illâ enim, inquiunt, epiſtolâ id præcipuè intendit Auguſtinus, ut Paſtores à gregibus ſuis perſecutionum tempore deſerendis deterreret: non verò docere voluit omnes illos perire, qui ſine baptiſmo aut reconciliationis ſacramento moriuntur, quantumvis ardenti charitate ea deſiderent; iſtud enim exiſtimant cum doctrinâ per ipſum alibi traditâ nullatenus convenire; verùm iſtis verbis voluiſſe ſolùm exponere, quòd quantùm in ſacerdotibus eſt, ipſi

a *Fulg. in Regulâ fidei ad Petrum Diac. cap.* 3. *& ad Ferrandum Diac. de Bapt Æthiopis.* b *Fulg. l.* 1. *de remiſ. peccat. cap.* 11. c *Ep. ad Honorat.* 180.

ipſi animas perditioni exponant, dum eas in perſecutionum tempeſtatibus deſerunt. Illis enim abſentibus *venit lupus, non homo, ſed diabolus, qui* (quemadmodum ait ibidem ſanctus Doctor) *plerumque fideles apoſtatas eſſe perſuaſit, quibus quotidianum miniſterium Dominici corporis defuit.* Nam ex ſacrificio Corporis & ſanguinis Chriſti, dum religiosè offertur, copioſa dimanat gratia, quâ ſancta in fidelium mentibus deſideria & excitantur & nutriuntur. Deinde dum adſunt Paſtores, *omnes* (ſicuti ibidem loquitur Auguſtinus) *conſolantur, ædificantur, exhortantur, ut Deum rogent, qui poteſt omnia, quæ timentur, avertere.* Ubi autem nullus Eccleſiæ miniſter, nullus presbyter, nullus Epiſcopus, ibi & conſolationes, & ædificationes, & exhortationes miſeris deſunt: unde fit ut Deus pro remiſſione peccatorum aut non oretur, aut ſegniùs oretur, aut odium peccati & amor juſtitiæ langueſcant in cordibus, ut baptiſmus & reconciliatio ac participatio corporis Domini frigidiùs deſiderentur. Ubi ergò tantus in precibus languor, tantus in deſideriis tepor, ibi meritò probi fideles lugent exitium eorum, qui vel non regeniti, vel ligati finiunt hanc vitam. Non dicit ergo Auguſtinus, quòd *illi* non erunt in requie æternâ, qui aut non baptizati aut non reconciliati moriuntur, tametſi in divini amoris flagrantiâ moriantur, ſed quòd pii meritò illos lugent tanquam perditos, quia timent ne perierint: valde enim metuendum eſt, ne tales pereant, non tam quia ſacramentis deſtituti, quàm quia nec exhortationibus ad fidem animati, nec conſolationibus ad ſpem erecti, nec ædificationibus ad charitatem inflammati vel ſine ſacramento reconciliationis, vel ſine participatione cœleſtis viatici, languentes atque dejecti ad mortem rapiuntur. Pereunt itaque tales non tam quia ſacramentis, quàm quia charitate vacui finiunt hanc vitam. Quin hic ſit ſenſus Auguſtini dubitari non ſinunt ii, quorum mentem hoc capite referimus, præſertim, inquiunt, ſi inſpiciatur quid alibi doceat Auguſtinus, dum adducto latronis exemplo ait: „[c] Quantum itaque valeat etiam ſi-
„ ne

[c] *Lib. 5. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 22.*

„ne viſibili ſacramento baptiſmi quod ait Apoſtolus, *Cor-„de creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalu-„tem*, in illo latrone declaratum eſt: ſed tunc impletur in-„viſibiliter, cùm miniſterium baptiſmi non contemptus reli-„gionis, ſed articulus neceſſitatis excludit. Item aliud eſ-„ſe ſacramentum baptiſmi, aliud converſionem cordis, „ſed ſalutem hominis ex utroque compleri: nec ſi unum „horum defuerit, ideo putare debemus conſequens eſſe ut „& alterum deſit: quia & illud ſine iſto poteſt eſſe in in-„fante, & hoc ſine illo potuit eſſe in latrone, complente „Deo ſive in illo ſive in iſto, quod non ex voluntate de-„fuiſſet: cùm verò ex voluntate alterum horum defue-„rit, reatu hominem involvi. Et baptiſmus quidem po-„teſt ineſſe ubi converſio cordis defuerit: converſio au-„tem cordis poteſt quidem ineſſe non percepto baptiſmo, „ſed contempto non poteſt.

Hanc charitatis prærogativam, ut ſola ſufficiat ad ſalutem, ſi neceſſitas, non contemptus ſacramenta excludat, non unus agnoſcit Auguſtinus. Etenim Ambroſius de Valentiniano iſtius nominis Imperatore ſecundo, qui cupiens baptizari tamen ſine baptiſmo è vitâ diſceſſerat, ità loquitur: [f] *Hunc ſua pietas abluit & voluntas.* Hinc Concilia, Carthaginenſe quartum, Arelatenſe ſecundum, Vaſenſe ſub Leone primo ſuis canonibus [g] ſanxerunt, ut pro illis orationes & oblationes fierent, qui peccata ſua confeſſi, & pro illis ex ſacerdotum ordinatione pœnitentiam agentes morte intercipiuntur, antequam reconciliari à ſacerdote potuerint.

§. 4. Et ſicuti magnificè de ſacramentorum efficaciâ ſubinde locuti ſunt ſancti Patres, ità plerumque de charitatis merito ac virtute loquuntur, ut ei adſcribant etiam eam, quæ in ſacramentis obtinetur, peccatorum remiſſionem; ſentiantque non ex pœnâ martyrium vicem baptiſmi poſſe ſupplere, ſed ex fide, charitate ſcilicet flagrante, quâ martyrium ſubitur pro Chriſto. [h] „Nam (ut ait Ber-„nar-

SS

e *Ibid. cap.* 25. f *De obitu Valent.* g *Cap.* 79. *Can.* 13. *c.* 2.
h *Bernard. tom.* 4. *tract. ad Hugonem victorin. de quæſt. ab ipſo propoſitis cap.* 2.

„nardus) abſque ipſâ quid eſt martyrium, niſi pœna? „Quæ ergo martyrio præſtat, ut abſque ullâ dubietate „pro baptiſmo reputetur, ipſa ità infirma, & ità imbecil-„lis per ſe erit, ut quod dare alteri valet, ſola non valeat „obtinere? Et prorsùs ſanguinis pro Chriſto effuſio magnæ „cujuſdam fidei indubitata probatio, non tamen Deo, „ſed hominibus, &c.

„ Pro certo cùm non aliunde martyrium, niſi ex fidei „merito illam obtinuerit prærogativam, ut ſingulariter „vice baptiſmi ſecurè ſuſcipiatur, non video cur non ipſa „æquè & ſine martyrio apud eum tantundem poſſit, cui „& ſine martyrii probamento proculdubio innoteſcit.

Remiſſionem verò peccatorum peccatricis amori donaſ-ſe Chriſtum, dum dixit, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*, hunc locum tractantes plerique Patres intellexerunt: [a]„Et tu plurimum dilige, (inquit „Ambroſius) ut tibi remittatur plurimum. Et Auguſti-nus: [b]„Maria cum illâ humilitate & lacrymis ad Domi-„num accedens meruit peccatorum remiſſionem. [c]Pecca-„trix (inquit Gregorius) amando veritatem, lavit lacrymis „maculas criminis, & vox veritatis impleta eſt, quæ di-„cit: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Tertullianus lib. 4. contra Marcionem: „Peccatricis, (in-„quit) pœnitentia ſecundum Creatorem meruit veniam. Et Origenes enumerans aliquot peccatorum remiſſionis cauſas: [d]„Sexta quoque (inquit) fuit remiſſio per abundan-„tiam charitatis, ſicut & ipſe Dominus dicit: Remittun-„tur, &c. Euthymius: [e]Hæc (inquit) quæ multis erat „obnoxia, vehementer me dilexit, ut multum ſibi remit-„teretur. Ideo quoque congruum mihi eſt, ut ei tanquam „vehementer diligenti multum remittam. His accedit Pe-tri Chryſologi præclara ſententia: [f]„Abſolvi vis? Ama: „charitas cooperiet multitudinem peccatorum. Et iterùm: „Dilectio delet & abluit univerſa peccata. Et hæc de cha-ritatis merito ex Patribus pauca, ne quid diſſimulaſſe vi-dear quod ad charitatis commendationem ſpectat.

§. 5. Hic

a *L. 6. in Lucam.* b *L. 2. de conſ. Evang. cap. 79.* c *Homil. 25. in Evang.* d *Lib. 2. in Levit.* e *In 7. Cap. Lucæ.* f *Serm. 94.*

§. 5. Hic verò Concilii Tridentini canon: „Si quis di-
„xerit, abſolutionem ſacramentalem ſacerdotis non eſſe
„actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuncian-
„di & declarandi, remiſſa eſſe peccata confitenti, modò tan-
„tùm credat ſe eſſe abſolutum, aut ſacerdos non ſeriò,
„ſed joco abſolvat: aut dixerit, non requiri confeſſio-
„nem pœnitentis, ut ſacerdos eum abſolvere poſſit; ana-
„thema ſit: Non noſtram (inquiunt) doctrinam, ſed hunc
Lutheri ferit articulum: „Abſolutionem uſque adeo eſſe
„à ſolâ fide, ut pœnitens verè abſolutus ſit, dummodo
„illud ità eſſe credat, licèt contritione careat, neque ſe-
„riò abſolutus ſit, ſed tantùm joco. Item in pœnitentiâ
„& remiſſione peccatorum nihil ampliùs facere Papam &
„Epiſcopum, quàm minimum ſacerdotem; quin etiam,
„ſi deſit ſacerdos, quemlibet Chriſtianum, imò fœmi-
„nam poſſe idem æquè perficere.

Quis ſit autem iſtius canonis ſenſus, clarè pateſcere di-
cunt ex doctrinâ Concilii, quam tradit eâdem ſeſſ. cap.
6. dum ità loquitur: „Quamvis abſolutio ſacerdotis alie-
„ni beneficii ſit diſpenſatio; tamen non eſt ſolùm nudum
„miniſterium vel annunciandi Evangelium, vel declaran-
„di remiſſa eſſe peccata, ſed adinſtar actûs judicialis, quo
„ab ipſo velut à Judice ſententia pronunciatur, atque ideo
„non debet pœnitens adeo ſibi de ſuâ fide blandiri, ut
„etiamſi nulla ei adſit contritio, aut ſacerdoti animus ſe-
„riò agendi & verè abſolvendi deſit, putet tamen ſe pro-
„pter ſuam fidem verè & coram Deo eſſe abſolutum. Nec
„enim fides ſine pœnitentiâ remiſſionem ullam peccato-
„rum præſtaret; nec is eſſet niſi ſuæ ſalutis negligentiſſi-
„mus, qui ſacerdotem jocosè abſolventem cognoſceret,
„& non alium ſeriò agentem ſedulò requireret.

Ex hâc Concilii doctrinâ fieri, inquiunt, evidens, nihil Lu-
thero & ſibi, aut antiquis ſcholæ magiſtris commune eſſe.

Demum pro certiſſimo habent, nihil ſuæ aut antiquo-
rum ſcholaſticorum doctrinæ ex Concilio Tridentino me-
ritò objici; ſiquidem (uti refert Pallavicinus loco ſuperiùs
laudato) Joannes Tudetanus in Hiſpaniâ Antiſtes ſuſtinuit
in Concilio, ad abſolutionem impetrandam opus eſſe con-

 tri-

tritione perfectâ: *Nec tamen* (ut ajebat doctus ille Antiſtes) *hinc argui per ſacramentum peccata non remitti, quippe quæ ſacramentum jam invenit remiſſa præeuntis contritionis efficacitate; ſiquidem* (dicebat) *ipſa contritio id præſtat virtute ſacramenti, cujus votum in eâ continetur.* Hæc ille Antiſtes in Concilio dixit, ut tollerentur ex formando Concilii decreto ea verba, quæ vel attritioni charitate deſtitutæ nimiùm tribuebant, vel neceſſitati contritionis charitatis flammâ accenſæ præjudicium ferre videbantur.

§. 6. Quod verò dicitur non fore mortuorum ſacramenta baptiſmum & pœnitentiam, ſi non niſi viventibus & juſtis impendantur; ſic ſolvunt, ut dicant, utrumque illud ſacramentum pollere virtute mortuos vivificandi, & peccatores juſtificandi: cùm enim (inquiunt) id præſtent per diſpoſitiones vel partes ſibi prævias, ſibique connexas, quæ etiam efficaciam ab ipſis mutuantur, fit ut mortuos vitâ donare, & peccatores juſtificare rectè dicantur.

Hæc pro ſuâ opinione aut ſtabiliendâ aut defendendâ allegant laudati hujus capitis initio Theologi & Eccleſiæ Præſules; atque ex his manifeſtum eſſe exiſtimant, quâ ratione repelli poſſint, quæ contra ſuam, quam ſcilicet hoc capite retulimus, & antiquorum ſcholaſticorum doctrinam, (cujus ſpecimen capite ſequenti exhibebimus) de neceſſitate & virtute ſacramentorum objici poſſunt.

CAPUT XXVI.

1. Gratianus probat, contritione ante abſolutionem ſacerdotalem peccata deleri. 2. Magiſter ſententiarum contritioni cum voto confeſſionis juſtificationem & peccatorum remiſſionem attribuit. 3. Guilielmus Antiſſiodorenſis docet, Deum infundendo contritionem dimittere culpam & pœnam æternam, & ſacerdotem vi clavium minuere pœnas temporales. Huic ſententiæ ſubſcribit Albertus Magnus. 4. Alenſis ait, oporte-

re, ut reus per contritionem, quâ dimittitur culpa & reatus, ſit Deo reconciliatus, antequam à ſacerdote ſit ſolvendus. 5. Eidem doctrinæ conſentiunt ſancti Bonaventura, Raymundus & Thomas. 6. Mens ſancti Thomæ clariùs aperitur. 7. Ex Baconio patet, ejus ſæculi Magiſtros cum præcitatis Doctoribus credidiſſe, quòd contritio ante abſolutionem & culpam & pœnam æternam dimitteret.

§. 1. SUpereſt ut antiquorum Magiſtrorum teſtimonia recenſeamus, non quidem omnia: id enim immenſi laboris ac tædii foret; ſed veluti ex magno acervo ſelecta quædam.

Exordium faciamus à Gratiano, qui in medio ſæculi duodecimi vixit ac floruit. Hic diſtinctione primâ de pœnitentiâ, hanc verſat quæſtionem, utrùm ſolâ cordis contritione & ſecretâ ſatisfactione abſque oris confeſſione, quiſque poſſit Deo ſatisfacere; & cùm hinc indè plurima tam Scripturæ, quàm Patrum loca retuliſſet, quorum nonnulla videntur indicare, ſolâ contritione peccatorem cum Deo redire in gratiam; alia verò probare, ad reconciliandum Deo peccatorem opus eſſe, ut ſuum confeſſus peccatum, ex ordinatione ſacerdotis proferat dignos pœnitentiæ fructus; tum ait, duas eſſe ſententias, quarum illa uni contritioni reconciliationem peccatoris, altera verò contritioni & confeſſioni iſtíſque attribuit operibus, quæ pœnitens, ut crimen ſuum expiet, ex ſacerdotis exercet directione. Relinquit autem Gratianus in medio, cui iſtarum ſententiarum potiùs ſit adhærendum: Utraque enim, ait ipſe, fautores habet ſapientes & religioſos viros.

Utraque hæc ſententia contritionem requirebat; in eo diſpares, quòd prior eam ſcilicet ſolam requireret; alia confeſſionem & opera pœnitentia, ac ſacerdotale miniſterium etiam poſtularet, idque ex certiſſimâ regulâ veritatis.

Ævo itaquè, quo vixit Gratianus, unanimiter exiſtimabant

bant Theologi, ſine contritione neminem juſtitiâ aut peccatorum remiſſione donari.

§. 2. Gratiano Synchronos Petrus Lombardus eandem tractat quæſtionem, & cùm propoſuiſſet hinc quædam Patrum teſtimonia, quæ videntur inſinuare ſolâ contritione ante confeſſionem deleri peccata, inde alia recenſuiſſet, quæ confeſſionem ante remiſſionem peccatorum exigunt, deinde interrogans: Quid ergo ſuper his ſentiendum, quid „ tenendum? Reſpondet: Sanè dici poteſt, quòd ſine „ confeſſione oris & ſolutione pœnæ exterioris peccata de„ lentur per contritionem & humilitatem cordis; ex quo „ enim proponit mente compunctâ ſe confeſſurum, Deus „ dimittit: quia ibi eſt confeſſio cordis, etſi non oris; per „ quam anima interiùs mundatur à maculâ & contagione „ peccati commiſſi, & debitum æternæ mortis relaxatur.

En quomodo hîc diſertè contritioni cum voto accipiendi ſacramentum pœnitentiæ attribuat juſtificationem. Ne quis tamen hinc concluderet confeſſionem & ſatisfactionem parvi eſſe faciendam, ideò poſt allegata verba addit: *Nonnulli enim in vitâ peccata confiteri negligunt & erubeſcunt, & ideò non merentur juſtificari. Sicut enim præcepta eſt nobis interior pœnitentia, ità & oris confeſſio, & exterior ſatisfactio, ſi adſit facultas. Undè nec verè pœnitens eſt, qui confeſſionis votum non habet.*

§. 3. Guilielmus Antiſſiodorenſis, qui vixit ſub initium ſæculi decimi tertii, lib. 4. Summæ de ſacramento pœnitentiæ; *Deus*, inquit, *inchoat ſolutionem dimittendo culpam & pœnam æternam: ſacerdos verò conſummat dimittendo aliquid de pœnâ vi clavium per impoſitionem manuum.* Quod deinde probat celebri exemplo Lazari, qui priùs à Domino reſuſcitatus fuit, quàm diſcipulis, ut eum ſolverent, à Salvatore noſtro juberetur. *Per hoc patet*, ut loquitur idem Doctor, *quòd Dominus inchoat ſolutionem, & ſacerdos conſummat: ergo ubi Dominus non inchoat, ſacerdos non conſummat.*

Conſentit Antiſſiodorenſi Beatus Albertus Magnus in 4. ſentent. diſt. 18. a. 13. dum ait: *Remiſit Deus culpam in con-*

tri-

tritione, & relaxavit debitum æternæ mortis, & poſt completionem remanet id, quod commiſſum eſt miniſtris Eccleſiæ, ſcilicet relaxatio pœnæ purgatoriæ.

§. 4. Æqualis Alberto Alexander Alenſis, nobilitatus nomine Doctoris irrefragabilis, etiam poſtulat, ut contritio, quæ reum Deo reconciliat, miniſterium præcedat ſolventis ſacerdotis. Parte 4. Summæ, q. 8. memb. 1. ità „ loquitur: In formâ abſolutionis præmittitur oratio per „ modum deprecativum, & ſubjungitur abſolutio per mo„ dum indicativum; & deprecatio gratiam impetrat, & ab„ ſolutio gratiam ſupponit: nunquam enim ſacerdos abſol„ veret quemquam, de quo non præſumeret, quòd eſſet „ abſolutus à Deo.

Idem docet alibi idem Alenſis, ita loquens: „ Dico igi„ tur, quòd in contritione dimittitur culpa & reatus, id „ eſt, debitum mortis æternæ, & hoc ex ſententiâ ſive mi„ ſericordiâ judicis; hujus autem ſententiæ promulgator eſt „ ſacerdos, qui eſt, quaſi os Domini, de quo Jerem. 25. „ *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Ex „ hoc eſt, quòd ſicut os judicis quaſi ſubditum ſibi promul„ gat ſententiam judicis, & eſt unitum judici; ſic ſacerdos „ ſecundùm habitudinem ſubjectionis, quam habet ad „ Deum, eſt promulgator ſententiæ, & ei unitus: ſic e„ nim ſacerdos loquitur, & promulgat ſententiam judicis, „ quaſi in perſonâ ejus, dicens: Excommunico te, vel ab„ ſolvo te, id eſt, judico te abſolutum, ſcilicet à culpâ.

In his verbis clariſſimè oſtendit, tùm quid effectum det contritio, tum quid præſtet abſolutio, dum à ſacerdote, tanquam ab ore Domini, pronunciatur.

§. 5. His illuſtribus ſcholæ magiſtris conſentiunt ſanctus Bonaventura, B. Raymundus, & Doctor Angelicus.

Primus, dum ait in quart. diſt. 18. art. 2. q. 1. „ In for„ mâ abſolutionis præmitittur deprecatio per modum de„ precativum, & deprecatio gratiam impetrat, & abſolutio „ gratiam præſupponit: nunquam enim ſacerdos abſolveret „ quemquam, de quo non præſumeret, quòd eſſet abſo„ lutus à Deo.

Secundus cùm enarraſſet tres opiniones de virtute contritionis, tertiam amplectitur, quæ docet, ſolâ contritione cordis dimitti peccatum cuilibet adulto, ſi verè conteritur, & proponit ab aliis abſtinere, & illud confiteri, & de eo ſatisfacere ſecundùm judicium Eccleſiæ. „Hæc, inquit „lib. 3. de pœnit. & remiſſ. §. 11. ultima opinio celebrior eſt. „Verùm, monet, non intelligas, quòd contritio dimit„tat peccatum propriè loquendo; ſed ipſe Deus in contri„tione. Hoc cùm, more majorum, exemplo reſuſcitati Lazari, & ab Apoſtolis deinde ſoluti elucidaſſet, deindè „ſubjicit. Dicendum eſt, ferè ſecundùm omnes, quòd „purè, verè ac propriè ſolus Deus dimittit peccata, & de„bitum æternæ pœnæ..... De ſacerdotibus autem non eſt „dubium, quin habeant poteſtatem dimittendi & retinen„di peccata. In quo autem illa conſiſtat; deindè exponit, „ità loquens: Dicuntur autem ſacerdotes ligare & ſolvere „tribus modis: primò ligant & ſolvunt, id eſt, oſtendunt „aliquem ſolutum vel ligatum: undè Dominus leproſos „priùs reſtituit ſanitati, deindè ad ſacerdotes miſit, quo„rum judicio oſtenderentur mundati. Item Lazarum pri„mò reſuſcitavit, deindè mandavit diſcipulis ſolvere ſuſci„tatum. Nam etſi aliquis apud Deum ſit abſolutus, non ta„men in facie Eccleſiæ abſolutus habetur, niſi per judicium „ſacerdotis..... Secundus modus ligandi eſt, cùm ſatisfa„ctionem pœnitentiæ confitentibus imponunt; vel ſolven„di, cùm de eâ aliquid dimittunt. Undè Leo Papa: Chri„ſtus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut con„fitentibus pœnitentiæ ſatisfactionem darent, & eoſdem „ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramen„torum per januam reconciliationis admitterent. Tertius „modus eſt, qui fit per excommunicationem.

Hæc ſanctus Raymundus, qui à doctrinæ integritate & vitæ ſanctimoniâ ſub Clemente Octavo, qui illum ſanctorum faſtis adſcripſit, maximam laudem, non ſolùm à Dominicano Ordine, qui ſemper doctiſſimis viris floruit; ſed etiam à Sede Apoſtolicâ eſt conſecutus.

Ex iſtâ autem B. Raymundi aſſertione patet, doctrinam,

nam, quæ contritioni abſolutionem tempore præcedenti tum juſtificationem tum veniam pœnæ æternæ adſcribit, ejus ævo celeberrimam fuiſſe. Patet ſecundò quem effectum aſſignet ſententiæ abſolutionis, dum à ſacerdote profertur.

Dum autem ait, ſacerdotes oſtendere, reos eſſe ſolutos, ſicuti ſacerdotes Levitici leproſos mundos declarabant, non ad ſenſum loquitur Lutheri, à Tridentinis Patribus condemnatum, & à nobis ſuprà expoſitum; ſed ad ſenſum Theologorum ſui ſæculi, qui in Presbyteris abſolventibus agnoſcebant veram judicis poteſtatem, & non tantùm facultatem miniſtri prædicantis Evangelium, vel pueri, aut fœminæ jocantis garrulitatem, quid Chriſtus nobis meruit, referentem.

§. 6. Tertius, nempe ſanctus Thomas, præterquam quòd plurimis locis, quorum aliqua in cap. 16. collegimus, doceat ad rationem veræ pœnitentiæ requiri, [n] *ut diſpliceat peccatum, quia eſt contra Deum ſummè dilectum:* alibi disertè tradit, contritione deleri peccatum, & ejus remiſſionem obtineri, antequam ſacerdos ſententiam abſolutionis edat. In ſupplemento ità loquitur: [o] *Reſpondeo dicendum, quòd confeſſio operatur præſuppoſitâ contritione, quæ culpam delet: & ſic confeſſio directè ordinatur ad dimiſſionem pœnæ*, nempe temporalis, ut inſpicienti textum patebit.

Alibi tamen docet, claves diſpoſitivè ſubindè ad gratiam „cooperari. [p] Unde, inquit, ſi ante abſolutionem aliquis „non fuiſſet perfectè diſpoſitus ad gratiam ſuſcipiendam, in „ipsâ confeſſione & abſolutione ſacramentali gratiam con-„ſequeretur, ſi obicem non poneret. Si enim clavis nullo „modo ad culpæ remiſſionem ordinaretur, ſed ad remiſſio-„nem pœnæ tantùm, ut quidam dicunt, non exigeretur „votum ſuſcipiendi effectum clavium ad culpæ remiſſio-„nem: ſicut non exigitur votum ſuſcipiendi alia ſacramenta, „quæ non ordinantur ad culpæ dimiſſionem; ſed contra

 „pœ-

n 3. *Part. q. 86. art. 3. in Cor.* o *Supplem. Q. 10. art. 5. in Cor.*
p *Supplement. q. 18. art. 1. in corp.*

„ pœnam. Hæc cooperatio clavium ad gratiam, quâ ratione fiat, hoc capite expoſuimus.

In reſponſo ad primum, dum intendit oſtendere, quid „ ſacerdos abſolvens operetur, ità loquitur: q Dicendum, „ inquit, quòd ſicut Magiſter dicit in litterâ, ſacerdotibus „ commiſſa eſt poteſtas remittendi peccata, non ut propriâ „ virtute remittant; quia hoc Dei eſt: ſed ut operationem „ Dei remittentis oſtendant, tanquam miniſtri. Sed hoc „ contingit tribus modis. Uno modo, ut oſtendant eam „ non præſentem; ſed promittant eam futuram, ſine hoc, „ quòd aliquid operentur ad ipſam: & ſic ſacramenta vete- „ ris legis operationem Dei ſignificabant: undè & ſacerdos „ veteris legis oſtendebat tantùm, & nihil operabatur. Alio „ modo, ut ſignificent præſentem, & nihil ad eam ope- „ rentur: & ſic quidam dicunt, quòd ſacramenta novæ le- „ gis ſignificent collationem gratiæ, quam Deus in ipsâ ſa- „ cramentorum collatione dat, ſine hoc, quòd in ſacramen- „ tis ſit aliqua virtus operans ad gratiam. Et ſecundùm hanc „ opinionem etiam poteſtas clavium eſſet tantùm oſtendens „ divinam gratiam in culpæ remiſſione in ipsâ ſacramentali „ collatione factam. Tertio modo, ut ſignificent divinam „ operationem ad remiſſionem culpæ præſentem, & ad ipſam „ aliquid diſpoſitivè & inſtrumentaliter operentur; & ſic „ ſecundùm aliam opinionem, quæ ſuſtinetur communiùs, „ ſacramenta novæ legis emundationem oſtendunt divinitùs „ factam: & hoc modo etiam ſacerdos novi teſtamenti o- „ ſtendit abſolutos à culpâ: quia proportionaliter oportet „ loqui de ſacramentis & de poteſtate miniſtrorum. Nec „ obſtat, quin claves Eccleſiæ ad remiſſionem culpæ diſpo- „ nant, quia culpa jam eſt remiſſa: ſicut nec quòd baptiſmus diſponat quantùm in ſe eſt, in eo, qui jam ſanctificatus eſt.

His verbis videtur ſanctus Doctor inſinuare. 1. quidem, quòd ſacerdos abſolvens oſtendat emundationem animæ divinitùs factam, & remiſſionem culpæ eſſe præſentem. Secundò, ſacerdotem ad eas inſtrumentaliter & diſpoſitivè aliquid

q Ibid.

quid operari, nempè per preces & ſacros ritus, qui pronunciationem ſententiæ judicialem antecedunt: Nam, ut Alenſem & Bonaventuram ſtatim audivimus loquentes: *In formâ abſolutionis præmittitur deprecatio per modum deprecativum, & deprecatio gratiam impetrat; ſed abſolutio præſupponit.* In formâ itaquè abſolutionis diſtinguendæ duæ partes, una deprecativa, altera, quæ purè judicialis eſt: illa ad gratiam diſponit impetrando eam, altera gratiam præſupponit, dum pœnitentem cum judicis auctoritate abſolvit.

Undè non poſſum non hîc monere ſacerdotes, ne prævias abſolutioni preces omittant; Siquidem illæ à ſanctis magiſtris & Doctoribus æſtimantur ad reorum emundationem, & remiſſionem peccatorum diſpoſitivè cooperari. Plurimùm itaque reprehendendi ſunt illi ſacerdotes, qui perindè, ac ſi illæ preces ad juſtificationem animarum parùm, aut nihil conferrent, aut ad formam abſolutionis nequaquam pertinerent, ea omittere non verentur.

Sed ad ſanctum Thomam redeamus, & adhuc unum aut alterum ejus teſtimonium, ut ejus mens meliùs innoteſcat, proferamus.

In opuſculo, quo orationem Dominicam exponit, diſertè aſſerit, contritione culpas dimitti, ac debitum luendi pœnas æternas mutari in debitum luendi pœnas temporales. In peccato, inquit exponens petitionem quintam, „ ſunt duo; ſcilicet culpa, quâ offenditur Deus; & pœ„ na, quæ debetur pro culpâ. Sed culpa remittitur in con„ tritione, quæ eſt cum propoſito confitendi & ſatisfacien„ di. Pſal. *Dixi, confitebor adverſùm me injuſtitiam meam* „ *Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Non eſt „ igitur deſperandum, ex quo ad remiſſionem culpæ ſuffi„ cit contritio cum propoſito confitendi. Sed fortè quis di„ xit: Ex quo dimittitur peccatum in contritione, ad quid „ neceſſarius eſt ſacerdos? Ad hoc dicendum eſt, quòd „ Deus in contritione dimittit culpam, & pœna æterna com„ mutatur in temporalem; ſed nihilominùs manet adhuc „ obligatus ad pœnam temporalem. Undè, ſi decederet

„ ſine confeſſione, non contemptâ tamen, ſed præventâ, „ iret ad purgatorium, cujus pœna, ſicut dicit Auguſti- „ nus, eſt maxima. Quando ergo confiteris, ſacerdos ab- „ ſolvit te de hâc pœnâ in clavium virtute.

Hæc non expoſitore; ſed tantùm lectore opus habent.

His addo alium ſancti Thomæ locum ex opuſculo de formâ abſolutionis, cap. 2. ubi, cùm ſibi objeciſſet, quòd, ſicuti ad vivificationem Lazari nihil contulerunt Apoſtoli, ità ad vivificationem eorum, qui in peccatis mortui ſunt, „ nihil conferant ſacerdotes, reſpondet: Per hoc non o- „ ſtenditur, quòd ſacerdos non abſolvat, aut non debeat „ dicere, Ego te abſolvo; ſed quòd eum non debet abſol- „ vere, in quo ſigna contritionis non videt, per quam ho- „ mo juſtificatur interiùs à Deo culpâ remiſsâ. Quia verò „ dicit, quòd ſacerdos non poteſt habere ſuper culpam po- „ teſtatem, & hoc habere poteſt calumniam. Sciendum „ eſt, quòd ſi intelligat, quòd ſacerdos ſuâ auctoritate ſu- „ per culpam potentiam non habet, dicit verum; ſi autem „ intelligit, quòd ſacramentum, quod ſacerdos, ut mi- „ niſter, tradit, non ſe extendat ad remiſſionem culpæ, fal- „ ſum dicit. Sicut enim per baptiſmum dimittitur omnis „ culpa originalis & actualis, ità per ſacramentum pœniten- „ tiæ remittitur actualis culpa. Contingit autem quando- „ que in baptiſmo, quòd aliquis, antequam ſacramentum „ baptiſmi actu percipit, dum habet ſacramentum in voto vel „ in propoſito, conſequitur juſtificationem à ſolo Deo; & „ tamen, ſi antè conſecutus non fuerit, ex vi ſacramenti, „ niſi obicem opponat, juſtificationem conſequitur ſacra- „ mentum ſuſcipiendo, ità omninò eſt de pœnitentiâ. Nullus „ enim reputatur contritus, niſi habeat propoſitum ſubjicien- „ di ſe Eccleſiæ clavibus, quod eſt, habere ſacramentum in „ voto. Undè quandoque aliqui conſequuntur juſtificatio- „ nem in ipsâ abſolutione, quam ante non fuerant aſſecuti.

Hoc loco quatuor dogmata tradit ſanctus Thomas: primum, non oportere, ut ſacerdos ullum abſolvat, in quo non videt ſigna contritionis, *per quam homo juſtificatur interiùs à Deo culpâ remiſſâ*. Secundum, ſacramentum pœni-

nitentiæ ſe extendere ad remiſſionem culpæ, ſicuti per baptiſmum remittitur omnis culpa originalis & actualis. Tertium, contingere, ut aliqui juſtificationem accipiant, antequam baptiſmum vel ſacramentum pœnitentiæ actu ſuſcipiant.

Quartum, nonnullos adire ſacramenta baptiſmi aut pœnitentiæ, necdum contritione donatos, qui tamen, ſi obicem non ponant, juſtificationem conſequuntur, dum actu ſive re ipsâ aut baptiſmum accipiunt, aut ſe clavibus ſubdunt: ſubdunt autem ſe clavibus, uti ſuprà diximus, quando crimina ſua apud ſacerdotem confitentur, quando ejus monita ac pœnas ab eo impoſitas excipiunt, & ſi abſolutionem differendam ſacerdos exiſtimet, pœnas impoſitas ante abſolutionem exequuntur, & quando precibus ejus humiliter & religiosè caput inclinant, & ſua vota conjungunt. In precibus enim ſacerdotis magna virtus; ut gratiam impetrent, quam judicialis formula abſolutionis præſupponit.

Antiquorum Scholaſticorum doctrinæ fere conformiter aliquando ſenſiſſe S. Thomam non difficile eſt ex citatis locis colligere, quamvis ſi ſumma, quæ ejus poſtremum opus eſt, debitè inſpiciatur, nonnihil diverſam præ ſe ferat opinionem, non quòd Contritionem aut minùs neceſſariam aut minùs efficacem crediderit ſanctus Doctor, ſed quod ejus efficaciam cum virtute ſacramenti aliter ſub finem vitæ conciliare maluerit, adſcribendo ſcilicet ſacramento, id, quod operatur. Contritio, quæ ſacramenti pars materialis ab ipſo definitur & quatenus ordinatur ad claves Eccleſiæ, concurrit, inquit S. Doctor, cum abſolutionis formâ ad effectum ſacramenti pœnitentiæ.

§. 7. His ſcholæ Magiſtris inter plurimos diſcipulos u-
„ num addo [a] Baconium, qui ità loquitur: Etiam ſervatur
„ confeſſio cum contritione, ut juſtitia ſervetur erga Deum,
„ & prælatos Eccleſiæ, qui ſunt membra ejus, unde verſus:

„ Te cor contritum mundat, confeſſio reſtat:
„ Si quæris, quarè? capiti membriſque tenemur:
„ In caput & corpus committis transgrediendo.

Hi verſus juvandæ memoriæ causâ editi oſtendunt, quiſnam eſſet prope initium ſæculi decimi quarti, quo vixit Baconius, ſenſus Theologorum de neceſſitate & effectu tum contritionis, tum ſacramenti pœnitentiæ. Iſti enim verſus contritio

tribuunt virtutem nos cum Deo reconciliandi; clavibus verò aſſignant virtutem nos reſtituendi communioni Eccleſiæ; quod intelligendum eſt de eâ virtute, quam claves impertiuntur, dum abſolutionis ſententia profertur; amplior autem eis virtus tribuenda, quatenus ſecundùm omnem ſuam amplitudinem conſiderantur. In clavibus enim ſecundùm omnem ſuam amplitudinem ſpectatis continetur, non ſolùm ea auctoritas, quâ ſacerdos ſententiam pronunciat; ſed etiam ea auctoritas, quâ tanquam Judex reum confitentem audit, examinat, diſcutit, inſtruit, corripit, pœnas imponit, ſacramentales preces fundit, ac tandem ſententiam profert. Secundùm iſtam igitur amplitudinem ſpectatæ claves diſpoſitivè cooperantur ad contritionem, per quam reus cum Deo redit in gratiam. Nam & rei confeſſio claves ſive auctoritatem à Chriſto ſacerdotibus collatam reſpiciens & honorans ab illis magnam virtutem mutuatur; & ſacerdos recenſitas actiones per clavium virtutem, ſive Chriſti vice exercens, eas cum magnâ efficaciâ exercet, cooperante Chriſto miniſterio ejus.

Ex his, quæ tum hoc capite, tum præcedentibus diſſeruimus, conſtat, variare quidem Theologos circa Contritionis efficaciam aut ejuſdem cum virtute ſacramentorum compoſitionem, verùm conformiter omnes ſentire de amoris pœnitentis neceſſitate ad reconciliationem cum Deo etiam in ſacramentis aſſerendam, adeo, ut hoc unum fixum certumque maneat, quod à ſancto Thomâ de Villâ novâ, qui Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini grande decus, his verbis expreſſum eſt. [1] „ Contritio eſt remedium peccatorum omni-„ nò neceſſarium, proprium, naturale & univerſale. Item: „ Contritio omni tempore, & in omni lege, naturæ, ſcriptâ, „ & gratiæ tanquam naturale & proprium peccati remedium, „ immobilis & immutabilis perſeverat: Undè & omnia ſine „ hâc non ſufficiunt.

CAPUT XXVII.

1. *Quando dicitur, quòd homo ſine gratiâ nihil poſſit, illud intelligendum eſt de gratiæ auxilio; non verò de habituali gratiâ.* 2. *Opera ſatisfactionis, quæ ex more priſcæ Eccleſiæ abſolutionem præcedebant, diſponebant ad juſti-*

tiam, & de congruo merebantur. 3. *Hæc doctrina non adverſatur Concilio Tridentino, quod ait, nihil eorum, quæ juſtificationem antecedunt, eam propriè mereri.* 4. *Nihil perindè gratiam Dei & merita Chriſti commendat, quàm id, quod de merito bonorum operum Catholica docet Eccleſia; & in nullâ re Proteſtantes iniquiùs Catholicos calumniantur, quàm dum Catholicæ doctrinæ de meritis ſeipſos opponunt.* 5. *à Proteſtantibus contra Catholicos ineptè objicitur illud,* Dicite' ſervi inutiles ſumus: *nam, tametſi bona opera Deo ſint inutilia, hominibus tamen ſunt utiliſſima.* 6. *Nec minùs ineptè Catholicis objicitur illud Deuteronomii,* Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt. 7. *Qui Deum omnibus anteponit, magìs ei placet ex amore dominante, quàm diſpliceat ex concupiſcentiæ victa reliquiis.* 8. *Abſurdè etiam dicitur, ibi nullum eſſe meritum, ubi non ſit niſi quod eſt præceptum.* 9. *Calumnioſè quoque Catholicis opponitur illud Evangelii,* numquid gratiam habebit ſervo illi? 10. *In Catholicorum de meritis doctrinâ nihil eſt, quod vel cum umbrâ juſtitiæ accuſari poſſit.*

§. 1. QUæ de merito charitatis capite præcedente diſputata ſunt, Proteſtantibus, qui nulla niſi in uno Chriſto merita agnoſcunt, forſan diſplicebunt. Et quia forſan nonnulli Catholici minùs capient, quæ de bonitate illorum operum, quæ juſtificationem antecedunt, hinc inde diximus; ut utriſque ſatisfiat, hoc capite de bonis operibus

ribus eorumque merito diſſeremus. Et primò quidem agemus de illis operibus, quæ juſtificationem præcedunt, ut ad illam nos præparent atque diſponant. Deinde aſſeremus meritum charitatis in corde dominantis.

Aliqui Theologi cùm legiſſent, ſine Dei gratiâ nullum fieri opus bonum, ſibi perſuaſerunt, hoc de illâ gratiâ intelligendum eſſe, quæ reconciliationem noſtram non incipit; ſed perficit: quæque animam non ad agendum permovet; ſed quæ eam inſtar pulchri coloris decorat. Unde etiam ſibi perſuaſerunt, ante obtentam Dei amicitiam, parvo cum fructu, ad illam aſpirantibus laborioſa pœnitentiæ opera, ut ad eam diſponantur, imponi. Verùm iſti auctores doctrinam Patrum, quæ docet, ſine Dei gratiâ nulla fieri ab homine bona, minimè perceperunt. Dum enim Patres & Concilia hoc dogma tradiderunt, per gratiam non illam intellexerunt, quæ animam ornat, inſtar ornamenti, vel veſtis actione deſtitutæ; ſed per gratiam intellexerunt divinum auxilium, quo bonum opus fit, non timore; ſed amore: non formidine pœnæ; ſed dilectione juſtitiæ. Sine iſtâ enim gratiâ, quæ propriè gratia eſt, & quæ ab Auguſtino definitur, [s] *inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus*, ſicut nullum opus poteſt eſſe bonum; ita ſine illâ nullum meritum eſſe poteſt. Docet hoc diſertè Auguſtinus, dum ait: [t] Benedictio dulcedinis eſt gratia „Dei, quâ fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc „eſt, amemus, quod præcipit nobis; in quâ ſi nos non „prævenit Deus, non ſolùm non perficitur; ſed nec in„choatur ex nobis. Si enim ſine illo nihil poſſumus facere, „profectò nec incipere, nec perficere, quia, ut incipia„mus, dictum eſt; *Miſericordia ejus præveniet me:* ut „perficiamus, dictum eſt: *Miſericordia ejus ſubſequetur* „*me.*

Secundum Concilium Arauſicanum, dum definit, ſine gratiâ Dei nihil boni ab homine fieri poſſe, diſertè declarat, ſe non de gratiâ animam inſtar veſtis obtegente; ſed de illâ loqui, quæ efficit, ut, quæ Deo ſunt placita, mente co-

s *Lib. 4. ad Boniſac. c. 5.* t *Lib. 2. ad Boniſac. c. 9.*

cogitemus, voluntate amplectamur, & opere perficiamus. *Divini eſt muneris*, inquit canone nono, *cùm & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & injuſtitiâ tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur.* Et Canone ſequenti definit, ipſos renatos, ſive juſtos, ſine hoc auxilio Dei, nec ſuum finem aſſequi, nec in bono opere perdurare. *Adjutorium Dei*, inquit, *etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Gratia itaque, ſine quâ nihil poſſumus, eſt gratia non ceſſans; ſed operans: non ornans inſtar veſtis, quæ fertur à nobis; ſed agens inſtar amoris, quo ipſi ferimur, quocumque ferimur. Hocce auxilium gratiæ, noſtram dum converſionem incipit, operans in nobis, ut credamus, credendo ſperemus, ſperando oremus, orando diligamus, & diligendo, quæ malè egimus, delere conemur, tum nonnulla nobis merita donat, tametſi necdum ad dignitatem filiorum Dei ſimus evecti.

§. 2. Opera ſatisfactionis, quæ ex more priſcæ Eccleſiæ abſolutionem præcedebant, lapſis imponebantur, non ſolùm, ut Eccleſiam per illa de ſuâ pœnitentiâ certiorem redderent; verùm etiam ut ad abſolutionis gratiam eos diſponerent, pœnaſque delerent æternas. Cùm Tertullianus dixiſſet, Exomologeſim eſſe proſternendi & humilificandi „hominis diſciplinam, ac injungere converſationem miſe„ricordiæ illicem; ſacco & cineri incubare, corpus ſordi„bus obſcurare, animum mœroribus dejicere, jejuniis pre„ces alere, ingemiſcere, lacrymari & mugire dies noctesſ„que ad Dominum, presbyteris advolvi, & caris Dei ad„geniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis „ſuæ injungere; tum ait: [u] Hæc omnia exomologeſis, ut „pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Domi„num honoret, ut in peccatorem ipſa pronuntians pro „Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æter„na ſupplicia, non dicam, fruſtretur; ſed expungat. En quomodo dicat opera pœnitentiæ olim impoſita fuiſſe, ut æter-

[u] *De pœnit. c. 10.*

æternas pœnas non ſolùm fruſtrarentur; ſed etiam exp[illegible]gerent.

Cyprianus, dum ad pœnitentiæ opera lapſos adhortatur, ea commendat tanquam neceſſaria, ut animæ vulnera ſanentur, ut culpa aboleatur, ut Dominus poſt offenſam placetur. Quàm magna deliquimus, tam granditer „defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non „deſit. Pœnitentia crimine minor non ſit. Putáſne tu Do„minum, inquit ibidem, citò poſſe placari, quem verbis „perfidis abnuiſti, cui patrimonium præponere maluiſti, „cujus templum ſacrilegâ contagione violaſti? Putas facilè eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare „oportet impenſiùs & rogare, diem luctu tranſigere, vi„giliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymoſis „lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, „in cilicio & ſordibus volutari, poſt indumentum Chriſti „perditum, nullum hîc jam velle veſtitum; poſt diaboli ci„bum, malle jejunium, juſtis operibus incumbere, qui„bus peccata purgantur, eleëmoſynis frequenter inſiſtere, „quibus à morte animæ liberantur. Opera hîc pœnitentiæ commendantur, non ut pœna temporalis aboleatur, non ut tantùm pravæ conſuetudines aboleantur, non ut obtenta Dei amicitia confirmetur; ſed ut vulnera ſanentur, peccata purgentur, animæ liberentur, & Deus miſereatur.

Eàdem ratione Ambroſius pœnitentiæ labores commendat, non, ut factâ reconciliatione ſuſcipiantur, quò ea ſit firmior; ſed ut adhibeantur ad reconciliationem prome„rendam. [x] Expectat gemitus noſtros; ſed temporales, ut „remittat perpetuos. Expectat lacrymas noſtras, ut pro„fundat pietatem ſuam. Sic in Evangelio viduæ matris la„crymis compaſſus, filium ejus reſuſcitavit. Expectat con„verſionem noſtram, ut revertamur & ipſi ad gratiam.

Julianus Pomerius reos occultorum criminum ad opera pœnitentiæ hortatur, non ut temporaneas purgatorii pœnas; ſed pœnas redimant æternas. [y] „Quod ſi, inquit, ipſi „ſibi

x *Ambroſ. l. 1. de pœnit. c. 4.* y *Julianus Pomerius ſive Proſper l. 2. de vitâ Contempl.*

„ ſibi judices fiant, & veluti ſuæ iniquitatis ultores hîc in ſe „ voluntariam pœnam ſeveriſſimæ animadverſionis exer„ceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia; „ & lacrymis ex verâ cordis compunctione fluentibus reſtin„ guent æterni ignis incendia.

Ex his aliiſque Patrum teſtimoniis, quæ apud Morinum, Arnaldum, Eſtium, ac Bellarminum videri poſſunt, manifeſtum eſt, etiam ante partam juſtitiam, hoc eſt, dominantem Dei amorem, & ante obtentam peccatorum remiſſionem cum Dei auxilio opera adeò bona fieri, ut ad delenda crimina, impetranda efficaciora gratiæ auxilia, Dei amicitiam, ac remiſſionem pœnæ æternæ obtinendam plurimùm conferant. Hinc Auguſtinus, cùm dixiſſet: [a] *Non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani*; ſtatim ſubjungit, ut oſtendat, merita dari ſimul ac gratia datur: *Ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici; comitante, non ducente, pediſſequâ, non præviâ voluntate.* Eſt ergo initium meriti in nobis, ſimul ac eſt in nobis initium bonæ voluntatis. Nam, ut opus ſit bonum, non requiritur, ut ab illo procedat, qui Deum ſupra omnia amat: ſed ſufficit, ut iſtud opus procedat à voluntate humanâ, non quatenus per cupiditatem infecta eſt; ſed ut ab eâ dimanet quatenus per inſpirationem cœleſtis dulcedinis, ſive divini amoris affecta eſt. Quemadmodum enim ab illis, in quorum cordibus charitas dominatur, quotidiè procedunt minuta peccata, ità ſæpè fit, ut iis, in quibus regnat cupiditas, non deſint dilectionis motiones, quibus ad juſtitiam paulatim adducuntur. Has experiebatur prodigus, quando in ſe reverſus, & necdum innocentiæ ſtolâ donatus, agnoſcebat miſeriam, ad quam ſe ipſum dejecerat, triſtiſque dicebat, *ſurgam & ibo ad patrem meum.* His, ut mundo & ejus voluptatibus renunciaret, monebatur & movebatur Auguſtinus, quando adhuc plùs in ipſo valebat vetus inolitum, quàm novum inſolitum.

§. 3. Proderit hîc obſervare, eam doctrinam, quæ aſſerit

T

[a] *Epiſt. 106. ad. Boniſac.*

rit primò quidem, ad bonum opus ſufficere, ut procedat à Spiritu ſancto movente per inſpirationem amoris, tametſi non procedat ab ipſo nos per victricem ac dominantem dilectionem inhabitante; ſecundò verò iſta opera, quæ regnantem in nobis Dei amorem antecedunt, non parùm valere ad culpas delendas, ad ſananda animæ vulnera, Deumque placandum; nullatenus eſſe adverſam Concilio Tridentino, quod ait, nos gratìs juſtificari, [b] *nihilque eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promereri*, merito nempe de condigno. Etenim certiſſimum eſt, eos, qui ſine juſtificatione moriuntur, æternis pœnis addicendos, licèt quaſdam divini amoris, ſed imbecillis & non dominantis ſcintillas ſuo in pectore ſenſerint, & licèt plura opera cum iſto imbecilli amore fecerint. Adde, nos gratìs juſtificari; quia quæcumque juſtificationem bona præcedunt, atque ad illam præparant, procedunt ex primo gratiæ prævenientis auxilio, quod omnem bonam cogitationem, voluntatem, operationem ac meritum antecedit. [c] Gratia, inquit Au„guſtinus, præcedit meritum tuum: non gratia ex meri„to; ſed meritum ex gratiâ. Nam ſi gratia ex merito, emi„ſti; non gratìs accepiſti. *Pro nihilo*, inquit, *ſalvos fa„cies eos.* Nihil in eis invenies, unde ſalves, & tamen ſalvas „gratìs, das gratìs, gratìs ſalvas. Adverte in his verbis Auguſtini, primò ipſum merita non negare, ſed docere, ea eſſe ex gratiâ; ſecundò ideò nos gratìs ſalvari, quia prima gratia, quæ eſt ſalutis initium, omne meritum antecedit. Optimè itaque conſiſtit, ut initium bonæ voluntatis ſit ex gratiâ, quam nullum meritum antecedit, & ut ſubſequentes gratias impetratorium meritum antecedat. Quamvis itaque iſta opera, quæ per inſpirationem cœleſtis dulcedinis, ſive divini amoris ab illis fiunt, qui necdum Deum omnibus anteponunt, ad culpas delendas, evitandas inferni pœnas, & majora à Deo auxilia impetranda, proſint ac juvent,

b *Vide Pallavicinum lib.* 8. *Hiſtor. Concil. Trident. cap.* 14. *n.* 4.
c *Aug. Serm.* 15. *de verb. Apoſt.*

vent, fatemur tamen, ea non tantæ eſſe virtutis ac meriti, ut his bonis nunquam fruſtrentur. Imò nequidem ipſi juſti orando & benè agendo promerentur tam copioſa divinæ gratiæ auxilia, ut nunquàm à viis juſtitiæ devient, nunquàm ex juſtis injuſti fiant. Vult Deus, ut, qui ſtat, videat, ne cadat, ut cum timore ac tremore ſalutem noſtram operemur, cogitantes Deum eſſe, qui operatur in nobis, quod bonum eſt, pro bonâ ſuâ voluntate. [d] „Ideò quiſque „noſtrum (cum Auguſtino loquor) bonum opus ſuſcipere, „agere, implere nunc ſcit, nunc neſcit; nunc delectatur, „nunc non delectatur, ut noverit non ſuæ facultatis; ſed „divini muneris eſſe, vel quod ſcit, vel quod delectatur: „ac ſic ab elationis vanitate ſanetur; & ſciat, quòd verè non „de terrâ iſtâ; ſed ſpiritualiter dictum ſit: *Dominus dabit* „*ſuavitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.*

§. 4. Hæc ſi Proteſtantes attendant, etiam ipſi ponent animoſitatem, quâ Eccleſiæ Catholicæ doctrinam de meritis bonorum operum perſequuntur. Etenim tametſi Catholici in bonis operibus, præſertim juſtorum, merita agnoſcant; non tamen alia in eis merita, quàm quæ ſunt ex gratiâ agnoſcunt, & prædicant. Et dum merita, quæ ſunt ex gratiâ, agnoſcunt & prædicant, in amore Dei illa agnoſcunt & prædicant: in hoc enim amore (quod velim à proteſtantibus obſervari) eſt omne meritum, quod à Catholicis commendatur. Omnis ergo juſtitia, bonitas & meritum noſtrum prorsùs Dei donum eſt; cùm aliud non ſit niſi charitas Dei, quæ [e] *charitas*, juxta Auguſtinum, *eſt gratia novi teſtamenti*, quam Deus nemini confert, niſi intuitu meritorum Chriſti. Quod ſi quis meritis Chriſti injuriam dixerit, tam erit abſurdus atque præpoſterus, ac ſi diceret, ſcientiæ & charitati Chriſti fieri injuriam, quoties Deus ob Chriſti merita nos ſuâ ſapientiâ illuſtrat, ſuumque nobis amorem inſpirat. Nullus meritorum Chriſti illuſtrior effectus, quàm miſſio Spiritus ſancti ad diffundendam chari-

d *Aug. l. 2. de peccator. merit. & remiſſion. c.* 17. e *Aug. quaſt. 1. ſuper Deuter.*

tatem in cordibus noſtris: nullus ergo meritorum Chriſti illuſtrior effectus, nihil, quod ea magis commendet, quàm ipſa merita noſtra, quæ ſunt ipſiſſima charitas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Merita igitur, quæ Catholici agnoſcunt, non ſunt adverſa gratiæ Chriſti, ut proteſtantes miſerrimo errore arbitrati ſunt; ſed ſunt ipſa gratia Chriſti, ſive novi teſtamenti: nam ſunt ipſa charitas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Non dicant proteſtantes, ut omne meritum ab hominibus auferant, docere Auguſtinum, quòd *in Adam merita perierint*. Etenim libenter fatemur, periiſſe in Adamo merita, quæ liberum arbitrium ſibi comparabat, dum motiones divinæ gratiæ vel efficaces vel inefficaces pro ſuo nutu reddebat. Unde libenter amplectimur illam celebrem Auguſtini ſententiam: [f] *Humana merita hîc conticeſcant, quæ perierunt per Adam, & regnet, quæ regnat, Dei gratia per Jeſum Chriſtum.* Verùm, dum conticeſcunt merita, quæ ipſa ſibi parit voluntas gratiæ pro ſuo arbitrio dominans, conſtantiùs prædicentur & devotiùs agnoſcantur ea merita, quæ regnans per Chriſtum gratia donat arbitrio, quando per ipſam, ut loquitur Auguſtinus, [g] *indeclinabiliter & inſuperabiliter agitur*, tametſi ei gratiæ liberè conſentiat, utpotè quod diſſentire poſſet, ſi vellet; verùm ut non diſſentire velit, eodem gratiæ dono perficitur [h]. Habemus ergo merita per regnantem gratiam arbitrio donata, non habemus merita per arbitrium gratiæ dominans acquiſita. Hæc periêre in Adamo, iſta nobis per invictiſſimam Chriſti gratiam conferuntur, dum charitas victrice dulcedine diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Et ut agnoſcant proteſtantes, quantum ſit in charitate meritum, peto ab ipſis, an juſtum exiſtimarent, ſi anima in Dei amore, & pro Dei amore à corpore diſcedens in æter-

f *Aug. lib. de prædeſtin. Sanct. c.* 15. g *Aug. de Corrept. & gratiâ, c.* 12. h *Vide Petavium tom.* 1. *Theolog. Dogmatum l.* 9. *c.* 7. *n.* 6.

æternum fruitione ejus deſtitueretur, tantóque vehementiùs fruſtratis cruciaretur deſideriis, quantò ardentiùs æſtuarent, & majori impetu in Deum ferrentur. Ex ipſis ſcire deſidero, an arbitrentur fieri poſſe, ut dicente Deo, quòd diligat diligentes ſe, nihilominus in æternum damnaret diligentes ſe? An prædicante Chriſto, [i] *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, nihilominus diligentem ſe animam, & diligentem amore æterno, ſuâ beatificante præſentiâ Pater & Filius deſtituerent, ut in amantibus Deum cordibus damnatus Spiritus cruciantem faceret manſionem. An aſſerente Chriſto, [k] *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo me ipſum ei*; nihilominus diligentem ſe animam in æternas tenebras, ubi eſt fletus & ſtridor dentium, & nullum de Dei viſione gaudium, valeat ablegare? An teſtante ſcripturâ, quòd Deus cuſtodiat [l] *pactum & miſericordiam cum his, qui ſe diligunt, & mandata ejus cuſtodiunt*, nihilominus tamen diligentibus ſe ſuam miſericordiam ſubtrahere, atque illos, licèt amantes, licèt ab amore ejus non deficientes æternis cruciatibus poſſit addicere? Non arbitror ullum ipſorum adeò fore vecordem, ut ipſum non puderet aſſerere, hoc apud juſtiſſimum Deum, ubi non deſeritur amor, niſi ipſe deſerat, juſtum eſſe poſſe. Agnoſcant ergo quantum ſit in amore meritum, cùm eo fiat, ut amans anima perire non poſſit, niſi ab amore deficiat. Quid enim eſt, habere in ſe meritum, quàm habere dignitatem, quâ retentâ ſub Deo juſtò perire non poſſis? Atqui omnis, qui ardet amore Dei, habet in ſe dignitatem, quâ retentâ ſub Deo juſto æternâ beatitudine excidere non poteſt. Habet ergo magnum meritum, quæcumque anima Deum omnibus anteponit.

§. 5. Dicétne proteſtans, ut charitatem ſuo merito deſtituat, quòd juxta Chriſti monitum nos debeamus, tametſi omnia fecerimus, quæ nobis præcepta ſunt, ſervos inuti-

 les

i *Joan.* 14. k *Ibid.* l *Lib.* 2. *Eſdræ.* 1.

les reputare? Quis Catholicus de hâc re dubitat? Quis enim adeò ſupinè deſipit, ut ſe Deo, qui nullius indiget, utilem credat? Quis ipſos beatos ſpiritus vel animos Deo utiles arbitratur? Quis de Chriſto ipſo exiſtimat, quòd S. Trinitati utilis fuerit? Illa natura, cui quicquam utile eſt, divina non eſt. Veriſſimum igitur, quòd in creaturarum operibus nihil Deo utile ſit. Atque hæc conſideratio omnem jactantiam atque ſuperbiam ab operibus creaturarum, quamvis ſanctiſſimis atque digniſſimis, exulare cogit. Ineptiſſimè enim ille ſe apud dominum ſuum jactaverit, cujus operæ omnes, non domino; ſed operanti utiles ſunt: & quas, ſi omitteret, & turpiſſimus & miſerrimus foret, permanente domino in ſuo decore ac felicitate.

Sed licèt Deus nullam in affectibus & operibus, quæ per ſuum Spiritum in hominibus format, ſuam videat utilitatem, proptereáne credendus eſt, nullam in illis ſuæ ſanctitatis ſimilitudinem, nullam cum ſuâ voluntate, quæ eſt regula affectionum, & humanorum operum, conformitatem, nullam videre utilitatem, quæ iis ipſis proſit, qui Spiritu Dei aguntur, ut agant? Et quid eſt hæc ſimilitudo affectionum & operum cum divinâ ſanctimoniâ, niſi dignitas affectionum & operum? Quid conformitas illorum cum ſuâ regulâ, divinâ voluntate, niſi meritum ipſorum, quo fit, ut Deus illa non reprobet; ſed probet: non damnet; ſed coronet? Neque enim Deus, qui ſumma juſtitia & ſapientia eſt, illa eatenus arguere poteſt, quatenus ſuæ regulæ congruunt. Et quæ poteſt eſſe major homini utilitas, quàm ut amores & mores ejus à Deo probentur & coronentur?

§. 6. Non huic doctrinæ obſtat, quia ſcriptum eſt: [m] *Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Qui enim Deum rebus omnibus anteponit, habet dilectionem, quæ, teſte Apoſtolo, *eſt plenitudo legis*, ſaltem affectu, ſi necdum effectu. & propterea permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro

m *Gal.* 3. 10. *Deut.* 27. 26.

bro legis, ut faciat ea. Inſuper ex fide vivens Chriſto quotidie ſupplicat, ut pollicitationem Spiritûs, hoc eſt, promiſſum Spiritum accipiens pleniùs & perfectiùs, quæ lex jubet, facere queat. Etſi ſubindè in parvis aut per ignorantiam, aut per infirmitatem deficiat; nullum tamen eorum peccatorum perpetrat, de quibus ſcriptum eſt: QUI TALIA AGUNT, REGNUM DEI NON POSSIDEBUNT. De illis ergo, qui Deum ſuper omnia diligunt, veriſſimum eſt dicere, quòd ambulent inſtar Zachariæ & Eliſabeth, *in omnibus juſtificationibus Domini ſine querelâ*, & quòd permaneant *in omnibus*, *quæ ſcripta ſunt in libro legis*, *ut faciant ea:* ità ut longè ab illis ſit illud maledictum, quod violatoribus divinæ legis eſt intentatum.

§. 7. Et licèt in hâc vitâ concupiſcentia non omninò extinguatur, & divinæ juſtitiæ in tantùm diſpliceamus, in quantùm adhuc rebus tranſeuntibus affectu adhæremus; ſi tamen eam ſuper omnia diligimus, multò magìs ei ex iſtâ dilectione placemus, quàm ex reſiduo concupiſcentiæ fumo diſplicemus. Undè ait Apoſtolus quòd *nihil damnationis* æternæ *eſt iis*, qui per amorem juſtitiæ *ſunt in Chriſto Jeſu*, *qui non ſecundùm carnem ambulant*; ut non ambulant illi, qui Deum plùs omnibus amant. Qui enim æternæ æquitati magìs conformes, quàm difformes ſunt, eos magis probat, quàm reprobat, magìs ſuſcipit, quàm repellit. Quòd ſi tales animæ ex corpore diſcedunt, pondere ſui amoris feruntur ad Deum, quem præ omnibus diligunt; *Amor meus pondus meum: eo feror quocumque feror* ajebat Auguſtinus. Et Deo quidem in tantùm animæ conjunguntur, in quantùm ejus juſtitiæ congruunt: ab eo autem in tantùm repelluntur, in quantùm divinæ juſtitiæ non plenè contemperati ſunt. Et ex eâ parte, quâ patiuntur repulſam, patiuntur dolorem; ut ſalvæ fiant, ſic tamen *quaſi per ignem* tum juſtitiæ caſtigantis, tum amoris pœnitentis.

§. 8. Fruſtrà inſtabit proteſtans, ſi dicat, nullum eſſe

meritum, ubi non ſit niſi quod præceptum & debitum eſt, juxta illud: *Servi inutiles ſumus; quod debuimus facere, fecimus.* Hoc argumentum, dum nimis probat, nihil probat. Nam ſi nullum meritum foret in eis operibus, quæ à lege præſcribuntur, ſequeretur ipſum Chriſtum Jeſum nihil aut agendo aut patiendo meruiſſe, cùm tamen per ea, quæ egit & paſſus eſt, noſtram meruerit liberationem. Etenim quæcumque fecit atque ſuſtinuit, mandante Patre fecit atque ſuſtinuit, juxta hæc Chriſti verba; SICUT MANDATUM DEDIT MIHI PATER, SIC FACIO: &, CALICEM, QUEM DEDIT MIHI PATER, NON VIS, UT BIBAM ILLUM? Præceptum igitur non meritum obedientiæ; ſed ſtultitiam jactantiæ excludit. Quæ à nobis tantò longiùs abeſſe debet, quòd ſive cognitionem, ſive amorem præcepti, ſine quibus nec nobis ipſis, nec aliis ad ſalutem utiles eſſe poſſumus, non aliundè, quàm à Deo, habeamus. Ipſe enim eſt, qui [n] *aptat nos in omni bono, ut faciamus ejus voluntatem, faciens in nobis, quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum.*

§. 9. Fruſtrà etiam quis dixerit, neminem ſervo, quòd fecerit imperata, gratiam referre. Quis enim Catholicus adeò veſanus eſt, ut credat Deum ſibi gratias agere debere, quia ambulavit inſtar Ezechiæ *in veritate & corde perfecto* coram eo, & non potiùs maximas Deo gratias in æternum agendas putet, quòd bonâ ipſius erga ſe voluntate acceperit & velle & perficere, quod bonum eſt? Dum Catholici bonam in ſe ſentiunt voluntatem, dum ſe exiſtimant Deo morem gerere, illud non ſibi; ſed Deo totum tribuunt. [o] *Nos ergo,* inquiunt ore Auguſtini, *volumus; ſed Deus operatur in nobis & velle. Nos ergo operamur; ſed Deus in nobis operatur & operari pro bonâ voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere. Hoc eſt pium, hoc verum, ut ſit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo.* Qui ſic affecti ſunt, non ſibi à Deo gratias pro bonis

n *Hebr.* 13. 21. o *Lib. de Bono perſev. c.* 13.

nis operibus agi volunt; ſed ei pro dono bonorum operum laudem & gratiarum actionem æternùm offerre deſiderant. Hoc præmium, quod optant; hæc corona, quam ambiunt, non ut ſint ab officio exempti; ſed ut officio perfectiùs vacent; nec ut deſinant eſſe ſervi; ſed ut deſinant eſſe peccatores.

§. 10. Quid in hâc Catholicæ Eccleſiæ doctrinâ, quod non Dei ſive creantis, ſive redimentis gloriam commendet, & quod non doceat hominem, non in ſe ipſo; ſed in Domino gloriari? Diſplicebítne, quòd agnoſcamus in charitate, quæ juſtitiam æternam ſuper omnia diligit, tantam dignitatem ac meritum, ut animæ, in quibus æternùm regnat, ſummo bono connectat, atque de ejus præſentiâ felices reddat? Sed quid hâc doctrinâ verius? Quid enim eſt gaudere, quàm bonum, quod amas, habere præſens? Et quid eſt in æternum gaudere, quàm bonum, quod in æternum amas, in æternum præſens habere? Juſtitia autem tale bonum eſt, quod ab amatoribus ſuis abeſſe non poteſt, & quod in tantùm illis præſens eſt, in quantùm ab illis concupiſcitur. Neceſſe eſt igitur, ut eâ tanquam bono ſuo ſemper fruantur, qui indeficienti ejus amore & lucent & ardent. Et certè tam fieri nequit, ut æterna juſtitia ſit æternum ſupplicium animarum eam unicè diligentium, quàm fieri nequit, ut ſit æternum gaudium damnatorum ſpirituum, qui æterno odio illam deteſtantur, atque blaſphemant. Quòd ergo Deus animas, à quibus æterno & maximo amore diligitur, nequeat omninò damnare, licèt purgatoriis pœnis ad tempus caſtigare poſſit, non imbecillitatis, ſed ſummæ ſapientiæ atque juſtitiæ argumentum eſt.

Porrò huic libro finem imponens vos Catholicos, quibus illum dedico, non poſſum non cum Auguſtino his verbis alloqui atquè monere. *Si ergo ſermo meus invenit in cordibus veſtris aliquam ſcintillam gratuiti amoris Dei, ipſam nutrite: ad hanc augendam vos advocate prece humilitatis,* *do-*

p *Serm. 19. de verbis Apoſt. in fine.*

dolore pœnitentiæ, dilectione juſtitiæ, operibus bonis, gemitibus ſinceris, converſatione laudabili, amicitia fideli. Hanc ſcintillam boni amoris flate in vobis, nutrite in vobis: ipſa cum creverit & flammam digniſſimam & ampliſſimam fecerit, omnium cupiditatum carnalium fœnum conſumet.

LIBER SECUNDUS.

De recto Clavium uſu in Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

Ad magnam Eccleſiæ plagam presbyteri enituntur, non probis; ſed multis ſacramenta miniſtrare. 2. Suæ poteſtatis limites excedunt Sacerdotes, qui obvios quoſque non tanquam diſpenſatores, qui legibus affixi ſunt; ſed tanquam Domini, qui nullis legibus tenentur, abſolvunt. 3. Scripturæ oracula oſtendunt, neminem abſolvi poſſe, qui non ſit verè pœnitens. 4. Idem docent ſancti Patres: imò addunt eos, qui citò reos abſolvunt, hoc eſſe lapſis, quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, &c. 5. Ex doctrinâ Cypriani conſtat, lapſos, qui nullos protulerunt fructus pœnitentiæ, non abſolvi; ſed abſolutionis ſpecie illudi, & neceſſariam juſtitiæ acquirendæ diſpoſitionem non brevi temporis morâ; ſed ſenſim plerumque enaſci. 6. Non ſolùm Cyprianus; ſed etiam alii ſancti ad maturam abſolutioni pœnitentiam exigunt moram productioris temporis, ajuntque eos, qui citò abſolvunt lapſos, carere timore Domini. 7. Feſtinæ abſolutiones non tollunt, ſed augent peccata; & ad quemlibet tentationis impulſum vul-

vulnera aperiuntur, niſi de ipsâ tarditate abſolutionis remedia præſtentur.

§. 1. NOnnulli presbyteri, ut celebritatem & gloriam acquirant, maximo ſtudio enituntur, ut congregationes, præſertim divitum, numeroſiſſimas valeant adunare, parùm ſolliciti, ut, quos ſacramentorum vinculo congregant, etiam virtutibus imbuant. Mala, quæ ex hâc ambitione pullulant, vix poſſunt enumerari. Si Chryſoſtomo credimus, quicquid in Eccleſiâ perversè agitur, ex illâ celebritatis ambitione derivatur. q *Omnia,* inquit, *ſubverſa ſunt, omnia confuſa, quod velut in theatris multitudinem quærimus, non verò probatam multitudinem.* Si jaceat diſciplina pœnitentiæ: ſi eos à peccatis abſolutos pronunciamus, qui nullis pœnitentiæ operibus ſe peccatis renunciaſſe probant: ſi pro ſalutaribus dilationum remediis, exitioſa eis præproperatæ communicationis venena ingeramus; ſi contra Domini legem laxetur incautis communicatio; ſi operiantur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegatur; hæc ideò fiunt, quia magis numero, quàm adunatæ plebis merito delectamur, & quia magis ſatagimus innumeris, quàm probatis diſtribuere ſacramenta. Undè etiam nonnulli inveniuntur, qui, ut ſuas ſynaxes quàm copioſiſſimas reddant, pro concione non verentur aſſerere, ſe omnes quantumvis criminibus onuſtos, quantumvis in eadem crimina frequenter relapſos; quantumvis in propoſito & promiſſione vitæ emendandæ infidos libenter ſuſcipere, nec ſuſcipere ſolùm; ſed etiam ſine cunctatione à criminibus abſolvere, tametſi nullos fecerint fructus dignos pœnitentiæ, & tametſi ab illis non receſſuri; ſed brevi in illa iterùm prolapſuri videantur.

§. 2. Non erit inutile, breviter hîc doceri, quantoperè ejuſmodi ſacerdotes fallantur ipſi, alioſque fallant. Inprimis hi presbyteri ſuæ poteſtatis metas excedunt, eâque in ſuam aliorumque perniciem turpiter abutuntur, dum eos

q *Chryſoſt. ad popul. Antioch. hom. 26.*

eos abſolutos pronunciant, qui vitam nunquam mutant, & quorum confeſſiones nullâ ſubſequente emendatione, magìs criminum profeſſiones, quàm confeſſiones appellandæ ſunt. Advertit hoc pientiſſimus & doctiſſimus Cardinalis
„ Bellarminus dum ait: [r] Illi ſe miniſtros & diſpenſatores
„ non agnoſcunt; qui, quaſi non eſſent Domino rationem
„ reddituri, ſummâ facilitate omnibus manum imponunt,
„ & tam contritos; quàm non contritos; tam plenè & per-
„ fectè confitentes; quàm peccata ſua quâdam confuſâ ge-
„ neralitate involventes; tam ſatisfacere paratos, quàm non
„ paratos, quaſi propriâ poteſtate & authoritate abſolvunt.
„ Iſti ſuâ imperitiâ & ſuperbiâ corrumpunt populos, & eis
„ veræ pœnitentiæ viam præeludunt. *Nec enim eſſet hodie*
„ *tanta facilitas peccandi, ſi non eſſet tanta facilitas abſol-*
„ *vendi.* Veniunt homines onuſti peccatis, & qui millies in
„ eadem ceciderunt, & veniunt ſæpè ſine ullo ſigno dolo-
„ ris, vel pridiè, vel ipſo die ſummæ celebritatis, & ſta-
„ tim abſolvi, & ad ſanctorum myſteriorum communio-
„ nem accedere volunt: & nos judices inconſiderati, diſ-
„ penſatores infideles omnibus manum imponimus, omni-
„ bus dicimus: Ego te abſolvo: [s] *Vade in pace.* Sed *væ no-*
„ *bis, cùm Dominus ponet rationem cum ſervis ſuis*: ſervi
„ ſumus, diſpenſatores ſumus, non domini ſumus; cau-
„ ſam Dei, non noſtram agimus; offenſas Dei, non noſtras
„ remittimus; bona Dei, non res noſtras diſpenſamus.

Ex his verbis ſanctiſſimi Cardinalis diſcimus primùm, ſacerdotes in abſolvendis peccatoribus, non ſuam, ſed Domini ſui cauſam agere, nec ſuas, ſed ejus remittere offenſas; demùm eos, dum communionem porrigunt, non ſua, ſed Domini ſui bona elargiri; atque adeò ipſos in remittendis Domini ſui offenſis, atque in causâ ejus agendâ, & in bonis ejus diſtribuendis eſſe, non Dominos, qui pro arbitratu ſuo omnia poſſunt; ſed diſpenſatores & miniſtros, qui legibus ſibi à Domino præfixis aſtricti ſunt. Has ſi non ſervent, non offenſas Domini remittunt; ſed potiùs augent: nec crimina tollunt; ſed exaggerant. *Iſti*, inquit Car-

r *Serm. 8. de Adventu.* s *Luc. 7. 50.*

Cardinalis, *ſuâ imperitiâ & ſuperbiâ corrumpunt populos, & eis veræ pœnitentiæ viam præcludunt.*

§. 3. Leges, quas Chriſtus ſuis miniſtris præſcripſit, ut juxta eas, quæ in Deum peccantur, ipſi remitterent, exigunt, ut ea duntaxat illis relaxent, qui oderunt, quod fecerunt, qui à ſuâ voluntate recedunt, ut Dei ſui juſtiſſimam voluntatem amplectantur, qui mundant cogitationes ſuas, qui cor mutant, & qui recedunt ab omnibus iniquitatibus ſuis, & qui juxta ſapientis monitum fugiunt à peccato, ſicut à facie colubri; quod tunc fit, dum fugiuntur peccati occaſiones, eaque omnia, quæ nos ad peccandum inducunt. Hanc legem exprimit apud Iſaiam Deus, dùm ità loquitur: [t] *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perversè, diſcite benefacere: quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam... ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Lavantibus ſe, nec ſolùm lavantibus, ſed etiam mundantibus pœnitentiæ baptiſmo; auferentibus malum cogitationum ſuarum, non ſolùm à conſpectu hominum, ſed ab oculis Domini; quieſcentibus agere perversè, & inſuper diſcentibus benefacere; demùm illis, qui incenſi amore juſtitiæ quærunt judicium, & qui per miſericordiam ſubveniunt oppreſſis, & pupillos viduaſque defendunt; illis, illis promittitur ablutio criminum, illiſque dicitur, ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: &, ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.

Eâdem lege apud Ezechielem impio venia criminum promittitur. [u] *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam; vitâ vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor; in juſtitiâ ſuâ, quam operatus eſt, vivet.* En quo-

t *Cap.* 1. 16. u *Cap.* 18. 21.

quomodo non promittitur remiſſio peccati niſi pœnitenti de omnibus peccatis, & niſi prompto ad cuſtodienda omnia præcepta.

In eodem capite eadem ſponſio ſub eâdem conditione iteratur: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris; & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis; & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum; & quare moriemini domus Iſraël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini & vivite.* Hîc ſpondet Deus peccatori ſuas iniquitates non futuras in ruinam, ſi de illis omnibus pœniteat, ſi, facto ſibi per juſtitiæ amorem corde novo & ſpiritu novo, projiciat omnes prævaricationes ſuas. Hîc peccatori vitam pollicetur, ſi amando revertatur ad eum, à quo fuerat negligendo averſus.

Si his legibus Deus veniam delictorum pollicetur, non eſt in hominis poteſtate aliis legibus eam impertiri. Non enim eſt ſervus major Domino ſuo; nec amplior eſt poteſtas diſpenſatoris, quàm voluntas Principis.

In Evangelio datur hominibus poteſtas remittendi peccata: ſed legibus aſtringitur, dicente Chriſto in Evangelio: [x] *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum,* & iterùm: [y] *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Sub hâc pœnitendi conditione etiam Petrus promittit per baptiſmum peccatorum remiſſionem: [z] *Pœnitentiam,* inquit, *agite; & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Ubi ergo non eſt vera pœnitentia, ibi non eſt vera peccatorum remiſſio.

§. 4. Hanc doctrinam ſancti Patres illuſtrant. [a] „Peccatum non tollitur (inquit Ambroſius) niſi lacrymis & pœnitentiâ. Nec Angelus poteſt, nec Archangelus. Dominus ipſe, qui ſolus poteſt dicere: *Ego vobiſcum ſum;* ſi peccaverimus, niſi pœnitentiam deferentibus non relaxat.

x *Matt.* 4. 17. y *Luc.* 13. 3. z *Actor.* 2. 38. a *Ambr. l.* 5. *epiſt.* 28. *ad Theodoſ.*

laxat. [b] *Deus converſis ad ſe peccata donat, non converſis non donat*, inquit breviter & nervosè Auguſtinus. [c] *Ipſa enim juſtitia Dei talis eſt*, inquit S. Fulgentius, *ut averſos damnet, converſos ſalvet*. Hujus ordinis hæc eſt ratio, quòd Deus, cùm ſit miſericors & juſtus, non poſſit indulgere miſericordiam violatâ juſtitiâ, nec juſtitiam exercere offensâ miſericordiâ. Miſericordiam offenderet exercendo juſtitiam; ſi à converſis ſempiternas pœnas exigeret. Juſtitiam violaret, ſi eis, qui à peccatis non recedunt, eorum veniam indulgeret: hoc enim non tam eſſet peccata dimittere, quàm fovere: nec tam peccantibus miſericordiam exhibere, quàm peccandi audaciam eis infundere. [d] *Deus itaque*, (utor verbis Chryſologi) *ſic dat peccatis veniam, ut juſtitiam in ipsâ miſeratione, rationemque cuſtodiat*. Si Deus non niſi converſis peccata donat, poterunt-ne miniſtri ejus non converſis ea donare? Dicere poterunt, quòd abſolvant, ſed revera non abſolvent. Poterunt incautos inani abſolutionis ſpecie illudere, verâ abſolutione eos non donabunt. Poterunt fallacibus verbis pacem venditare, pacem tamen dare non poterunt. Hæc docet nos Cyprianus, „ dum ait: [e] Si quis præproperâ feſtinatione temerarius remiſ„ſionem peccatorum dare ſe cunctis putat poſſe, aut audet „ Domini præcepta reſcindere, dans ſcilicet pacem nondum „ pœnitentiâ perfunctis, non tantùm nihil prodeſt; ſed & „ obeſt lapſis: provocaſſe eſt iram, non ſervaſſe ſententiam: „ nec miſericordiam priùs Dei deprecandam putare, ſed „ contempto Domino de ſuâ facultate præſumere. Paulò ante laudata verba pacem iſtiuſmodi præſumptione & facilitate impenſam, non pacem, ſed bellum; non beneficium, ſed injuriam; non pietatem, ſed impietatem vocat: aſſerit etiam iſtiuſmodi præcipites pacificatores hoc eſſe lapſis, „ quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, „ quod armentis peſtilens vaſtitas, & quod navigiis ſæva „ tempeſtas. Et ne hæc fruſtrà de iis, qui lapſos citò abſolvunt, dixiſſe videatur, mox ſubjungit: Solatium æternæ „ ſpei

b *Aug. in pſal. 32.* c *Fulgent. epiſt. ad Venant.* d *Chryſolog. Serm. 30.* e *De lapſis.*

„ ſpei adimunt, arborem à radice evellunt, ſermone morbido ad lethale contagium ſerpunt, navem ſcopulis illidunt; dum ſcilicet citò dicunt: Ego te abſolvo: vade in pace. Quod ſi à Cypriano quæras, quare dicat iſtos faciles & præproperos pacificatores, ſuâ abſolvendi facilitate ac feſtinatione, lapſis ſolatium æternæ ſpei adimere, arborem à radice evellere, ſermone morbido ad lethale contagium ſerpere, navem ſcopulis illidere; reſpondebit: Non „ concedit pacem iſta facilitas; ſed tollit: nec communicationem tribuit; ſed impedit ſalutem. Perſecutio eſt hæc „ alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnandis adhuc lapſis occultâ populatione graſſatur, ut lamentatio conquieſcat, ut dolor ſileat, ut delicti memoria evaneſcat, ut comprimatur pectorum gemitus, ſtatuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offenſum longa & „ plena pœnitentia deprecetur; cùm ſcriptum ſit: [f] *Memor „ eſto unde excideris, & age pœnitentiam.*

§. 5. Ex his Cypriani verbis clariſſimè liquet, primò, illum ejus fuiſſe ſenſum, illud fuiſſe judicium, nempè lapſis, qui nullos protulerunt pœnitentiæ fructus, qui nullo temporis ſpatio ſua delicta planxerunt, & qui non ſaltem aliquot dies dolendo digeſsêre ſuorum flagitiorum atque facinorum cruditatem, fruſtrà à ſacerdotibus dici: *Ego te abſolvo; vade in pace*; atque iſtiuſmodi abſolutionem vix aliud eſſe, ut ibidem ait Cyprianus, quàm irritam & falſam pacem, periculoſam dantibus, & nihil accipientibus profuturam.

Liquet ſecundò, S. Cyprianum non fuiſſe in eâ ſententiâ, ut crederet, virtutem pœnitentiæ ad abſolutionem neceſſariam plerumque brevi temporis morâ in lapſis enaſci: hoc enim ſi crediſiſſet, nequaquàm universè pronunciaſſet præcipites abſolutiones, non eſſe pacem, ſed bellum; non eſſe beneficium, ſed injuriam; non eſſe pietatem, ſed impietatem. Etenim ſi lapſus plerumque breviſſimo tempore ad abſolutionem ſufficienter diſponeretur, abſolutio, quæ ante longo tempore actam pœnitentiam impenditur, non bellum, non injuria, non impietas, ſicut eam vocat Cypria-

f *Apoc.* 2. 5.

prianus; ſed pax, ſed beneficium, ſed pietas appellanda fo-
ret. Si exiſtimaſſet Cyprianus, ſine longâ & plenâ pœni-
tentiâ crimina plerumque à ſacerdotibus verè remitti, la-
pſoſque mox,atque confeſſi ſunt,ad percipiendam abſolutio-
nis gratiam eſſe paratos, contra mentem ſuam, atque adeò
mendaciter dixiſſet, eos, qui lapſos, mox atque crimina
ſua confeſſi ſunt, abſolvunt, hoc eſſe lapſis, quod grando
„ frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armen-
„ tis peſtilens vaſtitas, quod navigiis ſæva tempeſtas. Nam
dum reconciliatur miniſterio ſacerdotis is, qui per pœniten-
tiæ virtutem ad reconciliationis beneficium dignè compoſi-
tus eſt, tum reconciliator & reconciliatio id ſunt lapſo,
quod pluvia frugibus, quod ſerenum ſidus arboribus, quod
armentis aura ſalubris, quod navigiis ventus ſecundus. *Si*
credidiſſet Cyprianus à criminibus recentes plerumque *tan-*
tâ contritione affici, quanta reconciliationi per presbyte-
ros præſtandæ ſufficit; calumniatus fuiſſet citò abſolven-
tes, de illis dicens, quòd non ſinentes ante abſolutionem
diù lugere pœnitentes, ſolatium æternæ ſpei lapſo adimant,
eum velut arborem à radice pœnitentiæ ſubvertant, ſermo-
ne morbido, qui citam pacem pollicentur, ad lethale con-
tagium ſerpant, lapſum velut navem ſcopulis, ne in por-
tum perveniat, illidant. Qui enim lapſum relevat, Deo
reconciliat, & ſaluti reſtituit, non arborem à radice ſepa-
rat, ſed ei intimiùs jungit; nec tollit ſolatium ſpei æternæ,
ſed illud firmat; nec navem illidit in ſcopulos, ſed in por-
tum dirigit. Si Cyprianus perſuaſiſſet ſibi, brevi morulâ
dolorem lapſi ad abſolutionem adoleſcere; de facilibus ci-
tiſque reconciliationibus falsò pronunciaſſet: Non concedit
„ pacem iſta facilitas, ſed tollit; nec communicationem tri-
„ buit, ſed impedit ad ſalutem.

Demùm ſi Cyprianus ſenſiſſet à ſacerdotibus citâ pace
fructuosè, vel etiam efficaciter relaxari crimina; non hoc
„ ſermone lapſos monuiſſet: Deus quantùm Patris pietate
„ indulgens ſemper & bonus eſt, tantùm judicis majeſtate
„ metuendus eſt. Quàm magna deliquimus, tàm granditer
„ defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non
de-

„ deſit. Pænitentia crimine minor non ſit. Putas tu Domi-
„ num citò poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti,
„ cui patrimonium præponere maluiſti, cujus templum ſa-
„ crilegâ contagione violaſti?

Liquet tertiò ex Cypriani doctrinâ, præcipitanter abſolventes, cùm hoc ſint lapſis, quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, & quod navigiis ſæva tempeſtas, eſſe ægris mentibus non ad ſanitatem, ſed ad majorem perditionem; nec tollere, ſed augere peccata, dante præſumptione facilis citæque veniæ majorem audaciam in Dominum peccandi, & ſerpente morbido abſolutionis ſermone ad lethale contagium. „ Non
„ concedit pacem iſta facilitas, ſed tollit; nec communica-
„ tionem tribuit, ſed impedit ad ſalutem, dum imperitè
„ operit morientium vulnera plagâ lethali altis & profundis
„ viſceribus adhuc infixâ.

§. 6. Non ſolus Cyprianus, ſed etiam alii ſancti Patres exigunt moram temporis longiorem, ut virtus pœnitentiæ adoleſcat, tantaſque vires acquirat, quantæ neceſſariæ ſunt, ut voluntatem peccandi excludat, prorsùſque abjiciat.

Moyſes & Maximus presbyteri & Nicoſtratus & Rufinus diaconi, & plures alii Confeſſores ſcribentes ſancto Cypriano, ajunt, non diruta redintegrari, ſed majores parari ruinas, quando importunè ruinis ſubvenitur, & quando facilè peccantibus venia præſtatur. Unde monent, ut ab iſtiuſmodi feſtinatis abſolutionibus caveamus. „ Ne dum
„ volumus, inquiunt, importunè cuivis ſubvenire, alias
„ majores ruinas videamur parare. Qui ità loquuntur, illi exiſtimant abſolutionem citò datam dari imparatis. Undè ex eâdem perſuaſione ibidem aſſerunt deeſſe illis, qui citò & facilè criminum reos abſolvunt, timorem Domini. Ubi
„ ajunt, divinus metus relinquitur, ſi tam facilè venia pec-
„ cantibus præſtetur. Poſſetne dici, metum divinum ab illis presbyteris exulare, qui eos abſolvunt, quos magnitudo pœnitentiæ, ſive contritionis, percipiendæ abſolutioni reddit idoneos? Cùm ergo Confeſſores aſſerunt, non

g Inter Epiſt. Cyprian. Epiſt. 26.

relinqui locum metui divino, dum facilè & citò venia peccantibus datur, tum procul dubio ſupponunt, quòd juxta conſuetum gratiæ ordinem recentibus à crimine deſit contritio ſufficiens reconciliationi percipiendæ.

Ex eâdem ſententiâ itidem ajunt laudati Confeſſores: „Fovendi ſunt animi ipſorum, lapſorum, & ad maturitatis „ſuæ tempus nutriendi; & de ſcripturis ſanctis, quàm in„gens & ſuper omnia peccatum commiſerint, inſtruendi. Hâc ratione non loquerentur Confeſſores, niſi exiſtimarent, pœnitentiam, ut abſolutioni fiat idonea, morâ temporis maturandam eſſe; nec illam brevi ſpatio tantas vires acquirere, ut excludat peccandi voluntatem, quod juxta Concilii Tridentini definitionem, ad conſequendam miniſterio ſacerdotum abſolutionem, neceſſarium eſt. *Quid* etiam aliud hæc eorundem Confeſſorum verba innuunt: „Non eſt patientia niſi in morbis neceſſaria, luctantur cum „ſuo dolore, qui languent; & ità demum ſperant ſanita„tem, ſi tolerantiâ ſuperarint dolorem; infidelis enim ci„catrix, quam citò feſtinans medicus induxit? Nónne hæc verba declarant morbos animarum, perindè ac corporum, non ſanari feſtinatione, quæ moræ impatiens eſt; ſed cunctatione, cui amica patientia? Nónne indicant à feſtinantibus tam animarum, quàm corporum medicis infidelem induci cicatricem? Et quid quæſo eſt aliud infidelis cicatrix, quàm palliata curatio, quàm occultatio latentis purulentiæ, & quàm incruſtatio vulneris ſinuoſi? Supponunt igitur in his verbis ſancti Confeſſores, quòd, dùm recentes à crimine abſolvuntur, adhuc in illis vivat voluntas peccandi, & quòd illa abſolutionem nullam efficiat.

§. 7. Secundò docent in eâdem epiſtolâ ſanctiſſimi Confeſſores, præcipites criminum relaxationes in nova crimina præcipitare, nec eas tam auferre perpetrata, quàm ad„ferre perpetranda. Ad quemlibet caſum, inquiunt, me„dela reſcinditur; ſi non fideliter de ipsâ tarditate reme„dia præſtentur. Citò rurſus in incendium flamma revoca„tur, niſi totius ignis etiam uſque ad extremam ſcintillam „materia reſtinguatur; ut meritò etiam iſtiuſmodi homi-

„nes

„nes ſciant, ſibi etiam de ipſâ morâ magìs conſuli, & fi-
„deliora neceſſariis dilationibus remedia præſtari. Nónne his verbis Martyres docent feſtinatas abſolutiones, eſſe veluti feſtinatam corporis medelam, quæ caſu & quaſſatione illicò reſcinditur? Nónne his verbis ſignificant præcipites reconciliationes eſſe veluti compreſſionem flammæ apparentis, quæ negligit ſcintillas in novum incendium citò erupturas? Nónne his verbis indicant peccata ſicuti contagia non fideliter tolli, niſi de ipsâ tarditate medela repetatur? Nónne his verbis docent morâ abſolvendi magìs animabus conſuli, & fideliora neceſſariis dilationibus remedia præſtari?

Clerus Romanus pariter ſentit converſionem cordis, ſine quâ ſacerdotes remittere peccata minimè poſſunt; non citò adoleſcere, & eâ de causâ fruſtrà eos abſolvi, qui à crimine recentes, ſacerdotali miniſterio abſolutione donantur; undè acriter eos ſugillat animarum medicos, qui pro ſalutaribus dilationum remediis, exitioſa properatæ communionis venena lapſis porrigere audent; aitque Romanam Eccleſiam minimè probare, „ h ut properata nimis
„remedia communicationum, utique non profutura præ-
„ſtentur, & nova per miſericordiam falſam vulnera veteri-
„bus tranſgreſſionis vulneribus imprimantur, ut miſeris
„ad everſionem majorem eripiatur & pœnitentia. Ubi enim
„poterit indulgentiæ medicina procedere, ſi etiam ipſe
„medicus interceptâ pœnitentiâ indulget periculis? Tan-
„tummodò operit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis re-
„media obducere cicatricem. Quid hîc aliud docet Clerus Romanus, quàm præproperata communicationum, ſive abſolutionum remedia, non eſſe remedia veterum vulnerum, ſed eſſe nova vulnera veteribus addita; non cedere ad miſerorum ſublevationem, ſed ad illorum majorem everſionem; nec adferre gratiam, quâ Deo reconciliamur, ſed eripere pœnitentiam, quâ ad Dei gratiam præparamur? Hæc ſanè cum apertâ veritatis offensâ à Romano Clero docerentur, ſi pœnitentia, ut fieret abſolutioni idonea, non deſi-

h *Epiſt. 31. inter Epiſt. Cypriani.*

ſideraret ut plurimùm longiorem tempóris moram. Malè etiam diceretur, ſi lapſi dolor citò fieret abſolutioni maturus, quòd abſolutio non ad ſalutem, ſed ad periculum procedit, quando medicus animarum interceptâ pœnitentiâ, ſive necdum peractis moroſæ pœnitentiæ & ſatisfactionis operibus, quibus ad indulgentiæ medicinam æger diſponitur, abſolutionem citò impertitur. Falsò item aſſereretur ab animarum medico tantùm operiri vulnus, dum reum citò ſolvens non ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem, ſi ſolitum foret, ut pœnitentia, quæ ad abſolutionem neceſſaria eſt, citò efformaretur. Demùm ſi juxta ſtatutum à divinâ miſericordiâ ordinem hæc foret ratio pœnitentiæ, ſive contritionis, quæ ad redintegrandam cum Deo amicitiam neceſſaria eſt, ut non pedetentim & tractu temporis, ſed momento adoleſceret, immanem errorem, & non verum dixiſſet Clerus Romanus, quando dixit, quòd lapſos citò abſolvere, non ſit eos curare, ſed „ occidere. Ubi, inquit, poterit indulgentiæ Medicina „ procedere, ſi etiam ipſe medicus interceptâ pœnitentiâ in„ dulget periculis? Tantummodò operit vulnus, nec ſinit „ neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem. Hoc „ non eſt curare; ſed, ſi dicere verum volumus, occide„ re.

Ex verbis Cleri Romani, quæ laudavimus, docemur inſuper momentaneis pœnitentiis, & præproperis abſolutionibus reos non ſolùm non ſanari; ſed etiam fieri ad peccandum proniores: ſicuti ſumptione noxiorum medicamentorum corpora non ſolùm non curantur; ſed etiam magìs ægrotant. Dùm dicit Clerus Romanus *nova per falſam abſolutionis miſericordiam vulnera veteribus transgreſſionis vulneribus imprimi*, nónne etiam ſignificat, animas ad nova crimina tantò reddi procliviores, quantò pluribus criminum vulneribus afficiuntur. Tandem dum idem Clerus aſſerit, per citas abſolutiones animas non curari, ſed occidi: profectò ſimul indicat, eas per citas abſolutiones à Deo, qui eſt vita & tutela animarum, magìs recedere, ut fiat in eis ſupra modum peccans peccatum: peccatum namque,

ait

ait Gregorius, [i] *quod pœnitentia non diluit, ipſo ſuo pondere mox ad aliud trahit.*

CAPUT II.

1. *Ambroſius exiſtimat citis abſolutionibus reos non ſolvi; ſed ſacerdotes ligari.* 2. *Poſtulat lex medendi vulnera, tam animæ quàm corporum, ut morâ temporis perducantur ad ſanitatem. Qui citò abſolvunt, eos deteriores faciunt, quorum miſerentur injuſtè; & majoris eſt auſteritatis non coërcere delinquentes, quàm ulciſci.* 3. *Sanctus Chryſoſtomus pariter exigit ſpacium temporis, ut à criminibus animæ emundentur.* 4. *Dum alibi docet, ad veram converſionem non longum tempus, ſed fervorem pœnitentis animi deſiderari, tum oſtendit temporis moras non per ſe ipſas nos Deo commendare, meritumque converſionis non eſſe in temporis longitudine, ſed in fervoris vehementiâ, quâ latro mirabilis & illuſtris fuit.* 5. *Converſiones in momento peractæ miraculoſæ, adeóque non credendæ, niſi fiant operibus conſpicuæ.*

§. 1. SAnctus Ambroſius non uno ſuorum operum loco ſe oſtendit in illâ quoque ſententiâ eſſe, quæ credit pœnitentiam conſequendæ criminum remiſſioni neceſſariam, non momento; ſed tractu temporis adoleſcere. „[k] Nonnulli, inquit, ideo poſcunt pœnitentiam, ut ſta-„tim ſibi reddi communionem velint. Sed quid ſentit de illis, qui citò abſolvuntur? „Hi, inquit, non tam ſe ſol-„vere cupiunt, quàm ſacerdotem ligare: ſuam enim con-„ſcientiam non exuunt, & ſacerdotis induunt; cui præ-

 „ceptum

i Gregor. l. 25. Moral. c. 9. k L. 2. de pœnitentiâ. c. 9.

„ceptum eſt: [1] *Nolite ſanctum dare canibus, neque miſe-*
„*ritis margaritas veſtras ante porcos:* hoc eſt immundis im-
„puritatibus ſacræ communionis non impendenda conſor-
„tia. Itaque videas eos mutatâ veſte incedere, quos lugere
„& gemere oportebat; quia veſtem illam oblationis & gra-
„tiæ ſordidárant. Hîc dicit Ambroſius, eos, qui citò
ſolvuntur, non ſolvi, ſed ligare ſacerdotem crimine infidæ
diſpenſationis: non ſuam noxâ conſcientiam exuere, ſed
ſacerdotis eâ induere, quòd abſolutionis margaritam por-
cis, & ſanctum communionis donum canibus projiciat, dum
imparatis atque indignis abſolutionem & communionem
impendit. Ex quo etiam illud dedecus oriatur, ut is candi-
dam innocentiæ veſtem gerat, quem pœnitentium cilicia
(erat mos priſcæ Eccleſiæ, ut pœnitentes in lugubri veſte ac
cilicio pœnitentiam agerent) poſt maculatam veſtem nu-
ptialem, quâ cum altaribus aſtare, & cum fidelibus offer-
re fas erat, gerere oportebat. Si momentanea pœnitentia
ut plurimum ſufficientes vires haberet, ut peccandi exclu-
deret voluntatem, malè dictum ab Ambroſio foret, quòd
citò volens abſolvi, non ſe ſolvere, ſed ſacerdotem ligare
vellet, nec ſuam cuperet conſcientiam exuere, ſed ſacer-
dotis induere. Malè quoque ab Ambroſio dictum foret,
quòd citò abſolvens det ſanctum canibus, & projiciat
margaritas ante porcos, hoc eſt, det immundis impurita-
tibus ſacræ communionis non impendenda conſortia; nam
ſi ſolitum foret, ut dolor lapſi momento matureſceret, &
reum ad abſolutionis gratiam idoneum redderet; citò ab-
ſolutus plerumque verè ſolveretur, ejuſque conſcientia no-
xâ exueretur, & gerens veſtem gratiæ & oblationis, ſive
quâ utebantur qui myſteriis communicabant, & quorum
oblationes recipiebantur, veſtem ſuæ conditioni congruam
gereret, nec ſacerdotem, à quo citò abſolutus fuiſſet, ob
abſolutionem quaſi intempeſtivè donatam ligaret, reum-
que redderet.

§. 2. Hunc ſenſum ſuum quoad cunctationem pœniten-
tiæ neceſſariam, ut peccator ſacerdotali miniſterio divinæ

1 *Matth.* 7. 6.

gra-

gratiæ reſtituatur, non minùs diſertè declarat Ambroſius ſermone quarto in pſalmum 118. exponens enim hanc vocem Regii Prophetæ: [m] *Viam iniquitatis amove à me, & „de lege tuâ miſerere mei.* Meritò, ait, quia vulnus gran- „de ac vetus eſt, & diù ſerpens, perfectioris medicinæ re- „media depoſcit, obſecrans ut Domini legitimâ miſeratio- „ne curetur. Citò enim refricatur vulnus, quod ſanatum „medicinæ lege non fuerit, imò etiam ſeriorem curatio ſen- „tit effectum. Ideóque ſi virus in interiora proſerpit, me- „dicamenta foris appoſita non ſentit. Exigit ergo medici- „næ ratio, ut aut ſectione, aut aduſtione curetur. Niſi „enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoqua- „tur, fruſtrà medicinæ manus adhibentur ad vulnera. Ideó- „que bonus medicus hujuſmodi ægrum legitimè dicit eſſe „curandum, ut poſſit medicina proficere. Lege ergo mi- „ſeretur, qui cum juſtitiâ ſapientiâque miſeretur, ut ea „dimittat, quæ ſcit jure poſſe dimitti, ne cùm alterius mi- „ſeretur, ſe ipſum legi faciat obnoxium. Docet hîc Ambroſius, quòd, ſicut corporis vulnera, ſi grandiora & vetuſta ſint, non momento, ſed morâ, non feſtinatione, quæ relictâ intus plagâ vulnus palliat, ſed patientiâ, quæ putrefacta reſcindit, & cruda digerit, legitimè curantur: ſimiliter lethalia & inolita animarum vulnera, niſi curentur doctâ quâdam lentitudine, quæ malarum cogitationum & concupiſcentiarum ſcaturigines exſiccet, & occaſiones flagitiorum illices præſcindat, ad ſalutem minimè proficiant; & quòd non medicas, ſed noxias manus vulneribus applicet, quiſquis non lege medicinæ, quæ ſapiens & juſta eſt, ſed pro libitu, quod injuſtum & inſipiens, curationem ſtatim perficiendam arbitratur. „Lege ergo, in- „quit, miſeretur, qui cum juſtitiâ ſapientiâque miſeretur, „ut ea dimittat, quæ ſcit jure poſſe dimitti; ne cùm alte- „rius miſeretur ſe ipſum legi faciat obnoxium. Hoc malum illis timendum, qui offenſas Dei citò remittentes, probatione temporis deſtituti, diſcernere nequeunt, num pœnitentium contritio pares ſuſtinendo reconciliationis & com-

m *Pſal.* 118. 29.

communionis divino ingentique dono vires acquiſiverit. Timendum quoque citò abſolutis, ut citò eis refricetur vulnus, quod ſanatum medicinæ lege non fuerit, imò ut ſeriorem curatio ſentiat effectum. Tantoperè juxta Ambroſium mora temporis neceſſaria, ut ardor pœnitendi ad percipiendum abſolutionis beneficium ream conſcientiam valeat præparare.

Eodem ſermone, & poſt laudata verba, docet itidem Ambroſius, feſtinatas abſolutiones nutrire peccata, aitque, faciles illos promptoſque ad abſolvendum judices non verè pios, ſed auſteros eſſe, neque eos animabus conſulere; „ſed nocere. Conſideremus, inquit, ne & ipſum deterio„rem faciamus, cujus miſeremur injuſtè. Plerumque enim, „non coërcere delinquentes majoris auſteritatis eſt, quàm ſi „ulciſcaris. Traduntur enim in paſſiones ignominiæ, qui, „cùm aliquid inhoneſtum fecerint, nullum culpæ pretium „ferunt. Hic fructus citarum reconciliationum, lapſos non meliores, ſed deteriores reddere, non divinæ eos gratiæ reſtituere, ſed tradere in paſſiones ignominiæ.

§. 3. Sanctus Chryſoſtomus in eâdem eſt ſententiâ cum beato Ambroſio: exiſtimat enim productiori tempore opus eſſe, ut animarum vulnera ſanentur, vel peccatorum maculæ eluantur; docetque maculas, quibus lutum corpus fœdat, citò tolli, cùm maculæ, quibus peccata animam conſpurcant, ægrè nec niſi cum morâ temporis expurgen„tur: [n] Melius eſt enim, inquit, immundo luto pollui, „quàm peccatis. Nam, qui illo eſt inquinatus, brevi tem„pore abluitur, & redditur ei ſimilis, qui nec ab initio in „illam incidit voraginem. Qui autem cecidit in barathrum „peccati, accipit inquinamentum, quod aquâ non mun„datur, ſed multo eget tempore, perfectâque pœnitentiâ, „lacrymiſque ac planctibus, majorique ac vehementiori la„mentatione, quàm quæ propter chariſſimos oſtenditur. „Nam hæ quidem ſordes ad nos extrinſecùs adveniunt; & „ideò eas citò deponimus: illæ autem oriuntur intrinſecus, „& ideò vix eas abluentes emundamus, *Ex corde enim*, inquit,

n *Hom.* 12. *in epiſt. ad Hebra. in morali.*

„ quit Chriſtus, [o] *exeunt cogitationes malæ, fornicationes,* „ *adulteria, furta, falſa teſtimonia.* Quid expreſſius his Chryſoſtomi verbis, ut oſtendatur, ad emaculandam à peccatis animam, non brevi lacrymulâ, & planctu evaneſcente, ſed majori ac vehementiori lamentatione, ac pœnitentiâ multi temporis atque perfectâ opus eſſe? Idem ſanctus exponens Pauli ad Hebræos epiſtolam, poſtquam docuiſſet, peccantibus poſt ſuſceptum fluminis baptiſmum, non alium ſupereſſe fluminis baptiſmum, oſtendit lapſis tamen ſupereſſe pœnitentiæ remedium, & unà declarat, ex quibus virtutibus illud conficiatur, & quâ ratione illud applicandum ſit, ut animabus proficiat ad medelam. „[p] Iterùm, inquit, lapſi ſumus, & ne ſic quidem punit, ſed „ dedit medicamentum pœnitentiæ, quod ſufficit ad delen- „ da & abſtergenda omnia noſtra peccata, ſi modò viderimus cujuſmodi ſit medicamentum, & quomodò id ſit ap- „ plicandum. Cujuſmodi ergo eſt medicamentum pœniten- „ tiæ, & quomodò conficitur? Primùm eſt ex ſuorum pec- „ catorum condemnatione, & ex confeſſione. [q] *Delictum,* „ inquit, *meum cognitum tibi feci, & peccatum meum non* „ *abſcondi.* [r] *Pronuntiabo contra me iniquitatem meam Do-* „ *mino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.* Et iterùm: „ *Dic peccata tua prior, ut juſtificeris.* Et: *Juſtus eſt ſui* „ *accuſator in primo ſermone.* Secundò, ex multâ humili- „ tate: eſt enim veluti quædam catena aurea, & ſi initium „ acceperit, ſequuntur omnia. Nam ſi peccatum fueris con- „ feſſus, ut oportet confiteri, fit humilis anima: eam enim „ verſans & agitans conſcientia efficit, ut ſit contracta. O- „ portet autem alia quoque addere humilitati, ſi talis ſit, „ qualem beatus David habebat, dicens: [s] *Cor contritum &* „ *humiliatum Deus non deſpicies.* Nam quod eſt contritum, „ non exurgit, non ferit, ſed eſt paratum ad malè patien- „ dum, ipſum autem non exurgit. Talis eſt cordis contri- „ tio, etiamſi affecta fuerit contumeliâ, etiamſi malè paſ- „ ſa, quieſcit, nec concitatur ad vindictam. Poſt humili- „ ta-

o *Matth.* 15. 19. p *Hom.* 9. *in epiſt. ad Hebræos in Morali.* q *Pſal.* 31. 5. r *Ibid.* s *Pſal.* 50. 19.

„ tatem verò opus eſt intenſis precibus, multis lacrymis,
„ & interdiù & noctu. [t] *Lavabo*, enim inquit, *per ſingulas*
„ *noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum riga-*
„ *bo. Laboravi in gemitu meo.* Et iterum: [u] *Quoniam ci-*
„ *nerem tanquam panem manducabam, & potum meum*
„ *cum fletu miſcebam.* Et poſt orationem adeò intenſam,
„ multâ opus eſt eleëmoſynâ. Hoc enim eſt, quod reddit
„ admodùm validum medicamentum pœnitentiæ: & quo-
„ modo in medicorum adjumentis eſt medicamentum, quod
„ multas quidem capit herbas, ſed unam, quæ obtinet prin-
„ cipatum: ità etiam in pœnitentiâ, ipſa eſt herba, quæ
„ principatum magìs obtinet, & ipſa fuerit univerſum. Au-
„ di enim quid divina dicat Scriptura: [x] *Date eleëmoſynam,*
„ *& omnia erunt vobis munda.* Et iterùm: *eleëmoſynis &*
„ *fide mundantur peccata.* Et: [y] *Ignem flammantem extin-*
„ *guet aqua, & eleëmoſyna compeſcet magna peccata.* Dein-
„ dè, non iraſci, neque injuriæ acceptæ meminiſſe, omni-
„ bus peccata remittere. [z] *Homo homini*, inquit, *reſervat*
„ *iram, & apud Dominum quærit medelam? Remittite*,
„ inquit, *ut remittatur vobis.* Et fratres ab errore conver-
„ tere. Vade, inquit, & converte fratres tuos, ut remit-
„ tantur tibi peccata tua. Et ſe in ſacerdotes, ut convenit,
„ gerere. Et ſi fecerit, inquit, quiſpiam peccata, remit-
„ tentur ei. Eos tueri ac protegere, quibus fit injuria. Iram
„ non habere. Omnia placidè ac moderatè ferre.

Ex his Chryſoſtomi verbis patet, quòd ad veram pœnitentiam exigat humilitatem, quæ injurias ferre velit, inferre non poſſit, intenſas preces, lacrymaſque non momento, ſed diu noctuque profuſas, eleëmoſynas abundantes, oblivionem acceptæ injuriæ, ſtudium convertendi fratres, demùm eam erga ſacerdotes, qui pœnitentiæ tribunalibus præſunt, reverentiam ac obedientiam, quæ lapſos decet. Hoc eſt, ut pœnæ ab eis impoſitæ reverenter ſuſcipiantur, obedienter executioni mandentur, & tum demùm abſolutionis gratia percipiatur. Hæc autem omnia non brevi horâ, ſed longiori morâ perficiuntur. Ali-

t *Pſal.* 6. 7. u *Pſal.* 101. 10. x *Luc.* 11. 41. y *Eccli.* 3. 33.
z *Eccli.* 28. 3.

Alibi idem ſanctus diſertiſſimis verbis docet, illos ſacerdotes erga lapſos præ cæteris miſericordes eſſe, qui ipſos medicantibus pœnitentiæ vinculis diu ligant, nec citò ſolvunt, nec antequam pœnitentiæ operibus Dominum ſibi propitium reddiderint, liberos eſſe ſinunt. „[a] Quod ſi quiſ-
„piam, inquit, Chriſtianis hominibus convenire dixerit,
„humanitatem erga peccantem fratrem adhibere, diſcat
„ille, humanitate eum uti, qui iraſcitur, non eum, à quo
„præmaturè, qui peccat, vocatur, nec peccati ſui ſenſu
„affici ſinitur. Uter enim, quæſo, febre ac phreneſi labo-
„rantem miſericordiâ proſequitur, iſne, qui in lecto eum
„ſternit, ac vinculis aſtringit, atque à noxiis cibis & po-
„tionibus arcet; an qui ei mero ſe ingurgitandi facultatem
„præbet, ac ſui juris & arbitrii eum eſſe jubet, omniaque
„facere, quæ ab homine ſano atque incolumi valetudine
„fieri debent? An non morbum quoque hic exulcerat, qui
„humanitatis officio fungi ſibi videtur; cùm contra ille
„morbum pellat ac profliget? Eodem modo hîc quoque
„judicamus. Humanitatis enim eſt, ægrotis non ubique
„indulgere, ac præpoſteris ipſorum cupiditatibus adblan-
„diri. Nemo eum, qui apud Corinthios ſtupri crimine ſe-
„ſe obſtrinxerat, tam amabat, quàm Paulus, qui eum
„ſatanæ tradi jubebat: nemo rursùs tam eum oderat, quàm
„ii, qui peccanti applaudebant, & obſequebantur. Atque
„hoc exitus rei comprobavit. Illi enim ipſius etiam ani-
„mum inflarunt, ac tumorem majorem effecerunt: hic
„autem tumorem compreſſit, nec ante abſtitit, quàm eum
„integræ valetudini reddidiſſet. Atque illi quidem malum,
„quod jam erat, auxerunt: hic verò id quoque, quod pri-
„mùm contractum fuerat, evulſit. Quocirca nos etiam
„has humanitatis clementiæque leges addiſcamus. Nam &
„tu, ſi equum videris, qui in præcipitia feratur, frænum
„injicis, acriterque inhibes, ac ſæpe flagellas. Atqui cru-
„ciatus hoc eſt: verùm hujuſmodi cruciatus ſalutem ei aſ-
„fert. Eandem igitur erga eos, qui peccant, rationem te-
„ne. Vinculis eum, qui facinus improbum admiſit, coër-

„ce,

a *Hom. 14. in 2. ad Corint. in Morali,*

„ ce, uſque dum ipſe Deum ſibi propitium ac placidum red-
„ diderit. Solutum ac liberum eum ne linquas: arctioribus
„ divinæ iræ vinculis conſtringatur. Si vincula ipſe injece-
„ ro, Deus non jam vinciet: ſin autem in vinculis eum non
„ tenuero, ejuſmodi eum vincula manent, quæ frangi nul-
„ lo modo queant. [b] *Si enim nos ipſos judicaremus, non u-*
„ *tique judicaremur*. Proindè non eſt, quòd hanc rem
„ crudelitatis ac ſævitiæ eſſe arbitreris, ſed ſummæ clemen-
„ tiæ & benignitatis, præſtantiſſimæque medendi rationis,
„ nec vulgaris erga peccatoris ſalutem curæ. Hæc Chryſo-
ſtomus ut oſtendat, quàm ægris ſalubre animabus, pœni-
tentiæ ligaturis à ſacerdotibus conſtringi, & è contra, quàm
reis ſit noxium, citò abſolvi; proindè non eſſe, quòd hanc
rem crudelitatis ac ſævitiæ eſſe arbitreris, ſed ſummæ cle-
mentiæ & benignitatis, præſtantiſſimæque medendi ratio-
nis, nec vulgaris erga peccatoris ſalutem curæ.

„ Verùm ſatis diu pœnas expenderunt, inquis, reponit
„ Chryſoſtomus. Quamdiu? quæſo, annum unum & al-
„ terum, ac tres? Atqui temporis moram non quæro; ſed
„ animæ correctionem. Hoc itaque fac demonſtres, inquit
ei Chryſoſtomus, qui longioribus reorum pœnis obmur-
„ murabat, ſintne compuncti, ſintne in melius immutati;
„ & res tota confecta erit. Quod niſi ita ſit, nihil profectò
„ temporis diuturnitas emolumenti attulerit. Neque enim,
„ ſæpiúſne obligatum vulnus fuerit, quærimus; ſed an obli-
„ gatio illa quicquam profuerit. Ac ſiquidem etiam ad exi-
„ guum tempus adhibita profuit, non jam ampliùs adhi-
„ beatur: ſi autem nondum eam adhibuiſſe juvit, etiam
„ poſt decem annos adhibeatur. Denique hic tibi ejus qui
„ vinctus eſt, ſolvendi præſcriptus terminus eſto, nempe
„ ipſius utilitas.

Hæc magnus ille Doctor Orientis, ut nos doceat, non
citiùs reos ſolvendos eſſe, quàm noſcantur eſſe correcti,
compuncti, & immutati: vincula pœnitentiæ non propter
ſe ipſa, ſed propter ſalutem animarum adhiberi, temporis
moram, non ſui causâ, ſed correctionis ergò poſtulari;
ſol-

b 1 *Cor*. 11. 31.

ſolvenda eſſe pœnitentiæ vincula, ubi animus correctus, compunctus, & immutatus eſſe cognoſcitur; ea verò non eſſe relaxanda, quantumvis quis diu ea geſſerit, ſi mores non emendati, ſi vita ad Evangelii leges non fuerit directa: denique tunc terminum ſolvendi inſtare, quando ipſa ſolutio prudenter creditur ei, qui ſolvitur ad animæ ſalutem profutura. *Hic tibi*, inquit, *ejus, qui vinctus eſt, ſolvendi terminus eſto, nempe ipſius utilitas.* Hoc autem prudenter credi non poteſt, præſertim quando is crimina confitetur, qui de illis ſe ipſum in pœnitentiæ tribunalibus ſæpe accuſavit, & extra illa nunquam ſe ipſum emendat. Unde tum opus, ut morâ temporis ſacerdos exploret, num is, qui confitetur, verè ſit compunctus, verè ſit correctus à Domino, verè mores vitamque emendaverit. Stultè enim illi ſe correctum immutatumque aſſerenti fides adhibetur, qui ſæpè illud coram ſacris Judicibus verbis aſſeruit, vitâ nunquam hominibus probavit.

§. 4. Requiritur tempus, ut emendatio vitæ perfici & probari poſſit; neque enim propter ſe illud requiritur, ſed tantùm deſideratur, ut illo tanquam inſtrumento emendatio procuretur, & emendationis fides aſtruatur. Atque hoc eſt, quod docet Chryſoſtomus, dum alibi ait, nos habe-„re Dominum miſericordem & benignum, nec opus eſſe „magno tempore; & tantummodò, inquit, magno fer-„vore ac ſobrietate ad ipſum accedamus, rejectis ſæculari-„bus curis omnibus, & ſupernæ gratiæ innitamur: Nam, „inquit eodem loco, & Ninivitæ tantâ peccatorum multi-„tudine aggravati, qui magnam & veram pœnitentiam „egerunt, non indigebant ampliori, quàm trium dierum „tempore ad provocandam Dei bonitatem, & antiquan-„dam; quæ adversùm ſe lata erat, ſententiam. Et quid di-„co Ninivitas? Pergit idem ſanctus, Latro in cruce neque „uno die opus habebat. Et quid dico, die uno? Neque „brevi horâ. Tanta eſt Dei erga nos miſericordia. Nam u-„bi viderit voluntatis noſtræ firmum propoſitum, & fer-„venti nos deſiderio ad ſe accedere, non tardat, neque dif-„fert;

c *Hom. 27. in geneſ.*

„ fert; ſed accelerat, ſuamque ſolitam liberalitatem exhi-
„ bens, dicit: *Adhuc loquente te dicam: Ecce adſum.*

Hæc Chryſoſtomus, ut oſtendat, primò quidem ad converſionem à Deo non tam requiri longum tempus, quàm ardentem animi fervorem; & ſubinde contingere, ut vel tridui ſpatio, ſicut in Ninivitarum animis, vel breviſſimo temporis ſpatio, ſicut in corde latronis, vera converſio enaſcatur. Secundò, Deum verè converſis citò propitium fieri. Verùm ne quis cogitaret veram converſionem plerumque in momento, & non ſenſim formari, ac poſſe credi ibi formatam eſſe, ubi nulli percipiuntur fructus, & opera veræ converſionis, propterea poſt laudata verba Chryſoſtomus in hunc modum proſequitur: „ Itaque exauditu-
„ rus eſt & nos, ſi voluerimus in paucis diebus ſtudii ſpeci-
„ men quoddam afferre, & jejunii ſubſidio non abuti, (alludit Chryſoſtomus ad quadrageſimale jejunium, quo in tempore iſtum habuit ſermonem, in quo hæc ejus, quæ
„ allegamus, verba ſcripta leguntur) & excuſsâ ſocordiâ con-
„ tinuis precibus placare Dominum, calentes profundere
„ lacrymas, delicta noſtra ſedulò confiteri, & quaſi medi-
„ co proponere, & animarum ulcera declarare, nec abjice-
„ re, quam ille dat, medicinam, nec non & alia, quæ à
„ nobis exiguntur, afferre; animo, inquam, conteri &
„ compungi, eleëmoſynam dare largam, affectiones, quæ
„ mentem noſtram interturbant, refrænare, & ex animâ
„ eliminare; ità ut neque à divitiarum cupiditate expugne-
„ mur, neque injurias illatas vindicare cupiamus, neque ho-
„ ſtiliter in proximum affecti ſimus.

Exigit hîc ad veram converſionem, ut dies quadrageſimales pœnitentiæ deputatos non ſinamus otiosè tranſire, ſed per iſtud tempus, excuſsâ ſocordiâ, continuis precibus, & calentibus lacrymis Dominum placare enitamur, ut animarum noſtrarum ulcera ſacerdotibus confitendo declaremus, ut quas ipſi præſcribunt medicinas non abjiciamus, ut alia, quæ à nobis requiruntur, afferamus, ut animo contriti atque compuncti eleëmoſynas largiter in pauperes effundamus, ut affectiones, quibus mens noſtra interturbatur,

batur, mortificationis fræno cohibeamus, imò mortificando eliminemus, ut divitiarum cupiditatem expugnemus, ut illatas nobis injurias minimè vindicemus, demùm, ut erga proximos hoſtilem animum non geramus. En quot opera ad converſionem Chryſoſtomus exigit, en quomodo totum quadrageſimæ tempus purificandis animabus impenſum cupit. En quomodò efflagitat, ut ſumamus pœnitentiæ medicinas, quæ à ſacerdote præſcribuntur, & quales ſunt, fuga occaſionum & illecebrarum, quibus ad peccatum impellimur, quales ſunt reſtitutio rei alienæ, quales ſunt vigiliæ, lectiones ſacræ, orationes, pomparum abjectio, ſeceſſus à turbis, quales ſunt omnia miſericordiæ opera, quibus miſeri & ærumnoſi adjuvantur ac reſoventur. Si lapſi velint à ſacerdotibus credi, quòd in triduo cum Ninivitis, aut in momento cum latrone ſint converſi, edant, ut prudenter eis credatur, tam illuſtria pœnitentis animi argumenta ac edidêre Ninivitæ; oſtendant tantam in cruciatibus patientiam, tantum amorem ac reverentiam erga punientem juſtitiam, tantum Zelum ad defendendos innocentes; tantam fidem ac reverentiam erga Dei filium, tantam humilitatem ac ſapientiam in precibus, ac latro oſtendit, dum pendens in cruce blaſphemum ſocium ſic alloquebatur: [d] *Neque tu times Deum, quòd in eâdem damnatione es. Et nos quidem juſtè; nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali geſſit.* Et dum ad Jeſum dicebat: [e] *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Non poſſum non hanc precem admirari. Eum Dominum & Regem cœlorum agnoſcit, quem Judæi blaſphemabant, milites irridebant, diſcipuli deſerebant. A Chriſto non principem locum, non regni conſortium, non dignitatem filii, non gradum cupit excelſum, non crucis, quas patiebatur, pœnas deprecatur. *Memento*, inquit, *mei*, ut miſeriçors miſeri, ut Salvator perditi, ut medicus ægroti; ſubveniendi ordinem non præſcribo, ſed illum relinquo tuo, Chriſte, arbitrio; non multis, ut me ſalves, tibi opus eſt inſtrumentis; ſufficit te meminiſſe mei, tantam in tuâ memoriâ

d *Luc.* 23.41. e *Ibid. v.* 42.

virtutem agnoſco, & adoro; memento mei in regno tuo; non cupio ut principes ſæculi in ſuis ſuperbis & caducis regnis mei miſericorditer reminiſcantur; nihil in mundo deſidero, quàm tecum ex illo egredi; in regno tuo, quod internum & æternum eſt, in regno tuo, ubi tu æterna veritas Rex es, ubi Deus charitas totum decus eſt, memento mei, ut tibi in æternum ſubditus vivam, ſed ſubditus non poteſtate exteriùs cogente, verùm dilectione ſubjectionem ambiente. Hæc oratio latronis, quæ ab ejus corde non receſſit, quamdiù fuit in vivis. Qui ergo latronis converſionem nobis quotidiè objiciunt, qui ſibi de illâ blandiuntur, qui ex illâ ſuæ converſionis argumenta deſumunt, etiam nobis proferant iſta ſuæ converſionis argumenta, quæ edidit latro, & credemus ipſos in momento inſtar boni latronis eſſe converſos. Oſtendant in pœnis illam reverentiam erga punientem Dei juſtitiam, quæ tam mirabiliter in latrone effulget. Oſtendant illud ſtudium defendendi innocentes, quo latro latronem, ſuoſque judices & tortores omneſque alios in Chriſtum blaſphemos, arguere non veretur. Oſtendant illam humilitatem, quâ ſuum crimen confitetur. Oſtendant illam ſapientiam atque modeſtiam, quâ Chriſtum precabatur. Oſtendant illam conſtantiam, quâ uſque ad extremum vitæ ſpiritum Chriſtum coluit, Chriſtum adoravit, Chriſto ſupplicavit, & ſupplicavit non pro bonis & commodis temporalibus, ſed pro bonis inviſibilibus ſempérque manentibus. Dum autem nullam iſtarum virtutum, quæ in converſo latrone ſplenduerunt, oſtendere poſſunt, ut fidem ſuæ converſionis aſtruant; non ægrè ferant, ſi non credamus ipſos cum latrone in momento eſſe converſos. Credemus autem, dum in ipſis effulgebit illa fides in Chriſtum, illa juſtitiæ punientis religioſa obſervantia, illa magnifica animi libertas ad innocentem contra calumnias defendendum, illa ſapientia ac modeſtia in precibus, non ex formulâ lectis, ſed ex contrito corde profuſis, demùm illa perſeverantia in Dei cultu, quâcum latro vitam finivit.

§. 5. Dum hæc veræ converſionis argumenta petimus, ut ipſos

ipſos credamus brevi morâ eſſe converſos, nihil petimus, quod non juſtiſſimis de cauſis poſtulatur: nemini enim miracula aſſerenti prudenter aſſentimur, niſi ea ſint conſpicua; qui autem ſe brevi momento converſum aſſerit, is grande miraculum in corde ſuo factum eſſe aſſerit. Oportet igitur, ut illud conſpicuum reddat, ſi ſibi de illo credi velit. Quòd autem momentaneæ converſiones, quales latronis, & beati Pauli, & Davidis fuerunt, inter miracula reponendæ ſint, ſanctus Thomas diſertè aſſerit. [f] In operibus, inquit, miraculoſis invenitur aliquid præter ſolitum & conſuetum ordinem cauſandi effectum: ſicut cùm aliquis infirmus ſanitatem perfectam aſſequitur ſubitò præter ſolitum ſanationis, quæ fit à naturâ vel arte; & quantum ad hoc (loquor adhuc verbis ſancti Thomæ) juſtificatio impii quandoque eſt miraculoſa, quandoque non. Eſt enim iſte communis & conſuetus curſus juſtificationis, ut à Deo movente interiùs animam homo convertatur ad Deum, primò quidem converſione imperfectâ, ut poſtmodum ad perfectam deveniat: quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ſicut dicit Auguſtinus. Quandoque verò Deus tam vehementer animam movet, ut ſtatim quandam perfectionem juſtitiæ aſſequatur, ſicuti fuit in converſione Pauli, adhibitâ etiam exteriùs miraculoſâ proſtratione, & ideò converſio Pauli, tanquam miraculoſa in Eccleſiâ commemoratur. Hæc ſanctus Thomas, ut oſtendat ſubitas converſiones eſſe contra conſuetum & communem juſtificationis curſum, qui à parvis incipiens initiis ſenſim creſcit, roboratur, atque perficitur; atque adeò eſſe miraculoſas, hoc eſt, raras nec facilè credendas, niſi ſe ipſas ex fructibus prodant:

[f] 1. 2. Q. 113. *art.* 10. *ad* 6.

CAPUT III.

1. Probatur ex Scripturis, veras converſiones eſſe conſtantes, nec ità deſultorias, uti plures malè opinantur. 2. Titulus ſanctitatis Eccleſiæ competit, quia ſunt innumeri in gremio Eccleſiæ, qui fidem ſuam nunquam mutant à Deo. 3. Patres docent Chriſtianam pietatem atque juſtitiam eſſe firmam ac ſtabilem. Referuntur teſtimonia Juſtini martyris & Tertulliani. 4. Origenes deſcribit ſanctimoniam priſcæ Eccleſiæ. 5. Citantur in eam rem Minucius Felix, Ambroſius, Auguſtinus & Gregorius.

§. 1. SI citæ abſolutiones reverà divinum in animabus lapſorum amorem ac gratiam redintegrarent, animam in Dei obſequio plerumque conſtantem redderent. Hæc enim veræ converſionis, præſertim in adultâ ætate indoles, ut non ſit momentanea, ſed durans; non fugax, ſed manens; non inſtar marini æſtûs veniens & rediens, non inſtar feriarum, quibus gaudent febricitantes, poſt diem aut alterum denuò febre agitandi, non inſtar mundanæ lucis, quæ quotidie oritur & occidit; ſed conſtans, & novis incrementis accreſcens uſque ad perfectum æternitatis diem. Non quòd credam, ſemel juſtificatum à juſtitiâ non poſſe excidere, ut ſentiunt Calvini ſectatores; ſed quòd exiſtimem, eam non eſſe plerumque adeò fugacem, ut non pauci opinantur.

Si ſacra eloquia conſulamus, juſtum deſcribunt, non tanquam in juſtitiâ vacillantem, & quotidie deciduum, ſed tanquam lignum, quod ſecùs decurſus aquarum plantatum ſemperque virentibus ornatum foliis, fert fructum in tempore. [g] *Erit tanquam lignum*, inquit Pſaltes, *quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum; quod fructum dabit*

g *Pſal.* 1. 3.

bit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet, & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.

Alio pſalmo idem Propheta juſtum palmæ & cedro Libani, quæ inter omnes arbores contra procellas firmiſſimæ ſunt, comparat. [g] *Juſtus*, inquit, *ut palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur.* Davidis filius de juſto loquens, illum luci comparat, non quæ evaneſcente ſplendore ad occaſum vergit, ſed quæ continuis incrementis creſcit ad perfectum diem. [h] *Juſtorum ſemita*, inquit, *quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectum diem.*

Alibi ſapiens juſtum comparat ſtabili fundamento quod non commovetur. [i] *Juſtus*, inquit, *in æternum non commovebitur.* Eccleſiaſticus juſtum ſive ſanctum aſſimilat ſoli perpetuâ luce ſemper fulgenti. [k] *Homo ſanctus*, inquit, *in ſapientiâ manet ſicut ſol: nam ſtultus ſicut luna mutatur.*

Si audiamus Evangelium; In Evangelio prædicatur juſtus, inſtar domûs ſupra petram fundatæ, quam nec flumina, nec venti evertant, contra tentationes manſurus immobilis. [l] *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat ſupra petram.* Apud Joannem ait Chriſtus, quòd ille, qui dignè manducat carnem ejus, in ipſo maneat, & ipſe viciſſim maneat in eo. [m] *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ex uſu ſcripturæ verbum manere conſtantem quandam moram denotat. Hinc Paulus, ut exprimat, nos in hoc mundo non diu, ſed in cœlis ſemper futuros, ait: [n] *Non habemus hic manentem civitatem; ſed futuram inquirimus.*

Salvator apud eundem Evangeliſtam, ut juſtorum conſtantem indicet felicitatem, aſſerit, & ſe, & Patrem ſuum manſionem apud eum facturos eſſe, qui ejus ſervaret ſermonem. [o] *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, &*

g *Pſal.* 91. 13. h *Prov.* 4. *v.* 18. i *Proverb.* 10. 30. k *Eccli.* 27. 12. l *Matth.* 7. 24. m *Joan.* 6. 57. n *Hebr.* 13. 14. o *Joan.* 14. 23.

Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Eandem juſtitiæ conſtantiam inſinuat Joannes dum ait: [p] *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius* IN EO MANET, *& non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.*

Diſcipulis ſuis dicebat Paulus: [q] *Sitis ſine querelâ, & ſimplices filii Dei, ſine reprehenſione in medio nationis pravæ, & perverſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Chriſti, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.* Quid in his verbis, quod non denotet conſtantem ſanctitatem? Dicit Apoſtolus Philippenſibus quòd ſicut luminaria lucerent in medio nationis pravæ & perverſæ. Hocne illis elogium tribuiſſet, ſi non luce continuâ, ſed perpetuis viciſſitudinibus interruptâ fulſiſſent; ſi plerumque operibus tenebrarum cum natione pravâ & perversâ communicaſſent, & nonniſi brevibus intervallis luce ſanctitatis à natione pravâ & perversâ fuiſſent diſtincti? Dicine poſſent verbum vitæ continere ad Pauli gloriam, ſi plerumque illud abjicerent vacantes operibus mortis æternæ? Diceretne Paulus, quòd non in vacuum cucurriſſet, neque in vacuum laboraſſet, ſi ejus præcepta nonniſi ſubindè ſervaſſent, plerumque ſuis libidinibus ſervientes?

Princeps Apoſtolorum dicit de fidelibus, quòd gentilibus forent admirationi ob ſuorum morum integritatem. [r] *In quo*, inquit, *admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem.* Poteſtne de illis, qui in crimina, à quibus liberati ſunt, frequenter relabuntur, ſincerè affirmari, quòd non concurrant cum gentibus in eandem luxuriæ confuſionem? Poſſuntne illi gentibus ob morum caſtitatem eſſe admirationi, qui crimina, quæ Chriſto nomen dantes ejuraverant, violatâ fide iterum uſurpant? De illiſne diceret, quòd gentibus forent admirationi, non concurrentibus ipſis in eandem luxuriæ confuſionem; de quibus alibi dicit, quòd [s] *ſi refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti,* his

p 1 *Joan.* 3. 9. q *Philip.* 2. 15. r 1 *Petr.* 4. 4. s 2 *Petr.* 2. 20.

his rurſùs implicati ſuperantur: facta ſint eis poſteriora deteriora prioribus; quódque *melius illis fuiſſet, non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato: contigit enim illis illud veri proverbii: Canis reverſus ad vomitum; & , ſus lota in volutabro luti.* Illi ergò qui gentibus erant ob ſanctimoniam admirationi, conſtanti fulgebant ſanctitate.

Profectò hæc & alia ſcripturarum teſtimonia parùm appoſitè de juſtis dicerentur, ſi more ventorum, qui perpetuâ mutabilitate nunc versùs orientem, nunc versùs occaſum, nunc versùs auſtrum, nunc versùs aquilonem feruntur; ipſi quoque indeſinenti viciſſitudine nunc Chriſto fœderati ſursùm tenderent, mox iterum dæmonibus conjuncti ad inferna properarent.

Dùm ſcripturæ nobis gratiam novi teſtamenti exponunt, tum conſtantem quandam ejus à Deo emanationem inſinuant. [t] *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iſraël & domui Juda fœdus novum; non ſecundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terrâ Ægypti; pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Hîc promittitur filiis novi teſtamenti conſtantia in lege Domini, Judæis pactum ejus irritum facientibus non conceſſa. Hîc promittitur lex ſcribenda in viſceribus, ne oblivioni detur. Hîc promittitur lex ſcribenda in corde, ne aliquando negligatur, & non ametur. Apud Ezechielem filiis gratiæ promittitur [u] *cor novum & ſpiritus novus.* Imò ibi ſpondet Deus, ne à divinis mandatis deflectant, quòd poſito in ipſorum corde ſpiritu ſuo, faciet eos in præceptis ſuis ambulare. [x] *Dabo*, inquit, *vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri; & auferam cor lapideum de carne veſtrâ, & dabo*

t *Jerem.* 31. 31. u *Ezech.* 36. 26. *Ibid.*

to vobis cor carneum: & ſpiritum meum ponam in medio veſtri; & faciam ut in præceptis meis ambuletis; & judicia mea cuſtodiatis & operemini. Hîc conſtans gratiæ operatio, quæ facit præcepta Dei conſtanter cuſtodiri, filiis promiſſionis miſericorditer promittitur. Hîc promittuntur cor novum & carneum, & ſpiritus novus, qui, quod præcipit Deus, libenter, & ideò conſtanter ſit facturus. Opera enim, quæ ex ſpiritu & affectu cordis procedunt, non ſolent deſultoriâ quâdam levitate nunc fieri, & nunc intermitti; ſed inceſſanti tenore procedere. Undè ſcriptura volens quorumdam pertinacem impietatem exprimere: y *Prodiit*, inquit, *quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis.* E contrà quia Judæi, non corde novo, ſed veteri, non carneo, ſed duro, non ſpiritu novo, ſed vetuſto; hoc eſt, non amore, ſed timore, non affectu ſibi in mandatis complacenti, ſed corde & amore ab illis averſo ea faciebant, præclarè hanc illorum inconſtantiam pſalmiſta deſcribit toto pſalmo centeſimo quinto, ubi licet videre, Judæos inquietiſſimâ viciſſitudine nunc Deo vero ſupplices, nunc ad idola proſtratos, nunc in ejus laudem effuſos, nunc ejus laudi & gloriæ detrahentes. Certè ſi filiis novi teſtamenti promitteretur inconſtans divinæ legis cuſtodia, poſſet de illis omnibus, quibus hæc ſit promiſſio, dicere diabolus, quòd legem ſuam ſervent in cordibus, quòd ſuo ſpiritu agantur, quòd cor durum contra Deum retineant. De illis etenim hoc veriſſimè aſſeri poteſt, qui plerumque Deo nonniſi brevibus intervallis, longis vero diabolo ſerviunt.

Corinthiis in Chriſto ſanctificatis vitalem & perſeverantem ſanctimoniam promittit Paulus, dicens de Chriſto: z *Confirmabit vos uſque in finem ſine crimine.* Creſcentem & conſtanter proficientem juſtitiam Philippenſibus dandam idem Apoſtolus confidit, dum ait: a *Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Jeſu Chriſti.* Paſſim in ſcripturis promittit Deus, quòd juſtorum preces exaudiet, & quòd voluntatem timen-

y *Pſal.* 72. 7. z 1 *Cor.* 1. 8. a *Philip.* 1. 6.

mentium ſe faciet. [b] *Oculi Domini*, inquit Rex Propheta, *ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.* Item: [c] *voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos.* Et in Evangelio ait Chriſtus: [d] *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et quid petunt præcipuè juſti? Orant dicentes cum Prophetâ: [e] *Ne repellas me à mandatis tuis.* [f] *Viam iniquitatis amove à me.* [g] *Inclina cor meum in teſtimonia tua.* [h] *Deduc me Domine in viâ tuâ, & ingrediar in veritate tuâ; lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* [i] Orant juſti, ut Deo adjuvante ad nullum declinent peccatum; ſed ſemper ad ejus juſtitiam faciendam eorum procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Orant juſti, ut Deus ipſorum cordibus magis magíſque inſerat ſui amoris affectum, ut ad promiſſiones ejus ſine offenſione currant, ut ipſum in omnibus, & ſuper omnia diligant. Has preces ſcit & probat Deus, quia ab ejus Spiritu in juſtorum cordibus formantur, & quia ſunt ſecundùm cor & voluntatem ejus. [k] *Qui ſcrutatur corda, ſcit*, nempe ſcientiâ approbationis & exauditionis, *quid deſideret ſpiritus: quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis.* Dum autem has preces audit Deus, non deſultoriam ſanctitatis inconſtantiam, ſed eam in ſuo famulatu præbet voluntatem, quæ *conſtans & perpetua* dici poſſit eodem ſenſu, quo juſtitia definitur: *Conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.*

Venit Chriſtus, ut nos docent ſacra eloquia, tollere peccata mundi, unctus fuit in ſanctum ſanctorum, ut finem acciperet peccatum, ut oriretur in diebus ejus juſtitia, ut mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum, ut ſalvum faceret populum ſuum à peccatis eorum. Tolluntúrne peccata, dum in continuò relabentibus ob ingratitudinem & profanatum Chriſti ſanguinem & ob violata ejus ſacramenta, grandiora fiunt? Finemne accipit peccatum, quando ad dies aliquot moritur, ut per menſes iterum regnet? Oriturne juſtitia ad illuſtrem Chriſti gloriam, quando oritur, ut poſt breve intervallum ce-

 dat

b *Pſal.* 33. 16. c *Pſal.* 144. 19. d *Joan.* 16. 23. e *Pſal.* 118. 10. f *Ibid. v.* 29. g *Ibid.* 36. h *Pſal.* 85. 11. i *In collectis Eccleſiæ.* k *Rom.* 8. 27.

dat ad criminis augmentum? Diciturne hoc ſenſu mundare ſibi popnlum acceptabilem, quòd illum die uno aut altero mundet, & acceptabilem faciat, ut illis elapſis fiat populus magìs deteſtabilis? Hæcne glorioſa Chriſti operatio à Paulo prædicata, mundare ſibi populum, qui ad dies aliquot ſectetur decus bonorum operum, & qui illis elapſis velut canis horribilis redeat ad ſuum vomitum? Hocne ſalvum facere populum ſuum à peccatis eorum, eum ſæpè pro brevi intervallo à ſordibus criminum liberum reddere, qui frequentiſſimè & pertinaciter, velut ſus lota, volutabrum luti repetet, ſeſeque in eo revolvet? Qui hæc de Chriſti redemptione ſentit, abjectiſſimè de illâ ſentit.

Si Chriſtus pro nobis ſupplicans, dum dixit Patri: [l] *Sanctifica eos in veritate*; non aliam quàm iſtiuſmodi pro hâc vitâ deſultoriam impetravit ſanctitatem, non tam in veritate, quæ conſtans eſt, quàm in viciſſitudine, quæ non durat, ſanctificati ſumus.

Hæc Chriſti oratio: [m] *Non rogo ut tollas eos de mundo; ſed ut ſerves eos à malo*, conſtantiorem juſtis impetravit à criminibus libertatem, quàm ut æſtimari poſſit, eos quaſi jugi viciſſitudine, nunc eſſe liberos ſub gratiâ, nunc ſervos ſub peccato. Hanc conſtantiam libertatis indicat Paulus, dum de iniquis, fornicatoribus, mollibus, avaris, ebrioſis à Chriſto liberatis ità loquitur. [n] *Et hæc quidam fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Neque enim illis, quorum vita eſt jugis quædam commutatio ſervitutis cum libertate, & libertatis cum ſervitute, hoc elogium: *Et hæc quidam fuiſtis; ſed abluti eſtis*, Apoſtolus poſuiſſet.

§. 2. Glorioſiſſimus ille ſanctitatis titulus, qui ſemper Eccleſiæ Catholicæ competit, non ei tribuitur, quia ſunt in eâ homines ad horam in luce ſanctitatis ambulantes, ſicut Judæi amantes opera tenebrarum, non niſi ad horam voluerunt exultare in Joannis luce; ſed ideo ei is titulus tribuitur, quia ſunt in eâ plurimi, qui à peccatis liberati, & [o] *in charitate radicati & fundati, ſtabiles & immobiles à ſpe*

l *Joan.* 17. 17. m *Ibid. v.* 15. n 1 *Cor.* 6. 11. o *Epheſ.* 3. 17. *Coloſſ.* 1. 2. 3.

ſpe Evangelii, felici progreſſu eunt [p] *de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion.* Ob hanc conſtantem ſanctitatem vocantur à Paulo fideles, *ſancti.* Ob hanc perpetem ſanctitatem eos Petrus vocat [q] *ſacerdotium ſanctum, & gentem ſanctam.* Ad hanc conſtantem ſanctimoniam Deus nos deſtinavit, quia teſte Paulo, [r] *Elegit nos in ipſo* Chriſto, *ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate.* Omnipotentis & omnia ſcientis electio in ſuâ diſpoſitione non fallitur. Quod illa intendit, hoc conſequitur. Intendit verò non deſultoriam & inſtar marinorum æſtuum accedentem & recedentem ſanctitatem; ſed vel firmam atque manentem, vel certè non niſi rarò in illis deciduam, qui corde crediderunt ad juſtitiam, & ore confeſſi ſunt ad ſalutem. Iſtâ conſtanti ſanctitate, Juſtitia & Sapientia incommutabilis ſuos donat cultores. Præclarè hoc docet Sapiens, dum de eo, qui timet Deum, ſic loquitur; [s] *Qui timet Deum faciet bona; & qui continens eſt juſtitiæ, apprehendet illam, & obviabit illi quaſi mater honorificata, & quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet illum.* Quid hoc, *obviabit illi quaſi mater honorificata, & quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet illum?* Juſtitia æterna, *quaſi mater honorificata* occurrit Dominum timenti; quia materni amoris conſtantiâ illum fovet ac nutrit: occurrit *quaſi mater honorificata*, quæ divitiis abundat, ut filiis benefaciat, non quaſi ærumnoſa, quæ præ paupertate filios exponit. *Et quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet illum*; hoc eſt, juſtitia ſuſcipit timentes Dominum, non tanquam meretrix, cujus vagus & inconſtans amor eſt; non etiam tanquam vidua, cujus defunctus maritus adhuc tenet, & ex parte ſervat amorem, ut ſecundum maritum minùs firmiter & fideliter amet; ſed *quaſi mulier à virginitate*, quæ ſuum cor nulli alteri affixit amanti, eum fovendum, amandum ac ſervandum ſuſcipiet. *Cibabit illum pane vitæ & intellectus*, ne aut præ infirmitate voluntatis, aut præ cæcitate mentis ab ipſâ deficiat; *Et aquâ ſapien-*

p *Pſal.* 83. 8. q 1 *Petr.* 2. *v.* 5. *& v.* 9. r *Epheſ.* 1. 4. s *Eccli.* 15. 1. *&c.*

pientiæ ſalutaris potabit illum, ne quâ voluptatis ſiti à Deo recedat. *Et firmabitur in illo, & non flectetur.* Græcè non eſt, *in illo*, ſed, *ſuper eam*, ut ad amatorem juſtitiæ ac ſapientiæ referatur verbum, *firmabitur*; verùm ſenſus in idem recidit: dum enim quis firmatur per ſapientiam, ipſa etiam ſapientia firmatur in illo, inquit præclarè Janſenius, celeberrimus Gandavenſium Epiſcopus. Et dum quis ſapientiæ innititur, continet illum ſapientia, ac ſervat ne cadat. Undè laudatus exactiſſimi judicii interpres Scripturæ advertit hanc eſſe ſapientiæ æternæ ac juſtitiæ bonitatem erga cultorem ſuum, ut ei addat ſtabilitatem ac firmitatem, ne ab eâ, quam amplexatus eſt ſemel, pietate excidat, & ſpe ſuâ fruſtratus confundatur. Hæc ratio, quâ Divina Sapientia ſuos cultores fovet ac protegit, hæc ratio, quâ ſperantem in ſe continet ne deflectat à recto, ne declinet ad caſum, ne defluat ad ſordes, ne gliſcat in lubrico.

§. 3. Quæ ex ſacris eloquiis de ſanctitatis conſtantiâ, quâ dixi filios novi teſtamenti à Deo donari, hactenus dicta ſunt, teſtimoniis SS. Patrum confirmantur. S. Juſtinus in ſuâ ſecundâ pro Chriſtianis apologiâ, dum de illorum moribus loquitur, eis, ex quo nomen Chriſto dederant, conſtantem tribuit vitæ integritatem. „ Qui, inquit, „ olìm ſtupris (nempè in gentilitatis tenebris adhuc conſtituti) lætabamur, nunc caſtitatem ſolam complectimur: „ qui magicis artibus utebamur, bono & æterno nos conſecramus dicamuſque Deo: qui pecuniarum & poſſeſſionum fructus ac proventus præ rebus omnibus adamabamus, nunc etiam ea quæ habemus in commune conferimus, & cum indigentibus quibuſque communicamus: „ qui odiis ac cædibus mutuis inter nos graſſabamur, & pro „ conſuetudine receptâ cum eis, qui contribules noſtri non „ eſſent, communem focum non habebamus, nunc à Chriſti apparitione familiariter ſimul vivimus, & pro inimicis „ oramus; & qui nos iniquo perſequuntur odio, ſuaſione „ flectere conamùr, ut ſecundùm honeſta Dei præcepta vitam agentes, bonam ſpem habeant, eadem ſe nobiſcum „ à Deo omnium Dominatore prœmia eſſe conſecuturos.

Non-

Nonne hîc hominibus à paganiſmo ad Chriſtum verè converſis non interruptam, ſed continuam; non inſtar aurarum nunc ſerenam, nunc tenebroſam, ſed firmam attribuit ſanctitatem?

Si verorum Chriſtianorum integritas vitæ plerumque fluxa fuiſſet, potuiſſetne Scapulæ ex illorum nomine dixiſſe Tertullianus: [t] *In ſilentio & modeſtiâ agimus.... nec aliundè noſcibiles, quàm de emendatione vitiorum.* Ineptè illi de emendatione vitiorum gloriantur, qui vitia ſubindè quaſi cum dolore confitentes, ea identidem repetunt. Non enim ibi vera vitiorum emendatio, ubi nulla in virtute conſtantia, & ubi poſt promiſſam emendationem cum majori turpitudine vitia perpetrantur.

Alibi [u] idem Tertullianus teſtatur, gentiles fuiſſe ſolitos, cùm viderent, quantam morum emendationem in illis Deus operabatur, qui Chriſto nomen dabant, his verbis exclamare: *Quæ mulier! quàm laſciva! quàm feſtiva! Quis juvenis! quàm luſius! quàm amaſius! Facti ſunt Chriſtiani. Ita nomen emendationi imputatur.* Nemini ille ob morum emendationem admirationi eſt, qui emendationem cœptam non perficit, ſed abrumpit, nec ſemel abrumpit, ſed frequenter.

§. 4. Quàm longè fuerint priſci fideles, qui Chriſtianam religionem amplectebantur ex illuſtratione cœleſti, & ex ſancti Spiritûs caſtiſſimâ perſuaſione, non verò ex ſolâ vi moris humani, exemplo majorum introducti, & principum ac Magiſtratuum auctoritate muniti, uti eam nunc plurimi ſequuntur Europæi, qui ad eam amplectendam & profitendam non aliis perſuaſionibus inducuntur, quàm quæ à Majorum auctoritate, & eorum, quibuſcum vivunt ac converſantur, conſuetudine repetuntur, eâ in re Judæis & Mahometanis ac paganis ſimillimi, qui ex cæco brutoque impetu id colunt, quod à majoribus colendum acceperunt: quàm, inquam, longè fuerint priſci Chriſtiani à facinoribus atque flagitiis, ac præſertim ab omni carnis ſpurcitiâ, teſtatur Origenes, [x] quando Celſum, qui Chriſtianos vermibus

t *Tertull. ad Scapul. cap.* 2. u *Apolog. c.* 3. x *Lib.* 4. *contra Celſum p.* 177. & 178. *editionis Cantabrigien.*

bus in obſcuro immundoque cœno volutantibus comparabat, refellit docens, quàm abſurda & veritati adverſa ſit iſta comparatio. Primò quidem, quòd Chriſtiani rationis ductu tranſcenſis lapidibus & lignis, atque etiam iſtis, quibus vulgi æſtimatio pretium addit, auro argentoque, denique aliis omnibus, quæcumque mundus habet ſpectabilia, ad Conditorem aſcendant omnium, ſeque committant ejus fidei, qui ſolus ſufficere poteſt omnibus.

Secundò, quòd à ſuâ ad Deum adhæſione atque fiduciâ non laboribus, non capitalibus periculis, quæ à judicibus imminebant, non argutationibus, quibus eos philoſophi tentabant, poterant divelli.

Tertiò, quòd veneris ſtimulos, animorum virilium hoſtes ac domitores acerrimos, ipſi vincerent, perſuaſi neminem abſque temperantiâ Deo poſſe placere, atque ad ejus familiaritatem aſcendere.

Quartò, quòd juſtitiâ, quæ humanæ ſocietatis ſervatrix eſt, & benignitate, & humanitate, quæ proximis opitulatur, eſſent illuſtres.

Quintò, quòd cogitarent ſibi præceptum eſſe, ne membra Chriſti, templaque ſacroſancta, qualia ſe ipſos æſtimabant, facerent membra meretricis, atque impuro concubitu profanarent.

Sextò, quòd eximii ac liberi eſſent ab iſtis vitiis, quibus homines non Chriſtiani noſcebantur eſſe contaminati. Unde audacter aſſerit, iſta vitia, quibus gentiles erant polluti *non eſſe inter Chriſtianos, ſi propriè Chriſtianum accipias; aut ſi qua inveniuntur etiam inter hos, certè*, inquit, *non inter illos, qui ad cœtus communes & deprecationes conveniunt, nec ab eis arcentur; Niſi fortè perraò talis aliquis cæteros lateat.*

Atque hâc ratione oſtensâ Chriſtianorum ſui ſæculi ſanctimoniâ tandem Origenes hâc ratione concludit contra Celſum, *Itaque non ſumus cœtus vermium.*

Nunquam Origenes tam glorioſum Chriſtianis ſcripſiſſet elogium, ſi Chriſtiani ejus ævi non floruiſſent perenni virore virtutum; ſed vixiſſent in continuâ criminum & expiatio-

num

num viciſſitudine. Nunquam dixiſſet Origenes, perrarò eſſe in Chriſtianis cætibus, libidinibus aliiſve criminibus pollutos, niſi perſeveranti vitæ integritate Deo ſuo ſerviviſſent.

Hæc veritas adhuc illuſtrior evadet, ſi hîc exſcribamus, quæ alibi contra Celſum de Chriſtianorum moribus idem ſcribit Origenes. Lib. 3. pag. 142. & 143. ait, primò quidem à Chriſtianis nullos ad profeſſionem Chriſtianæ religionis, & baptiſmi lavacrum admitti, niſi privatim inſtructos & honeſtæ vitæ cupidos, quos in claſſes diſtribuebant, primam eorum, qui necdum ſymbolum luſtrationis ſive fidei aſſecuti erant; alteram eorum, qui ſymbolum edocti oſtendebant ſibi nihil aliud eſſe propoſitum, quàm cum Chriſtianis ſentire & vivere. His autem duabus catechumenorum claſſibus ſuos dicit fuiſſe Præpoſitos, qui vitam & mores ipſorum obſervabant, ut iſtos religionis candidatos, qui inconceſſa faciebant, à ſacris & congregationibus arcerent, cæteros horum diſſimiles exciperent ex animo, & quotidianis acceſſibus meliores facerent.

Jam erga peccantes, pergit Origenes, *quàm ſevera eſt diſciplina, præcipuè contaminatos libidine, quos à ſuâ communione rejiciunt noſtri! Et Pythagoreorum ſchola quidem veneranda ponebat cenotaphia diſciplinæ ſuæ deſertoribus, nimirum quòd haberet eos pro mortuis: hi verò ut perditos, Deoque mortuos lugent eos, qui libidine aliove ſimili modo victi fuerint.* Tam horrendum & inſolitum ipſis videbatur, eum, qui Chriſto nomen dederat, criminibus pollui.

Sed quomodò reſipiſcentes recipiebant? Iſtud ibidem ediſſerit Origenes, dum ait: *Rursùm reſipiſcentes haud ſecus, quàm redivivos recipiunt tandem poſt longiorem mentis approbationem, quàm cùm primùm ad religionem addiſcendam admitterentur; eâ tamen conditione, ut quoniam lapſi ſunt, excludantur in poſterum ab omnibus dignitatibus & Magiſtratibus Eccleſiaſticis.*

Hæc delineatio priſcæ Eccleſiæ ab Origene facta exhibet nobis Chriſtianos in vitæ innocentiâ firmos ac ſtabiles, non inſtar earum rerum, quæ citò pereuntes, etiam citò naſcun-

naſcuntur & adoleſcunt, in momento formatos; ſed qui in catechumenatu de Spiritu ſancto inſtar Salvatoris noſtri caſtiſſimè ſuſcepti, ſollicitè foti, ſenſim nutriti, diligenter probati, & tandem per baptiſmum nati, & ad cœtum Chriſtianorum admiſſi, creſcebant ætate & ſapientiâ coram Deo & hominibus; quique, quod raró contingebat, ſi libidine aliove crimine polluerentur, à ſtantibus lugebantur tanquam mortui; & reſipiſcentes tanquam ex mortuis redivivi recipiebantur tandem *poſt longiorem melioris mentis approbationem, quàm cùm primùm ad religionem diſcendam admitterentur.* Demùm, inter quos nemo ſacro magiſtratu fungebatur, qui baptiſmum ſuum non integrum ſanctumque ſervaſſet. Non itaque juxta teſtimonium Origenis virtus Chriſtiana mollis, quæ inſtar carnis facilè læditur & redintegratur, ſed firma ac ſtabilis, quæ inſtar oſſium difficulter frangitur, & fracta difficiliùs reparatur. Unde etiam idem Origenes eodem libro pag. 128. & 129. meritò ajebat, Eccleſias Dei collatas ad vulgares gentilium cætus eſſe mundi lumina, & deteriorem Eccleſiæ partem collatam cum vulgaribus concionibus longè præſtantiorem eſſe, magiſtratuſque Eccleſiaſticos doctrinâ & morum probitate longè vincere quoſcumque profanos magiſtratus, qui aut Athenis, aut Corinthi, aut Alexandriæ inveniebantur.

§. 5. Hàc florente & creſcente morum puritate ſe invicem (ut teſtatur Minucius Felix) veri Chriſtiani dignoſcebant. *Sicque nos*, inquit, *non notaculo corporis, ſed innocentiæ & modeſtiæ ſigno facilè dignoſcimus.* Non poteſt innocentia vitæ ſignum eſſe Chriſtiani hominis, niſi innocentia quaſi individuus illorum vitæ ſocius ſit.

Niſi ſemel data Chriſtianis innocentia in eis ut plurimùm ſtabilis foret, non dixiſſet Ambroſius, quòd plures vidiſſet, qui perceptam in baptiſmo innocentiam incontaminatam ſervaſſent, quàm qui perditam reparaſſent. [y] *Faciliùs*, inquit, *inveni qui innocentiam ſervaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.*

Niſi plurimi Chriſtiani ſe totâ vitâ à criminibus continerent,

y *Lib. 2. de pœnit. c. 10.*

rent, quamvis ſine parvis peccatis eſſe non poſſint, non diceret Auguſtinus, in crimina labentem non eſſe bonæ ſpei Chriſtianum. Etenim ſi Chriſtianorum juſtificatio plerumque horaria, & facilè ſæpéque reparabilis foret, poſſet quis eſſe bonæ ſpei Chriſtianus, quamvis crimina committeret. Ait autem Auguſtinus, bonæ fidei & bonæ ſpei Chriſtianum crimina non committere; licet ſine parvis & quotidianis „ peccatis eſſe non poſſit. [a] Non autem, inquit, quia di„ co, quòd non poſſumus hîc eſſe ſine peccato, homicidia „ facere debemus, aut adulteria, vel cætera mortifera pec„ cata, quæ uno ictu perimunt. Talia non facit bonæ fidei, „ & bonæ ſpei Chriſtianus; ſed illa ſola, quæ quotidiano o„ rationis peniculo tergantur.

Eandem juſtitiæ conſtantiam agnoſcit Gregorius, dum exponens illud Ezechielis: *Animalia gradiebantur, nec revertebantur, cùm ambularent.* „ [b] Electi quique, inquit, „ ſic ad bona tendunt, ut ad mala perpetranda non redeant. „ Qui enim perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Et „ ſicut per Salomonem dicitur: *Juſtorum ſemita quaſi lux* „ *ſplendeſcens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem.*

CAPUT IV.

1. Contra iſtam juſtitiæ conſtantiam ſuperiori capite aſſertam, non facit, quòd innumeri à juſtitiâ excidant, quam infantes per baptiſmum acceperunt: etenim Scripturæ & Patrum loca, quæ ad probandam veræ converſionis conſtantiam allegavimus, intelligere oportet de illorum converſione, qui vivo cordis affectu ac mentis intelligentiâ ad Deum converſi ſunt. 2. Sanctis Patribus viſum adeò horrendum & inſolitum ſcelus, quod poſt baptiſmi, Euchariſtiæ & pœnitentiæ ſuſcepta ſæpiùs ſacramenta perpetratur, ut

a *Aug. de verbis Apoſt. Serm.* 29. b *Lib.* 1. *Hom.* 5. *in Ezech.*

ut ſibi vix perſuadere potuerint, talis criminis reos fuiſſe unquam verè converſos. 3. Sancti Patres, dum ajunt, non pœnitentem, ſed irriſorem eſſe, qui adhuc agit, quod pœnitet, non ſolùm de illis intelligendi ſunt, qui peccant in confeſſionis tribunali; ſed etiam de illis, qui extra pœnitentiæ tribunal, peractâ confeſſione, crimina perpetrant. 4. Oſtenditur, ſanctum Thomam huic doctrinæ non eſſe contrarium. 5. Aliis auctoritatibus probatur, veras converſiones ut plurimùm eſſe conſtantes.

§. 1. Contra iſtam juſtitiæ & converſionis conſtantiam, quam ſuperiori capite aſſeruimus, objiciet quis, longè majorem etiam Catholicorum partem malè vivere, & adeptam in baptiſmo juſtitiam amittere, atque indè evidens eſſe, maximam Chriſtianorum partem non conſtanti juſtitiâ & converſione donari; ſed fluxâ & evaneſcente.

Verùm repono, conſtantiam ſanctitatis, quam ex ſcripturis & ſanctis Patribus aſſeruimus, non eam eſſe, quæ latenter per baptiſmum parvulis infunditur; & quæ nec ignorantiam Dei & præceptorum ejus, nec concupiſcentiam, ſive amorem rerum tranſeuntium tollit; nec præcepta ità ſcribit in corde, ut ea infans mentis cogitatione approbet, & motibus voluntatis juſtitiam eorum tanquam delicias ſuas amet ac proſequatur.

Hàc de causâ docet Auguſtinus [c], in infantibus eſſe ſanctitatem baptiſmi *ſine cordis converſione*, ipſoſque ſalvari, ſi ante adultam ætatem moriantur, tametſi *nec corde crediderint ad juſtitiam, nec ore confeſſi ſint ad ſalutem.* Sicut in latrone, inquit, quod ex baptiſmi ſacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas; quia non ſuperbiâ vel contemptu, ſed neceſſitate defuerat: ſic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis

c *Vide Aug. l. 4. de Baptiſm. cont. Donat. c. 22. 23. 24. & 25.*

ctis implere credenda eſt, *quòd non ex impiâ voluntate, ſed ex ætatis indigentia,* nec corde crediderint ad juſtitiam, nec ore confeſſi ſint ad ſalutem.

Hanc juſtificationem, quæ latenter parvulis infunditur, fateor plerumque inconſtantem eſſe; vel quia plurimi apud hæreticos baptizantur, qui eis adoleſcentibus ſuos inſtillant errores; vel quia plurimi, tametſi à Catholicis baptizati, ob deſidiam parentum non inſtruuntur, eorumque ac ſociorum exemplo ad crimina impelluntur.

Verùm aliter de eâ juſtitiâ cenſendum, quæ non confertur niſi poſt fugatas è mente dono cœleſtis ſcientiæ craſſiores ignorantiæ tenebras, niſi poſt ſubactas à voluntate infuſo æternæ veritatis amore dominantes concupiſcentias, & niſi poſt eam hominis ad Deum converſionem, quæ non per occultos habitus; ſed per liberas ejus actiones inchoatur atque perficitur.

Hujus juſtificationis firmitatem, & quaſi continuum progreſſum ſcripturæ nobis aliæ promittunt, aliæ exprimunt, omnes commendant. De iſtiuſmodi juſtificatione atque innocentiâ loquitur Ambroſius, quando ait, *quòd faciliùs invenerit qui innocentiam ſervaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Loquitur enim de illis, qui juxta morem iſtius temporis, in ætate adultâ, per pœnitentiæ gemitus atque dolores ad lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs ſancti ſe ipſos paraverant; atque in eo lavacro remiſſione peccatorum atque innocentiâ à Spiritu ſancto fuerant donati. De violatione iſtiuſmodi baptiſmi, & de lapſu ab innocentiâ in iſtiuſmodi baptiſmo partâ loquuntur Patres, quando baptiſmi violationem, & lapſum à juſtitiâ in illo perceptâ deſcribunt tanquam inſolens & immane crimen, quod ſine longis & auſteris pœnitentiæ operibus rarò remittatur.

§. 2. Quòd quis poſt fruſtrata baptiſmi vota & amiſſum innocentiæ donum, etiam redintegratam in Sacramento Pœnitentiæ juſtitiam repetito crimine violaret, id SS. Patribus viſum adeò horrendum & Chriſtiano nomine indignum ſcelus, ut ſibi perſuaſerint illos, qui poſt exomologeſim

criminum, & laborioſum pœnitentiæ baptiſma ad vomitum redirent, non fuiſſe verè pœnitentes, ſed irridentes; nec Deum placâſſe, ſed pœnitentiæ ſimulatione graviùs offendiſſe; nec à reparatâ juſtitiâ excidiſſe, ſed crimen continuaſſe. Hinc illa ſolemnis vox SS. Patrum: [d] „Pœnitentia „eſt, & mala præterita plangere, & plangenda iterum non „committere. Hinc illa vox S. Ambroſii: [e] Meritò repre„henduntur, qui ſæpiùs agendam pœnitentiam putant: „nam ſi verè agerent pœnitentiam, iterandam non putarent. Hinc illa vox S. Auguſtini loquentis de illis, qui ſic ſe accuſant, ut adhuc illos peccare delectet: „ [f] Profeſſio eſt; non „emendatio. Accuſatur anima; non ſanatur.... Iſta eſt, fi„lioli, vera pœnitentia, quando ſic convertitur quis, ut „non revertatur; quando ſic pœnitet, ut non repetat. Hinc ejuſdem Auguſtini hæc quoque ſententia: „ [g] Fru„ctus dignus eſt pœnitentiæ, tranſacta flere peccata, & ea„dem iterum non agere. Sicut ſcriptum eſt, [h] *Ne adjicias „peccatum ſuper peccatum.* [i] *Lavamini*, dicit Dominus per „Iſaiam Prophetam, *& mundi eſtote.* Lavatur itaque, & „mundus eſt, qui & præterita plangit, & iterùm non ad„mittit. Lavatur & non eſt mundus, qui plangit, quod „geſſit, nec deſerit; ſed poſt lacrymas flenda hæc, quæ „fleverat, repetit. Hinc illud præclarum ſancti Fulgentii de relabentibus effatum: „ [k] *Nunquam diluunt gemendo „peccatum: quia non deſinunt peccare poſt gemitum.* Hinc illa ſancti Iſidori à plurimis, qui eam ſecuti ſunt, auctoribus laudata ſententia: „ [l] Irriſor eſt, & non pœnitens, qui adhuc a„git quod pœnitet; nec Deum videtur poſcere ſubditus, ſed „ſubſannare ſuperbus. Hinc illa vox Gregorii ſeptimi: [m] In„fructuoſam pœnitentiam dicimus, quæ ità accipitur, ut „in eâdem culpâ, vel ſimili, vel deteriori, vel parùm mi„nori permaneatur. Hinc ejuſdem Pontificis hæc ſenten„tia: [n] Quiſquis dignè vult pœnitere, neceſſe eſt, ut ad „fi-

d *Ambr. Serm.* 34. *Hieron. in pſal.* 118. *Aug. Serm.* 66. *de tempore Gregor. hom.* 34. e *Ambr. lib.* 2. *de pœnit. c.* 10. f *Aug. Serm.* 7. *de temp.* g *Aug. Serm.* 66. *de temp.* h *Eccli.* 5. 5. i *Iſai.* 1. 16. k *Fulgent. lib.* 1. *de remiſſione peccat. c.* 12. l *Iſidor. lib.* 2. *ſentent. c.* 16. m *Lib.* 7. *Epiſt.* 10. n *Ibid.*

„fidei recurrat originem, & quod in baptiſmo promiſit, „diabolo ſcilicet, pompiſque illius abrenunciare, & in „Deum credere, videlicet rectè de Deo ſentiendo, man- „datis ipſius obedire, ſollicitus ſit vigilanter cuſtodire. Qui- „cumque ergo taliter pœnituerit, (quoniam aliter ſimula- „tio dici poteſt, non pœnitentia) illi peccatorum ſuorum „remiſſionem, Apoſtolicâ freti poteſtate, largimur.

§. 3. Sancti his verbis non ſolùm denotare voluerunt, quod ille non veram; ſed falſam agat pœnitentiam, qui eodem tempore, quo apud ſacerdotem pœnitet, crimen perpetrat, vel ſaltem perpetrare proponit: iſta enim peccandi impudentia rara eſt, & per ſe manifeſtum, quòd ſit irriſor & non pœnitens, qui dum confitetur ſacerdoti, crimina perpetrat, vel perpetranda animo deſignat: verùm SS. Doctores laudatis ſententiis voluerunt docere, quòd etiam illi de falsâ & ſimulatâ pœnitentiâ ſuſpecti habendi ſint, qui poſt tentatam à ſacerdote criminum reconciliationem, eadem repetunt. „Lavatur, inquit, Auguſtinus, „& non eſt mundus, qui plangit, quod geſſit, nec deſe- „rit; ſed poſt lacrymas flenda hæc, quæ fleverat, repetit. Non ait Auguſtinus, eum non mundari lacrymis pœnitentiæ, qui dum lacrymatur, crimina perpetrat; ſed eum lavari, & non mundari, qui poſt lacrymas flenda hæc, quæ fleverat, repetit. Sanctus Fulgentius pariter non ait, illos falsò pœnitere, qui dum ore confitentur eadem, vel alia ſcelera perpetrant, ſed ait „illos nunquam diluere pecca- „tum, quia non deſinunt peccare poſt gemitum. Ambroſius quoque pœnitentiam illorum tanquam falſam traducit, qui eam iterandam putant. *Nam*, (inquit) *ſi verè agerent* „*pœnitentiam, iterandam non putarent.*

S^tus^. Iſidorus, dum ait, irriſor eſt, & non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet, etiam de illis loquitur, qui poſt expletas pœnitentiæ functiones crimina repetunt: patet illud ex eis, quæ paulò poſt laudata verba ſubjungit. „Quoſdam, inquit, accipere lacrymas ad pœnitentiam, „& effectum pœnitentiæ non habere conſtat; quia incon- „ſtantiâ mentis, nunc recordatione peccati lacrymas, nunc

„ verò reviviſcente uſu, ea quæ fleverant, iterando com„ mittunt. Non ait, eos effectum pœnitentiæ non habere, qui dum lacrymantur, crimina perpetrant; ſed ait, eos effectum pœnitentiæ non habere, qui inconſtantiâ mentis, nunc recordatione peccati lacrymas fundunt, nunc verò reviviſcente uſu, ea, quæ fleverant, iterando committunt.

Hâc ratione loquuntur, quia ex fructibus converſionem & abſolutionem conſequentibus de ejus veritate & utilitate judicant. Quando ergo poſt converſionis & abſolutionis ſpeciem non ſequebatur permanens vitæ emendatio, tum judicabant SS. Patres nec converſionem nec abſolutionem veras fuiſſe. „ [o] Licèt fateantur SS. Patres, inquit Vincentius Contenſonius, illuſtris, ſive eloquentiam, ſive doctrinam, ſive pietatem ſpectes, ex ſancti Dominici familiâ Theologus, „ eos, qui gratiam acceperint, ab eâ poſſe „ excidere, criminum tamen & converſionum perpetuam „ viciſſitudinem rem eſſe vulgarem & quotidianam, nun„ quam ſibi, nunquam aliis perſuadere potuerunt; ſed eos „ nunquam pœnitentiæ ſolidum ſenſum habuiſſe cenſue„ runt, in quorum factis nullum mutationis veſtigium ap„ paret; rati repentinas illas converſiones, quæ punctum „ temporis durant ſtatimque evaneſcunt, falſas eſſe & falla„ ces, veriſque converſionibus minimè eſſe annumeran„ das.

§. 4. Sed dices Doctorem Angelicum, cùm ſibi objeciſſet illa Patrum verba; [p] *Pœnitentia eſt ante acta peccata deflere, & deflenda iterùm non committere*; reſpondere, non eſſe veri pœnitentis, ut dum actu vel voto pœnitet, ſive pœnitentiæ ſacramentum ſuſcipit, tum etiam crimina committat. Ille enim, inquit, eſt irriſor & non pœnitens, qui ſimul, dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit iterùm facturum ſe, quod geſſit, vel etiam actualiter peccat eodem, vel alio genere peccati. Quòd autem aliquis poſtea peccat, ſicut ait idem ſanctus Doctor, vel actu vel propoſito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit. Et hujus ſuæ aſſertionis dans rationem, *Nunquam enim*

o *Tom. 9. pag.* 368. p 3. *P. q.* 85. *art.* 10. *ad* 4.

enim, inquit, *veritas prioris actus excluditur per actum contrarium ſubſequentem. Sicut enim verè cucurrit, qui poſtea ſedet: ità verè pœnituit, qui poſtea peccat.*

Ad hanc objectionem repono, nihil in his ſancti Thomæ verbis contineri, ex quo inferri poſſit, crediſſe ſanctum Doctorem, eos inter veros pœnitentes reponendos eſſe, quorum vita non eſt niſi criminum & confeſſionum reciprocatio. Tantùm ergo hîc docet Angelicus Doctor, verba laudata Patrum non in eo rigore intelligenda eſſe, ac ſi fieri non poſſet, ut qui ſemel fuiſſet verè converſus, iterùm laberetur, atque omne crimen commiſſum poſt ſuſceptum pœnitentiæ ſacramentum, evidens & indubitatum fucoſæ converſionis indicium foret. Fateor etenim fieri poſſe, ut verè converſus, & à ſacerdote reconciliatus, iterùm flagitia vel facinora perpetret, aut quia gravioribus & novis tentationibus pulſatur, aut quia de propitiato peccato malè ſecurus auxilium divinæ gratiæ negligit implorare. Vult ergo iſto reſponſo ſanctus Thomas ſolùm docere, citata Patrum verba non eſſe adverſa doctrinæ, quam in corpore articuli ſtabilit, nempe habitam charitatem amitti, & ſacramentum pœnitentiæ non ſolùm ſemel, ſed ſæpiùs ab eodem homine utiliter uſurpari poſſe, quamvis in Eccleſiâ diù moris fuerit, ut non niſi ſemel ſuſciperetur, quemadmodum Tertullianus, Ambroſius & Auguſtinus teſtantur: quod ne adverteret S. Thomas, in causâ fuit auctor libri de verâ & falsâ pœnitentiâ, quem ſolet ſemper citare, acſi Auguſtini genuinus liber foret, cùm tamen Auguſtini minimè ſit.

Porrò quòd priſca Eccleſia non niſi ſemel ad ſacramentum pœnitentiæ lapſos admittebat, non fuit quaſi ex regulâ fidei, quâ crederet iſtud ſacramentum non niſi ſemel poſſe uſurpari; verùm erat partim ex Zelo diſciplinæ, & quâdam curâ ac proviſione Eccleſiæ, ne ſpes abſolutionis iterùm atque iterùm obtinendæ audaciam peccandi præberet, & ne (loquor cum Auguſtino) q *medicina vilis, minùs utilis eſſet ægrotis, quæ tantò magìs ſalubris eſt, quantò minus con-*

q *Epiſt. 54. ad Macedon.*

contemptibilis fuerit. Partìm ex perſuaſione, quâ exiſtimabant, veras converſiones plerumque conſtantes ac firmas eſſe.

§. 5. Hinc quando indictâ perſecutione, multi, ne quid Chriſti causâ paterentur, Chriſto renunciabant, tunc judicabant Patres, iſtiuſmodi homines non tam perſecutione cecidiſſe, quàm perſecutione demonſtratum fuiſſe, quòd & ante perſecutionem ſuis cupiditatibus victi ſuccubuiſſent. Si enim toto corde ad Dominum converſi ſæculo animitùs renunciaſſent, ortâ perſecutione propter verbum, non exaruiſſent tanquam temporales radicem non habentes; ſed vinci à ſæculo non poſſent, qui undè vincerentur in ſæculo non haberent; ſequerentur Dominum ſoluti & liberi, ut Apoſtoli, & ſub Apoſtolis multi, & nonnulli deinde fecerunt, qui & rebus ſuis & parentibus derelictis, individuis Chriſto nexibus adhæſerunt. [r] *Sequi autem Chriſtum,* inquit Cyprianus, *quomodo poſſunt, qui patrimonii vinculo detinentur? Aut quomodo cœlum petunt, & ad ſublimia & alta conſcendunt, qui terrenis cupiditatibus prægravantur?*

Nolim quis credat ſenſiſſe Cyprianum, eos, qui tormentis cruciati aliquando ſuccumbebant, etiam ante indictam perſecutionem lapſos fuiſſe. Tales enim cùm nunc flagella ſcinderent, nunc contunderent fuſtes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, caro in colluctatione deſerebat; non animus. ut ferè loquitur ſanctus. Verùm illos duntaxat, quorum perfidia congreſſionem præveniebat, exiſtimabat, & ante ortam perſecutionem inſatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubaſſe, ut perſecutio ipſis fuerit potiùs index lapsûs præteriti, quàm cauſa futuri.

Socrates motam ſub Juliano Apoſtatâ perſecutionem deſcribens, dicit eâ oſtenſum fuiſſe quinam ſinceri, quinam verò fucoſi Chriſtiani eſſent: „[s] Confeſtim igitur tum qui „veri, inquit, tum qui falſi Chriſtiani eſſent, tanquam „in fornace probati, omnibus innotuerunt. Nam qui ſin-

„cerè,

r *Serm. de lapſis.* s *Lib. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 13.*

„ cerè, & ex animo Chriſtiani erant, ſicut ait idem auctor, „ cingulum depoſuerunt, quidvis ferre parati potiùs, quàm „ Chriſtum negare.... Cæteri verò, qui non ex animo Chri- „ ſtiani erant, ſed divitias & honores hujus ſæculi veræ fe- „ licitati præferebant, ſine ullâ cunctatione ad ſacrifican- „ dum ſeſe contulerunt. Non oſtendiſſet perſecutio qui- nam veri, & quinam ficti eſſent Chriſtiani, ſi Dei amor tam fugax eſſet, ac plures opinantur; verùm ipſa effeciſſet, ut ex veris ſincerisque Chriſtianis plurimi in apoſtatas mutati fuiſſent.

Non poſſum hîc non referre, quid idem Socrates narret de quodam Sophiſtâ, cui nomen Ecebolius. „ [t] Hic, in- „ quit, ad Imperatorum mores ſeſe fingens atque accom- „ modans, Conſtantio quidem regnante, Chriſtianam ſe „ religionem ardentiſſimè colere ſimulavit; Juliani verò „ temporibus, gentilium ſuperſtitioni ſupra modum addi- „ ctus apparuit; poſt obitum autem Juliani rurſus Chriſtia- „ nam religionem profiteri voluit. Etenim pro foribus Ec- „ cleſiæ ſe pronum abjiciens, his vocibus uſus eſſe dicitur: „ *Calcate me ut ſal inſipidum.* Hujuſmodi fuit Ecebolius; „ ſicut anteà levis atque inconſtans, ità etiam poſteà. Hæc Socrates de Ecebolio. Uti ergo priſci Patres ex fide vel perfidiâ, quam poſiti in perſecutione Chriſtiani oſtendebant, ipſi colligebant, quales ante perſecutionem fuiſſent, ità ſæpè licet colligere ex iis, quæ peractâ confeſſione perceptâque communione Chriſtiani religiosè aut irreligiosè agunt, quales tum fuerint, cùm ſua peccata ſacerdoti confitebantur, & communione donabantur. Certè nulli dubium eſſe poteſt, quin Ecebolio leviores & inconſtantiores eos omnes habuiſſent, qui non bis aut ter diverſis ſub Imperatoribus, inſtar Ecebolii, datam Deo fidem fallunt; ſed qui ſæpè decies uno anno in uſu ſacramentorum ſe Deo vovent, & paulò poſt votorum immemores ſe iterum criminibus dedunt. Certiſſimum etiam eſt, eos qui Ecebolio jacenti ante fores Eccleſiæ & humillimâ voce clamanti, *Calcate me ſal inſipidum*, credere noluerunt, ſed uti falſum, levem

[t] *Lib. 3. Hiſt. Eccleſ.*

levem ac inconſtantem repulerunt, nullatenùs iſtis fidem præbituros fuiſſe, qui ſacramenta pœnitentiæ & corporis Chriſti centenis vicibus ſuſcipientes, millenis vicibus inhonorarunt ac violarunt. Quamvis ergo nunquam veritas prioris actûs excludatur per actum contrarium ſubſequentem, prudentiſſimè tamen ex actibus ſubſequentibus, tanquam ex indicibus internorum affectuum de ſinceritate priorum actuum judicium ſæpè ferri poteſt. Hoc niſi verum foret, non abiiſſet in proverbium, quòd in dejectione à proſperitate & gloriâ illud ſit commodi, ut cognoſcere poſſimus, quos nobis, quoſve fortunæ noſtræ habuimus amicos. Hoc niſi verum eſſet, imprudenter collegiſſent Eccleſiæ Doctores, Pharaonem, ne tunc quidem, quando ſævientibus plagis, ſuum crimen accuſabat, verè ad Dominum fuiſſe converſum, ſiquidem illis ceſſantibus ſtatim ad genium redibat. Hoc niſi verum eſſet; non rectè judicaſſent Patres Saülem, quando à Samuele correptus confitebatur crimen ſuum, dicens: [u] *Peccavi, quia prævaricatus ſum ſermonem Domini*, non fuiſſe verè pœnitentem: non enim hoc aliundè judicarunt, quàm ex illis peccatis, quæ poſt iſtam confeſſionem legitur peregiſſe. Hoc niſi verum eſſet, nunquam dixiſſet B. Albertus Magnus. [x] *Argumentum falſæ contritionis habet, qui quamvis peccata commiſſa vehementer defleat, tamen continuò poſt dolorem eadem vel alia committere, non reformidat.*

Ex operibus igitur ſubſequentibus de præcedentium ſinceritate aut falſitate prudenter judicatur.

CAPUT V.

1. *Sacerdos, qui cum verâ in animas charitate & Chriſtianâ cum prudentiâ ſacramenta adminiſtrat, attendet magìs ad fructus pœnitentiæ, quàm ad folia confeſſionis, atque ex illis diſcernet, quando reus ſolvendus aut ligandus eſt.*

2. *Tamet-*

u 1. *Reg.* 15. 24. x *In Paradiſo animæ. c.* 38.

2. Tametſi veriſſimum ſit, quòd pœnitentia, quamvis ſit exigui temporis, ſi intimâ cordis amaritudine agatur, non deſpiciatur à Deo; attamen rariſſimum eſt, ut illa momento, præſertim in relapſis, efformetur. 3. Veræ pœnitentiæ ſignum in patientiâ dilationum, quas ſacerdotes ægris animabus, ut eas curent, præſcribunt. Si qui pœnitentes eas non ferunt, id ſignum, illos veris pœnitentibus non eſſe annumerandos. 4. S. D. N. Innocentius XI. juſſit, ut Confeſſarii ex fructibus pœnitentes dijudicent, vultque eos non abſolvi, qui non oſtendunt factis ſe eſſe correctos.

§. I. CUm ex eis, quæ hactenùs diſſeruimus, non ſit obſcurum præproperas eorum abſolutiones, qui non ſolùm baptiſmi ſacramentum, ſed etiam pœnitentiæ multoties violarunt, æſtimatas fuiſſe à ſanctis Patribus non animabus ſalutares, ſed noxias; non veras, ſed falſas; non remedia, ſed incentiva peccati; hinc ſacerdos, qui in ſuo Oratorio non multos, ſed verè pœnitentes cupiet adunatos, non præproperè, ſed maturè; non imprudentèr, ſed prudenter abſolvet. Non autem maturè & prudenter abſolvet: niſi magìs attendat fructus pœnitentium, quàm verba, quæ ſunt veluti quædam confitentium folia; & niſi ex prævià vitæ emendatione, dignâque præteritorum criminum vindictâ potiùs, quàm ex ſponſionibus leviter factis, & nunquam ſervatis, de ſinceritate converſionis, ſine quâ nulla poteſt eſſe abſolutio efficax, cenſeat ac diſcernat. Hanc aſſertionem illuſtrat atque confirmat Gregorius Magnus, dum ait: „[y] Tria quippe in unoquoque conſideranda ſunt veraciter pœnitente: videlicet converſio mentis, confeſſio oris, & vindicta peccati. His dictis, deindè aſſerit maximus Pontifex, de veritate converſionis non ex

[y] *Lib. 6. c. 15. in lib. 1. Reg.*

ex confeſſione, ſed ex pœnitentiæ operibus eſſe judicandum.
„ Signum, inquit, veræ converſionis non eſt in oris confeſ-
„ ſione; ſed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque verè
„ converſum peccatorem cernimus, cùm dignâ afflictionis
„ auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Un-
„ dè Joannes Baptiſta malè converſos Judæos ad ſe confluen-
„ tes increpans, ait: [z] *Genimina viperarum quis oſtendit vo-*
„ *bis fugere à venturâ irâ: facite ergo fructus dignos pœni-*
„ *tentiæ.* In fructu ergo, non in foliis, aut ramis pœniten-
„ tia cognoſcenda eſt. Quaſi arbor quippe bona voluntas
„ eſt. *Confeſſionis ergo*, adde ſponſionis, *verba quid ſunt*
„ *aliud niſi folia?* Non ergo nobis folia propter ipſa, ſed
„ propter fructum expetenda ſunt: quia idcirco omnis con-
„ feſſio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ ſubſe-
„ quatur. Undè & Dominus arborem foliis decoram, fru-
„ ctu ſterilem maledixit; *quia confeſſionis & ſponſionis orna-*
„ *tum non recipit ſine fructu afflictionis.* Ergo non ſoli reo-
rum confeſſioni ac promiſſioni; ſed operibus converſionem atteſtantibus credendum. Ergo an peccator abſolvendus aut ſalutaribus dilationum remediis ligandus ſit, non ex foliis ſponſionum; ſed ex emendationis fructibus definiendum eſt. Ergo ne ſublimis ſacerdotum poteſtas in vilem degeneret ſervitutem, iis præſertim, qui ſemper confitentur & nunquam ſe corrigunt, illud Joannis intorquebit: [a] *Facite fructus dignos pœnitentiæ:* ut ex illis, & non ex foliis de converſionis veritate, & cordis bonitate judicium fiat.

§. 2. Scimus quidem, poſſe Deum momento temporis cor convertere, nec tam attendere, quamdiu quis pœnituerit, quàm conſiderare, quàm acerbo dolore quis conteratur. Notum illud Auguſtini: „ [b] Pœnitentia quamvis ſit
„ exigui temporis, ſi intimâ cordis amaritudine agitur, non
„ deſpicitur apud judicem juſtum Deum, qui cordis ſecre-
„ ta conſiderat. Non enim longitudinem temporis tantùm
„ requirit Deus, quantùm affectum ſinceritatis pœnitentis
„ penſat. Hæc quamvis veriſſima ſint, eſt tamen etiam veriſſimum, illam intimam cordis amaritudinem, & ſincerum

z *Luc.* 3. 7. a *Luc.* 3. 8. b *Serm.* 66. *de Temp.*

rum pœnitentiæ affectum, quæ à Deo non deſpiciuntur, ſed grata habentur, raro adoleſcere in momento; præſertim in illorum cordibus, qui non ſemel ſpiritui gratiæ contumeliam fecerunt, & ſacramenta ſæpè violando, etiam ſanguinem Chriſti ſæpè polluerunt. Vulnera animarum, non ſecus ac corporum, ſæpè iterata difficilem & longam ſortiuntur curationem: & ut exterior homo non ſubitò, ſed morâ grandeſcit, ità novus homo ex veteri, naturâ, longâ conſuetudine, abuſu medicamentorum, & repetitis fœderum cum Deo initorum violationibus corrupto, in momento rariſſimè efformatur.

„[c] Non ità facilè, crede mihi lector, inquit Contenſo„nus, formatur in corde vera contritio, ſincera conver„*ſio*, *caſta dilectio*, atque ore quibuſdam actuum for„*mulis*, laudabilibus illis quidem, atque ad excitandam „pietatem perutilibus, profertur, quaſi illis mentis muta„tio alligetur. Falleris, ſi credas verba prolata continuò ani„mi metamorphoſin ſequi, eodemque momento vincula „peccatorum frequentatis actibus obfirmata dirumpi, cor „lapideum in carneum commutari, obtinerique converſio„nem, quæ non niſi petendo, quærendo, pulſando im„petratur. Nam, ut ait Auguſtinus, epiſt. 144. & lib. 12. „Confeſſ. c. 1. Cùm nos hujus charitatis, quâ lex veriſſimè „impletur, pauperes egenteſque ſentimus, non de inopiâ „noſtrâ divitias ejus exigere; ſed orando petere, quærere, „pulſare debemus. Longior porrò eſt impetratione petitio, „& operoſior eſt manus pulſans, quàm ſumens. Confeſ„ſarius ergo, cui non eſt datum ſcrutari renes & corda, pec„catoribus in eadem flagitia ſemper recidentibus, & per„petuò fallentibus non debet citò credere, quantumvis o„re aſſerant ſe vitam commutaturos, & jam cordis reſol„viſſe glaciem, ob quaſdam vocum formulas à ſe prolatas, „& gratiâ converſionis ſe affici, quam nec ardenter petive„runt, nec ſtudioſè quæſiverunt, nec inſtantibus pulſa„tionibus lacrymis & ſatisfactionibus poſtulaverunt. Ma„ximè, quia licèt peccator ille momento eſſe poſſit per ſum„mum

c *Tom. 9. pag.* 361.

„ mum miraculum converſus, attamen, ut id exploret, „ cordibus non illabitur judex ſpiritalis. Eſt igitur officii & „ prudentiæ ejus, per aliquod tempus differre abſolutionem, „ ut veris pœnitentiæ fructibus converſionis ſinceritatem „ exploret, ne præcipiti veniâ & fallat, & fallatur.... Ergò, „ nè conceſsâ imparato, impœnitenti præproperâ recon-„ciliatione, vincula Confeſſarius implicet, quæ relaxare „ vult, ne abortiones filiorum ſpiritualium procuret, & „ exorientis vitæ ſcintillas obruat, uſitatum gratiæ curſum „ teneat, paulatìm ſenſimque procedat, quem prudenter „ reconciliationi immaturum judicat, impoſitis peccandi „ induciis per pœnitentis vitæ aliquos labores ac dolores ad „ parturiendam in Chriſto novam creaturam diſponat. Hæc Contenſonius; cujus verba fusè exſcripſi & retuli, quia ab eo ſcripta ſunt cum illuſtri approbatione virorum ex prædicatorio ordine clariſſimorum.

§. 3. Pœnitentes, qui ſunt verè pœnitentes, & non irridentes, gaudebunt hanc erga ſe diſciplinam exerceri; nec medico ſuo rationem medendi, nec ſuo judici ſententiam, quâ ipſi judicandi ſunt, dictare audebunt. Signum pœnitentis animi non eſt in deſiderio præproperæ abſolutionis, nec in temeritate judicem & medicum docendi, nec in fiduciâ facilioris veniæ, quia magnus eſt lapſorum numerus, quia multi animarum medici periculis indulgent, dum, quod ægri præ impatientiâ deſiderant, ipſi contra ægrorum ſalutem facilè indulgent. „ [d] Nihil, inquiunt Confeſ-„ſores Moyſes & Maximus, Nicoſtratus & Rufinus, ad „ extenuationem delicti numerus impudens valere conſue-„vit, ſed pudor, ſed modeſtia, ſed patientia, ſed diſci-„plina, ſed humilitas atque ſubjectio, ſed alienum de ſe „ expectaſſe judicium, ſed alienam de ſuo actu ſuſtinuiſſe „ ſententiam. Hoc eſt quod pœnitentiam probat, hoc eſt, „ quod dejectæ mentis ruinas erigit & attollit, quod arden-„tem delictorum æſtuantium vaporem reſtinguit & finit. Undè præclarè ibidem ſubjungunt Confeſſores: „ Non ea, „ quæ ſanorum ſunt corporum, ægris medicus debet; ne „ im-

d *Inter epiſt. Cyprian. epiſt.* 26.

„ importunis cibis tempeſtatem valetudinis ſævientis non re„ primat, ſed accendat: ſcilicet ne quod potuiſſet jejunio „ attenuante ſanari, videatur per impatientiam longiùs paſtâ cruditate produci.

[e] Clerus Romanus S°. Cypriano ſcribens, non ſecus atque laudati Confeſſores, in modeſtiâ ac patientiâ, quæ æquo animo ſalutares dilationes medicaſque moras ferunt, argumentum veræ pœnitentiæ repoſitum agnoſcit. *Multùm*, inquit, *illis*, lapſis, *proficiet petitio modeſta, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia non otioſa*; nempe inſtans pœnitentiæ exercitiis, inſtans jejuniis, eleëmoſynis atque laboribus, incumbens ſacris lectionibus, orationibus, atque vigiliis. Undè idem Clerus hanc legem lapſis figit: „ Mittant, inquit, legatos pro ſuis doloribus lacrymas, „ advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, „ dolorem probantes commiſſi criminis & pudorem. Immò ſi dedecoris admiſſi magnitudinem perhorreſcunt, ſi „ pectoris & conſcientiæ ſuæ lethalem plagam, & ſinuoſi „ vulneris altos receſſus verè medicâ manu tractent, erubeſcant & petere: niſi quia majoris eſt rursùm & periculi & „ pudoris, auxilium pacis non petiiſſe.

En quomodo verus pœnitens adeò erubeſcit veniam petere, ut ab iſtâ petitione ſibi omninò temperaret; niſi ipſe ſupremus judex ſpem veniæ ſuo nobis præcepto injungeret, atque adeò majoris foret periculi ac pudoris, ſi, quod ipſe reis injungit, reus ipſe negligeret. En etiam quàm impudens ſit illorum cenſenda audacia, qui poſt enormia crimina vel multoties in confeſſione expoſita, & nunquàm emendata, reconciliationem non humili prece; ſed minis à ſacerdote tentant extorquere, dicentes, morâ abſolutionis ſibi fieri injuriam, ſeque adituros alium presbyterum, qui ipſos pro lubito ſolvet. Verùm probus ſacerdos illorum minis minimè cedet, ſed cum Eccleſiâ Romanâ eis dicet, „ ut pul„ ſent fores, ſed utique non infringant. Adeant limen Ec„ cleſiæ, ſed non utique tranſiliant. Caſtrorum cœleſtium „ excubent portis, ſed armati modeſtiâ, quâ intelligant ſe „ de-

e *Int. epiſt. Cypriani. epiſt.* 31.

„ deſertores fuiſſe. Reſumant precum ſuarum tubam, ſed quâ „ non bellicum clangant. His verbis alludit Romanus Clerus ad morem ſui ævi, qui etiam multis poſt ſæculis viguit, quo lapſi & pœnitentes, ſicuti ſupra retulimus, à myſteriis & communione ſecluſi, & ad fores Eccleſiæ collocati omnibus charis Dei, quemadmodum loquitur Tertullianus, adgeniculabantur, eiſque precum ſuarum legationes injungebant; æſtimantes ſe indignos, qui propiùs ad Dominum accederent, nimiúmque fore felices, ſi poſt decurſa longioris pœnitentiæ ſtadia tandem aliquando reconciliarentur.

In hâc humilitate dilationum patiente indicium pœnitentis animi Patres agnoſcebant: atque hæc dilationum remedia tanquam ſibi utilia etiam lapſi illi laudabant, qui eis ſub ipſo converſionis ſuæ diluculo præ impatientiâ nonnihil renitebantur. Advertunt hoc Romanæ Eccleſiæ presbyteri atque diaconi, monentes S. Cyprianum, ut ardorem lapſorum citò reconciliari volentium temperet, nec feſtinâ pace illorum pericula velit augere. „ [g] Tu tamen frater, inquiunt, nunquam pro tuâ charitate deſiſtas lapſorum animos temperare, & errantibus veritatis præſtare „ medicinam, licèt animus ægrorum, medentium reſpuere ſoleat induſtriam. Recens eſt lapſorum nuper hoc vulnus, & adhuc in tumorem plaga conſurgens: & idcirco „ certi ſumus, quòd ſpatio productioris temporis, impetu „ conſeneſcente, amabunt hoc ipſum, ad fidelem ſe dilatos „ eſſe medicinam: ſi tamen deſint, inquiunt, qui illos arment ad periculum proprium, & in perverſum inſtruentes, pro ſalutaribus dilationum remediis, exitioſa depoſcant illis properatæ communicationis venena.

Experimur etiam hocce tempore plurimos illorum, qui dilationes reconciliationis, ut dura remedia reſpuebant, poſtea approbaſſe & laudaſſe, quòd ad fidelem fuiſſent dilati medicinam. Conſtat etiam ideò nonnullos lapſorum ſalubritati dilationum plerumque contradicere, quia plurimi illorum, qui profitentur artem animabus medendi, eos armant ad periculum proprium, & in perverſum inſtruentes pro

g *Epiſt. 30. int. epiſt. Cypriani.*

pro ſalutaribus dilationum remediis exitioſa eos docent, properatæ communionis venena depoſcère.

§. 4. Verùm licet ſperare, fore, ut in poſterum & præcones Evangelii, & præſides tribunalium pœnitentiæ annitantur, ut lapſi ament ſpatio productioris temporis ſuas obduci cicatrices, & ut deſiderent alto vulneri diligentem longamque medicinam, nec velint pœnitentiam crimine minorem. Etenim S. D. N. Innocentius XI. juſſit, datis è ſuo nomine litteris, ut prædicatores ad pœnitentiam vitæque emendationem verbo & exemplo omnes adhortentur; & ut Confeſſarii ad firmum emendationis propoſitum pœnitentes inducant, atque ex factis, & non ex verbis dijudicent, quos peccatores ſolvere, quoſve ſalutaribus dilationis pœnarumque vinculis debeant ligare.

Non erit inutile hîc inſeri epiſtolam, quam ex mandato Sanctiſſimi Domini noſtri ad omnes ſui Ordinis miniſtros Provinciales ſcripſit Joannes Baptiſta à Sabbio Procurator & Commiſſarius Generalis Capucinorum. Tenor ejus epiſtolæ hic eſt:

„Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa Innocentius XI. „animadvertens multorum Chriſtianorum corruptelas & „exceſſus, præſertim mulierum pompam & immoderan„tiam in veſtitu, cupienſque intimo cordis ſui affectu à po„pulo ſibi commiſſo hujuſmodi mala, & flagella iræ Dei, „quæ propter illa imminent, avertere, videnſque nullum „eſſe his remedium congruentius, quam ſi fideles ubique „pœnitentiam agant, vitamque ſuam corrigant, ac ad nor„mam Chriſtianarum legum eam componant, vocatis ad „ſe omnibus Procuratoribus Generalibus, ardentiſſimo „Spiritus ſui Zelo illis ordinavit, ut moneant & inducant „Concionatores ſuarum reſpectivè Religionum, ut in con„cionibus Chriſtianos Spiritu & Stylo Apoſtolico ad pœni„tentiam agendam, vitamque ſuam emendandam & in me„lius commutandam adhortentur; nec non Confeſſarios, „ut in confeſſionibus ritè officio ſuo fungantur, pœniten„tes inſtruendo, monendo, reprehendendo, & etiam, „ſi opus fuerit, abſolutiones eis denegando, præſertim mu-

„ lieribus ornatu immoderato vel immodeſto corporis ha-
„ bitu utentibus. Ut igitur debito noſtro ſatisfaciamus, per
„ præſentes mentem Sanctiſſimi Domini noſtri tibi R do. Pa-
„ tri Miniſtro Provinciali notificamus, ut omnem adhibeas
„ operam & diligentiam, ut concionatores tuæ Provinciæ
„ juxta conſtitutionum noſtrarum præſcriptum conciones
„ reforment, & opportuno verbo & exemplo ad indu-
„ cendos fideles ad pœnitentiam & morum correctionem
„ concionentur. Confeſſarii quoque Concionatoribus con-
„ cordantes ad verum peccatorum ſuorum dolorem fir-
„ mumque emendationis propoſitum pœnitentes ſuos in-
„ ducant, eos etiam beneficio abſolutionis privando, quos
„ ex factis viderint non eſſe ſufficienter diſpoſitos & præpa-
„ ratos ad illud recipiendum, præſertim mulieres nolentes
„ à ſuis vanitatibus, pompis exceſſivis & veſtibus immode-
„ ſtis abſtinere. Quos autem tam Concionatores, quàm
„ Confeſſarios repereris à prædictorum executione aberrare,
„ eos ab exercitio officiorum concionandi & confeſſiones
„ excipiendi reſpectivè debebis removere, ut ii ſoli prædi-
„ cta munia exerceant, qui ſe dictis & factis idoneos Dei
„ miniſtros exhibuerint.

Summa auctoritas, quam omnes Catholici in Succeſſore Petri Romano Pontifice agnoſcunt & obſervant, ſpem præbet deinceps pauciores futuros, qui lapſos in proprium ſuum periculum arment, in perverſum eos inſtruentes, ut poſcant pro ſalutaribus dilationum remediis exitioſa properatæ communionis venena; ſed potiùs fore non paucos, qui ligandi ſolvendique poteſtatem ritè exerceant, examinantes quæ culpa præceſſerit, & quæ pœnitentia ſit ſecuta poſt culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos ipſi ſuâ ſententiâ abſolvant. Inſuper ſperandum, fore, ut lapſos probè inſtruentes, ipſos doceant, priùs corda per odium peccati & amorem juſtitiæ à Deo eſſe vivificanda, quàm ſint criminum vincula ſacerdotis manu ſolvenda: [h] ſicut Lazarus priùs erat à Chriſto excitandus ad vitam, quàm ab Apoſtolis ad humana ſolvendus com-

h *Vide Gregor. hom. 28. in Evang.*

commercia; „ ſi enim diſcipuli Lazàrum mortuum ſolve„rent, fœtorem magis oſtenderent, quàm virtutem. Ex „ quâ conſideratione cognoſcimus, inquit Gregorius, quòd „ illos nos debemus per paſtoralem auctoritatem ſolvere, „ quos auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gra„ tiam vivificare.

Demùm ſperandum, fore, ut & Prædicatores & Confeſſarii doceant lapſos dignis pœnitentiæ fructibus reconciliationem priùs promerendam, quàm impatienti audaciâ eſſe poſtulandam; exiſtente hâc differentiâ inter remiſſionem criminum vi baptiſmi, & eorundem relaxationem vi ſacramenti pœnitentiæ, quòd ad conſequendam baptiſmi gratiam non requiratur præparationis meritum, ſi parvulus baptizetur; vel non adeò magnum & diuturnum meritum poſtuletur, ſi adultus ſacris baptiſmi laticibus perfundatur, quàm poſtuletur, ut lapſus à baptiſmi innocentiâ, cum Deo in gratiam redeat. Hinc ait ſanctus Pacianus: „ [i] Baptiſmus „ eſt ſacramentum Dominicæ Paſſionis: pœnitentium ve„ nia, meritum confitentis. Illud omnes adipiſci poſſunt, „ quia gratiæ Dei donum eſt: labor verò iſte paucorum eſt, „ qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera convaleſcunt, „ qui lacrymoſis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu re„ viviſcunt.

Si hæc Paciani verba dicantur minùs ſpectare ad eos, qui ſine converſione cordis in infantiâ baptizati remiſſionem peccatorum adepti ſunt; credaturque iſtorum in Sacramento pœnitentiæ non adeò difficulter, ac ſanctus ille Doctor laudatis verbis inſinuat, converſionem procurari, non multùm reſiſto: verùm ſi de illorum reconciliatione agitur, qui ipſum etiam Sacramentum pœnitentiæ multis vicibus violarunt ad vomitum revertentes; vix dubium eſſe poteſt, quin iſti & lacrymoſis vocibus & moroſis pœnitentiæ laboribus, & ipſo carnis interitu ſe debeant ad pœnitentiæ veniam præparare. Atque hæc præparatio vocatur à S. Paciano *meritum confitentis*; quia confitens per eam percipiendæ abſolutioni idoneus efficitur.

 Li-

i *Epiſt. ad Sympron.*

Liceat itaque concludere, ſcelerum reos, non ex con feſſionum ſæpiùs fruſtra editarum, nec ex foliis ſponſionum frequenter violatarum; ſed ex pœnitentiæ fructibus, emendatione vitæ, immutatione morum, divinorum cuſtodiâ mandatorum dijudicandos eſſe, nec citiùs abſolutione donandos, quàm iſtis pœnitentiæ operibus Confeſſario de ſuæ converſionis ſinceritate fidem fecerint.

CAPUT VI.

1. Aliud eſt negatio, aliud abſolutionis dilatio. Neganda abſolutio omnibus, qui eam noſcuntur inutiliter accepturi. 2. Differenda abſolutio illis, de quibus meritò dubitatur, utrum eam cum fructu percipient. 3. Utile etiam ſufficienter diſpoſitis abſolutionem differre, ſi ex dilatione judicetur pœnitens in odio peccati & virtutis amore firmandus. 4 Qui nonniſi veniales culpas confitentur, ut ſtudeant emendandæ vitæ, ſubindè ſine abſolutione dimittendi.

§. 1. QUia in rectâ adminiſtratione clavium Eccleſiæ, veluti in fibulâ, quemadmodum loquitur ſanctus Pacianus Barcinonenſis in Hiſpaniâ Epiſcopus, tota Eccleſiæ diſciplina connectitur, ad clariorem notitiam ejus rationis, quâ ſacramentum pœnitentiæ adminiſtrandum eſt, nonnulla velim animadverti.

Primò quidem, aliud eſſe dilationem abſolutionis, aliud negationem abſolutionis: ſicuti aliud eſt repulſa ejus, qui injuſta poſtulat, aliud dilatio ejus, de quo dubitatur, an juſtè poſtulat, vel an, quod conſequi deſiderat, cum fructu percipiet. Neganda illis abſolutio, qui eâ noſcuntur indigni; quales ſunt illi omnes, qui ab occaſionibus peccatorum proximis recedere nolunt, qui ablata reſtituere detrectant, qui videntur nullum rerum divinarum ſenſum habere, nec ob aliam cauſam ſacramentum pœnitentiæ frequen-

quentare, quàm ductu & vi publicæ conſuetudinis, vel ſtudio ſui honoris & exiſtimationis conſervandæ; demùm illis omnibus neganda abſolutio, quibus deeſſe cognoſcitur vera cordis converſio, quâ ſine in ſacramento pœnitentiæ nulli mortalium utiliter poteſt impendi.

Ab hâc regulâ recedere ſacerdos non poteſt, quæcumque incommoda, quæcumque ſcandala ex negatione abſolutionis ſecutura prævideantur; ſicuti nemini licet crimen perpetrare, ut mala ſibi vel aliis imminentia evitet, vel etiam ſibi aut aliis bona procuret: non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona.

§. 2. Differenda abſolutio iis, de quibus dubitatur, an illis utiliter poterit donari. Tales enim non repellendi ſunt tanquam *indigni*; ſed dilatione probandi, ut ipſorum dignitas, de quâ dubitatur, magìs innoteſcat. Non decet, ut Judex reum in cauſis criminalibus, ex quibus reipublicæ tranquillitas ac ſalus dependet, ſtatim abſolvat ac liberum dimittat, ſimulac probationes contra reum allatæ paribus probationum momentis impugnantur: prudentis enim judicis tunc eſt, ſententiam aliquo-uſque differre, ut diligentiori examine veritas clariùs innoteſcat, & reſpublica periclitans in tuto collocetur. Pari, imò majori ratione ſacer Judex abſolutionis ſententiam tunc debet differre, quando juſtas habet rationes dubitandi de rei converſione. Eſt enim officium ſacri judicis reo conſulere, eumque novo periculo non objicere. Eum autem novo peccandi periculo objiceret, ſi ei abſolutionem daret, dum planè incertus eſt, an ei ſit profutura. Si ergo ei, quemadmodum oportet, conſultum velit, utetur aliquâ morâ, ut de rei converſione prudens judicium formare, atque illo ex judicio eum abſolvere poſſit. Differet ergo ſententiam abſolutionis, donec reum ex dignâ vitæ emendatione, converſum æſtimare poſſit.

Et quamvis eâ certitudine, cui falſitas ſubeſſe non poſſit, nemo in hâc vitâ ſine divinâ revelatione, quæ rariſſimè conceditur, certiſſimè ſcire poſſit, num quis amore aut odio Dei dignus exiſtat; attamen ex fugâ occaſionum

peccandi, ex reſtituendi promptitudine, ex orationum & lectionum frequentiâ, ex largitate eleëmoſynarum, ex benignitate erga proximum, ex patientiâ in adverſis, ex dilectione inimicorum, aliiſque pœnitentis animi indiciis, ac præſertim ex perſeveranti per notabile temporis ſpatium vitæ tenore de converſionum ſinceritate prudenter licet cenſere. Hæc autem prudens cenſura ſine temporis lapſu ferri rariſſimè poteſt.

Undè meritò Joannes de Lugo, qui ex theologo ſocietatis Jeſu ad Cardinalitiam dignitatem meruit aſſumi, ſic loquitur: „[k] Certum eſt, quando ſacerdos attentâ con„ſuetudine præteritâ, & propenſione, aliiſque circumſtan„tiis judicat pœnitentem non averti ſufficienter ab illo pec„cato, non poſſe eum abſolvere, quantumcumque pœni„tens dicat ſe dolere; quia ſi ſacerdos id non credit, non „habet judicium requiſitum ad conferendam abſolutionem. Undè etiam ibidem ait idem Cardinalis: „Aliquan„do utile erit differre abſolutionem per aliquot dies, ut ap„pareat correctio & obſervatio propoſiti. Deinde aſſerit quòd in hoc conveniant auctores communiter. Poſtea, nonnullis interpoſitis, laudatus Cardinalis ait, iſtam dilationem non modò utilem eſſe, ſed inſuper aſſerit, ſacerdoti ex officio incumbere, ut eam pœnitenti præſcribat. „Cer„tum eſt, inquit, quando dilatio.... neceſſaria eſt ad explo„randum firmum propoſitum pœnitentis, de quo non ſa„tis conſtat, poſſe & debere differri abſolutionem.

Hæc ille Cardinalis, ex cujus doctrinâ conſtat ſacerdotum officium eſſe, ſæpè abſolutionem differre, cùm perſæpè ſacerdos de converſione pœnitentis incertus ſit.

§. 3. Secundò, differre poteſt ſacerdos rei abſolutionem, tametſi eum abſolutioni idoneum judicet, ſi animo prævideat, quòd ex abſolutionis dilatione in odio peccati, & virtutis amore firmior evadet, ad venerabile ſacramentum religioſiùs accedet, atque ex illo abundantiorem Dei gratiam percipiet. Ea enim debet ſacerdotis erga pœnitentes eſſe dilectio ac Zelus procurandæ illorum ſalutis, ut res ſa-

k *Diſp. 14. de Sacram. pœnit. ſect. 10.*

ſacras eâ ratione adminiſtret, quæ pœnitenti fructuoſior futura ſperetur.

Huic doctrinæ conſentit Cardinalis de Lugo, quem ſupra laudavimus, loco ſupra citato. hic enim cùm propoſuiſſet ſibi hanc quæſtionem: „ An poſſit eſſe cauſa rationa-
„ bilis aliquando ad differendam abſolutionem abſque con-
„ ſenſu pœnitentis, licèt ipſe aliundè credatur probabiliter
„ nunc eſſe diſpoſitus? Huic quæſtioni reſpondet in hunc modum. „ Proculdubio videtur vera communis ſententia
„ affirmans, cujus ratio deſumitur ex fundamento contra-
„ rio; nam licèt pœnitens legitimè diſpoſitus, confeſſione
„ factâ, habeat jus ad ſententiam, & ad abſolutionem; non
„ tamen habet jus ad hoc, ut ſtatim proferatur ſententia:
„ poteſt enim Judex arbitrari, quomodò, & quando de-
„ beat utiliùs proferri ſententia.

„ Similiter ergo quando meritò timet pœnitentem nunc
„ abſolutum facilè relapſurum in eadem crimina, niſi ipſâ
„ difficultate & dilatione abſolutionis territus, agnoſcat me-
„ liùs gravitatem peccati, & neceſſitatem emendationis, po-
„ terit differre abſolutionem, ut pœnitens utiliter admoni-
„ tus non maneat in tanto periculo reincidentiæ, quantum
„ aliàs certiſſimè ſubiret.

„ Confirmatur ex communi doctrinâ Theologorum,
„ qui dicunt poſſe confeſſarium aliquando obligare pœni-
„ tentem ad implendam pœnitentiam ante abſolutionem;
„ quod licèt non poſſit facere per modum vindictæ & puni-
„ tionis, poteſt ſaltem facere per modum medicinæ, quan-
„ do judicat id eſſe neceſſarium, vel utile pœnitenti, ex eo,
„ quòd ſoleat facilè omittere poſtea pœnitentias ſibi impoſi-
„ tas, vel ut Confeſſarius certus ſit de pœnitentiâ impletâ,
„ vel ob alios fines.

„ Imò apud Græcos ſic ſolitum fieri, ut nemo ante ex-
„ pletam pœnitentiam abſolveretur, dicit Palatius in 4. diſt.
„ 15. q. 1. ex Nicephoro lib. 11. cap. 26. quod cum publicis
„ peccatoribus olim ſervatum fuiſſe colligitur ex Catechiſ-
„ mo Pii 5. de ſacram. Pœnitentiæ n. 68. Ex quâ doctrinâ
„ habemus, poſſe confeſſarium differre abſolutionem, quan-

„ do id utile judicat, per aliquod tempus: quod certè re-
„ quiritur, ut pœnitentia impleatur.... Non ergo eſt con-
„ tra jus pœnitentis, ſi abſolutio in ejus utilitatem per ali-
„ quod tempus differatur.

„ Ratio autem à priori eſt; quia Confeſſarius non ſolùm
„ eſt Judex, ut dixi, ſed etiam medicus; unde ſicut in pœ-
„ nitentiâ imponendâ ità exercet officium judicis punientis,
„ ut debeat ſimul exercere officium medici curantis, atque
„ adeò procurare, quòd impoſitio pœnitentiæ ſit in utilita-
„ tem & medicinam pœnitentis, quo reddatur magìs cau-
„ tus & fortis contra tentationes; ſic in proferendâ abſolu-
„ tione, licèt principaliter exerceat munus judicis abſolven-
„ tis pœnitentem diſpoſitum, debet tamen ſimul procura-
„ re, ut medicus, in ipsâ abſolutione curationem pœniten-
„ tis, eo videlicet modo abſolvendo, qui magìs cedat in u-
„ tilitatem & remedium ægroti; ad utrumque enim habet
„ jus Confeſſarius, nec poteſt prohiberi à pœnitente, quòd
„ in ipsâ abſolutione exerceat officium medici; ſicut nec po-
„ teſt ab eo prohiberi, quòd in impoſitione pœnitentiæ non
„ ſit merus Judex, ſed etiam exerceat officium medici.

„ Cùm ergo Confeſſarius judicat expedire dilationem ab-
„ ſolutionis, ad hoc ut pœnitens reddatur magìs cautus, &
„ confirmetur in propoſito non peccandi, nec ità facilè po-
„ ſtea relabatur, poteſt certè, & *debet* aliquando ut medi-
„ cus hoc remedium pœnitenti adhibere, nec poteſt ægro-
„ tus rationabiliter conqueri adversùs medicum, cui ſe in
„ hoc ſacramento curandum tradidit: neque in hoc debe-
„ mus recedere à ſententiâ communi, cui adſtipulatur expe-
„ rientia multorum pœnitentium debilium, qui hoc reme-
„ dio adhibito brevi tempore ſolent curari, & pro pueris
„ potiſſimùm videtur magìs neceſſarium, qui hoc modo
„ meliùs concipiunt neceſſitatem perſeverantiæ in propoſito
„ non peccandi.

Quod hîc tradit Cardinalis Lugo, illud quoque ante ipſum præclarè tradidit Emericus de Bonis ſocietatis Jeſu, ſive doctrinam ſive pietatem conſideres, illuſtris quoque religioſus. Hic in tractatu de SS. Sacramento Altaris, quem

Ro-

Romæ anno 1595. publici juris fecit, ità ſcribit: „[1] Utiliſ-
„ſimum ergo relapſuum remedium eſt, & frequenti expe-
„rientiâ confirmatum, ut in aliquod tempus iis homini-
„bus abſolutio differatur, quò victu cultuque aſperiori,
„antequam ad communionem accedant, ſe præparent. Eſt
„enim, qui, poſtquam innumera crimina & horrenda ſcele-
„ra ſacerdoti patefecit, perendino aut tertio die carne &
„ſanguine Chriſti refici non timeat; quod ſanè non eſt per-
„mittendum; quoniam qui habitum peccati contraxit, non
„niſi magno niſu reſipiſcere, magnâque animi contentione
„excitare in ſe ſalutiferum peccatorum dolorem valet.

„ Quemadmodum arbor annoſa non unico ictu dejicitur,
„nec vas aliquod tetro liquore imbutum, ſi ſemel frigidè
„abluitur, odorem amittit, ſed opus eſt, ut diù in cine-
„re & lixivio ferveſcat; eâdem quoque agendi ratione erga
„illos homines utendum eſt, qui tam ſæpè ad ſua peccata
„recurrunt: ſubeant poſt expoſita expanſaque flagitia,
„pœnarum & laborum genera, quibus ſentiant, doleant,
„& deteſtentur præteritas culpas: quod quia ab illis non
„exigitur, citò ſuum vomitum reſorbent.

„ Multi Confeſſarii pii prudenteſque teſtantur, innu-
„meros homines, qui peccatis priùs obſtricti erant, quòd
„eam rationem tenuiſſent, dilatâque abſolutione ſæpiùs ad
„tribunal, ut animi ſtatum identidem aperirent, illos redi-
„re juſſiſſent, impoſitâ interim delictorum pœnâ, priſti-
„nos mores in melius mutaviſſe, & magno gaudio, ma-
„gnoque deinceps in virtute progreſſu, infandam peccati
„conſuetudinem abjeciſſe.

„ Durum equidem & grave ipſis videbatur, toties ſine
„abſolutione, & piacularibus pœnis oneratos remitti; ve-
„rùm multi poſtea ſeveritatis illius fructum & utilitatem
„experti, gaudentes, & ut de ſe optimè meritis gratulantes
„rediêre, futurumque fatentes fuiſſe, niſi ejuſmodi au-
„ſteritate eſſent cohibiti, laudabiliorem vitam ut nunquam
„inſtituerent. Magno dolore proculdubio, dum Chi-
„rurgus humorem pungit, ægrotus afficitur; ſed ſanatus
„gratias agit, mercedemque pro beneficio rependit.

1 *Cap.* 19.

Hæc ad ſalutem animarum utiliſſimè & præclarè Emericus de Bonis, [m] apud Vincentium Contenſonium pari doctrinæ & pietatis laude conſpicuum, qui Patris Emerici tractatum pro magnâ parte latinitate donavit, & ſuæ Theologiæ mentis & cordis inſeruit.

Cardinali de Lugo, Emerico de Bonis, & Contenſonio ſubſcribit Joannes Boſco ex Ordine fratrum Minorum eruditus Theologus. Hic enim cùm ſtatuiſſet, ſacerdotem poſſe ſubindè pœnitentis, quem, omnibus conſideratis, debitè diſpoſitum exiſtimat, abſolutionem differre, aſſertionem ſuam ità probat. „ [n] Quia, inquit, licèt pœnitens „ legitimè diſpoſitus habeat jus ad abſolutionem, non tamen ad hoc ut ſtatim proferatur; poteſt quippe judex arbitrari, quando & quomodò utiliùs debeat proferri ſententia.... quando meritò timet pœnitentem nunc abſolutum facilè relapſurum, niſi territus dilatione abſolutionis, gravitatem peccati & neceſſitatem emendationis agnoſcat, poterit ſacerdos differre abſolutionem ad majorem pœnitentis utilitatem. Ego, inquit Arriaga, ſupra n. 39. dicere poſſum, me multoties cum aliquibus invenibus hoc remedio uſum, & feliciter illud mihi ſucceſſiſſe.

Hæc Boſco, qui nonnullis interpoſitis, rationem doctrinæ ſuæ hanc aſſignat: „ Quia ſacerdos non ſolùm eſt judex, „ ſed etiam medicus. Sicut ergo in ſatisfactione imponendâ „ præ oculis habere debet, ut non ſit tantùm ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem, ſed etiam „ ad vitæ novæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, „ ità quoque in dandâ abſolutione; neque in iſto officio „ impediri poteſt à pœnitente.

Hæc ratio Joannis de Boſco, quam ab Em^{mo}. Cardinali de Lugo mutuatus eſt, ita firma & invicta eſt, ut aliis argumentis ad eam muniendam minimè opus ſit.

§. 4. Poteſt inſuper abſolutio differri ob peccata venialia, dum pœnitens iis affectu inhæret, nec ſatagit illum exuere, ut Deo liberiori charitate deſerviat. Iſta enim dilatio ſti-

m *Tom. 8. Diſſert. 4. cap. 2. pag. 899.* n *Joan. Boſco diſput. 7. de ſacram. pœnit. ſect. 4. de dolore ſacramentali concluſ.* 11.

ſtimulos ei addet, ut vehementiori conatu ſtudioque conſtantiori terrenum affectum minuere & expugnare conetur; utque noxium deponat errorem, quo nonnulli ſibi ipſis perſuadent, ſufficere confeſſionem ad eluendas veniales maculas, tametſi ab eis recedere animo non proponant: cùm tamen certiſſimum ſit, neminem peccatorum etiam leviorum veniam conſequi, qui de illis non doleat, nec ea ſuperare contendit. Cùm ergo nulla peccata ſine dolore remittantur, non rectè uteretur ſacerdos poteſtate ſibi traditâ, & irritam ſciens & volens proferret ſententiam, ſi eum à venialibus delictis abſolveret, quem ſcit illorum affectui non renunciare.

Deindè utilis ob venialia peccata dilatio abſolutionis, ne illi, qui eis amore adhæreſcunt, de abſolutione nimiùm præſumentes, corpus Chriſti minùs reverenter, quàm oportet, accipere præſumant: nam etiam ob venialia delicta, quibus affectu adhæretur, conſultiſſimum ſubinde à communione recedere. „[o] Etſi enim (loquor cum Contenſonio) dilatio, quæ à negligentiâ & incuriâ ſalutis proficiſcitur, animo interim ad communionem digniùs obeundam nihil ſollicito, ſed liberiùs cupiditatibus indulgente; „etſi, inquam, hujuſmodi dilatio nihil ad communionem „ſanctiùs percipiendam adjuvet, ſed potiùs ex adipe iniqui„tatis prodeat; attamen dilatio eo fine ſuſcepta, ut con„ſentaneum apparatum, piorum operum ſtudio & exerci„tatione quis aſſequatur, utiliſſima eſt, à Patribuſque „commendata, atque à ſanctis redacta ad praxim ob leviſ„ſimas culpas, vel etiam ſine actuali culpâ, ut majorem „pietatis & reverentiæ ſenſum pauliſper remiſſum & tepefa„ctum excitarent, atque ad communionem puriores poſt„modùm ſe referrent.

Hæc præcinit Contenſonio Emericus de Bonis, dicens: „Poteſt Confeſſarius cuilibet non modò ob lethalem no„xam, ſed nonnunquam ob levem, aut ut eum duriùs exer„cendæ patientiæ causâ habeat, aut leve aliquod vitium cor„rigat, aut ut eorum, quæ ad Dei cultum pertinent, magis

o *Tomo.* 8. *Diſſert.* 4. *c.* 1. *pag.* 747.

„ gìs ſollicitum faciat, aut quibuſdam aliis de cauſis com-„ munionem negare.

Eſt itaque certum, etiam ſecundùm communem Theologorum ſententiam, oportere, ut abſolutio differatur, dum pœnitentis converſio incerta & dubia eſt, dum ex dilatione, tametſi pœnitentis apparatus abſolutioni idoneus judicetur, ſperatur futurus virtutibus opulentior, & in bonis propoſitis contra tentationes invictior; dum, tametſi nullo crimine implicitus pœnitens cognoſcatur, erga tamen venialia quædam peccata propenſior apparet; tandem dum meritò creditur, quòd ex dilatione concipiet majus peccati odium, & puriorem juſtitiæ amorem, & erga Euchariſtiam corporis & ſanguinis Domini animum magìs religioſum & intimioris cum Chriſto conjunctionis appetentiorem.

CAPUT VII.

1. *Reſpondetur querelæ eorum, qui dicunt, niſi ſtatim abſolutione & communione Corporis Domini donentur, ſe de famâ periclitaturos. Oſtenditur quàm injuſti ſint, qui ſacerdotibus, à quibus cum neceſſariâ morâ curantur, iraſcuntur. 2. Demonſtratur vanum eſſe illorum timorem, qui factâ confeſſione ſtatim volunt abſolvi, timentes ſine abſolutione in intervallo dilationis finire hanc vitam. 3. Eccleſia & olìm & hodie adultos diu vult inſtrui & probari, antequam baptizentur, tametſi ſciat ipſos omni horâ mori poſſe. 4. Graviſſimè ſugillantur quidam Indiarum Miſſionarii, qui magìs multos, quàm benè inſtructos cupiunt baptizare: & recenſentur mala ex feſtinato baptiſmo pullulantia. 5. Utilitas vinculorum, quibus lapſi à ſacer-*

ſerdotibus induuntur, refertur: & admonitio, qua Epiſcopi Berytenſis & Heliopolitanus à præpropera baptiſmi collatione miſſionarios deterrent, transfertur ad Confeſſarios, ne citò nimis reos abſolvant.

§. 1. NOn me latet hanc prudentiſſimam, diſcernendi ex fructibus veros pœnitentes à falſis, diſciplinam, licèt animabus ſaluberrimam, licèt auctoritate canonum ſecuriſſimam, licèt à ſanctis Patribus aſſertam, licèt multorum ſæculorum uſu comprobatam, nonnullis argutiarum offuciis, levique Caſuiſtarum auctoritate impugnari.

Verùm facillimum eſt, eas & auctoritate Sanctorum Patrum & luce invictiſſimarum rationum conterere. Nam ſi dicant, eos, qui ſua peccata confitentur, eſſe moræ impatientes, nec ferre ſalubria dilationum remedia, quæ tametſi proſint curandis animabus, nocent tamen famæ & exiſtimationi, dum is, qui poſt confeſſionem ſuorum criminum non communicat, à malevolis, aut temerariis creditur, tanquam ad communionem imparatus, ſine abſolutione eſſe remiſſus. Ob hujuſmodine ergo futiles & inſulſas cauſationes, negligetur ſaluberrima ars, quâ ferè per duodecim ſæcula lethales animarum plagas Eccleſia medicata fuit, & quam, qui poſterioribus ſæculis floruêre ſancti, ſalutis animarum cupidiſſimi, à maximâ utilitate commendantes, collapſam reſtaurare conati ſunt? Quid! Debebit ne medicus phrenetico, qui ſibi exitioſa cupiens, utilia averſatur, morem gerere, ut mortem ejus acceleret? Oportebit ne ſacerdotem, cujus officium eſt animas curare, eis exitioſa cupientibus, illa præbere, undè illas credit deſperatiùs ægrotaturas? Licebitne medico animarum, quod non licet medico corporum, ut ad illarum necem cooperetur, dum præ cæcitate indè medelam deſiderant, undè eas judicat pejùs habituras? Et utinam ægri ex abſolutione & communioni corporis Chriſti verè quærerent me-

medelam. Verùm non ſalutem, ſed famam quærunt; nec formidant animæ ſuæ periculum ex ſacrilegâ abſolutione, nec ex malâ communione timent rei fieri corporis & ſanguinis Domini; ſed timent: Quid? Quòd credentur à malevolis & temerariis ſine abſolutione eſſe remiſſi. Magìs ergo timent judicium malè ſuſpicacium hominum, quàm judicium Dei viventis, magìs detrimentum famæ, quàm animæ, magìs quòd ſua lædetur exiſtimatio, quàm quòd profanabitur pœnitentiæ ſacramentum, quàm quòd ſacrilegâ communione violabitur corpus & ſanguis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ubi autem magìs famæ, quàm animæ conſulitur; ubi homo, & quidem homo, qui nequidem corpus occidet, ſed æſtimationi ſtultè detrahet, magìs formidatur, quàm Deus, qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam, ibi nulla ad abſolutionem præparatio, ne quidem illa, quæ attritio dicitur. Quis ergo niſi infidelis diſpenſator myſteriorum Dei, niſi ſtultus ſervus Domini, niſi ſpiritalis agyrta, eos pronunciabit à crimine liberos, ac corpore & ſanguine Domini reficiendos, quibus majus de famâ apud temerarios ſervandâ ſtudium eſt, quàm vel Deum placandi, vel ſuæ animæ medendi, vel honorandi corpus & ſanguinem Domini?

O quàm diſpares ſunt iſtiuſmodi fucati pœnitentes, verique hypocritæ; qui volunt videri digni communione corporis & ſanguinis Domini, quâ indigniſſimi ſunt, à pœnitentibus priſcæ Eccleſiæ, qui cinere fœdati & ſacco induti ſtabant ad fores Eccleſiæ, cupientes ab omnibus tanquam peccatores agnoſci, ut omnes illorum miſerti Deum pro ipſis orarent; vel ſi qui ipſos deſpicerent, ferrent contemptum, tantò citiùs propitium habituri Deum, quantò majori humilitate ſe deſpici ſinerent. Hi ergo nihil perindè metuebant, quàm iram Dei Salvatoris, & nihil perindè cupiebant, quàm conſequi ejus gratiam. Iſti verò nec Dei iram reveriti, nec de promerendâ ejus gratiâ ſolliciti, tantùm ſatagunt de famâ apud homines retinendâ. Et tamen inveniuntur ſacerdotes Domini, qui ut ab hujuſmodi hominibus vel honorem, vel lucellum accipiant, vaniſſimæ eo-

rum

rum ſollicitudinis atque timoris tantam rationem cenſent habendam, ut nec ſacramenta temerare, nec ſuam animam ſacrilegâ diſpenſatione polluere reformident. Quantò meliùs iſtos malè timidos à metu temerarii & ſuſpicacis hominis ad timorem Domini revocarent, & malè ſuſpicaces docerent, animas etiam ſanctiſſimas variis de cauſis, nempe illuſione nocturnâ, ſomnio impuro, commotione iræ, gravedine mentis, verbo in pauperes duriore, ſuſpicione imprudenti, aut ſuo aut Confeſſariorum judicio à communione corporis Domini ſæpè abſtinere; abſolutionem differri aliquando oportere etiam iis, qui eâ digni æſtimantur, & qui nonniſi venialiter in Dominum peccaverunt; deinde peccatoribus id eſſe ad laudem & gloriam tum apud Deum, tum apud homines Dei ſpiritum habentes, ſi vel cum Petro dicant: [p] *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine.* vel cum publicano eligant ſtare à longè, & non ſacræ menſæ accumbere; ſi cum centurione, qui non audebat Chriſtum accedere, ſe ipſos indignos arbitrentur, in quorum tectum Chriſtus ingrediatur. Adeóque abſtinentiam à ſacrâ menſâ non eſſe ſemper argumentum animæ ad participationem corporis Domini malè præparatæ, ſed ſæpè eſſe ſignum animæ verè humilis, Deumque caſtè timentis. Et è contrà communionem corporis Domini, dum ab illis percipitur, qui adhuc à crimine recentes ſunt, quique noſcuntur in deliciis, luxu & aleationibus vitam tranſigere, eſſe argumentum animæ in Chriſtum irreligioſæ, & peccatis adeo excæcatæ, ut non vereatur vim corpori & ſanguini Salvatoris inferre, & plùs in Dominum communicando delinquere, quàm flagitia & facinora perpetrando. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Et [q] *omnis homo, qui acceſſerit.... ad ea, quæ conſecrata ſunt; in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.*

Hinc illa acerba ſancti Cypriani reprehenſio, quâ eos perſtringit, qui, poſtquam in perſecutione Chriſtum abnegaverant; ſtatim communionis honorem invadere volebant. [r] *Vis*, inquit, *infertur corpori ejus & ſanguini ejus. Plùs* mo-

p *Luc. 5. 8.* q *Levit. 22.* r *Cyprian. Serm. 5. de lapſis.*

modò in Dominum manibus, (quibus communionem in priſcâ Eccleſiâ excipiebant) *atque ore delinquunt*, *quàm cùm Dominum negaverunt*. Hinc idem ſanctus eos, qui ægrè ferentes, ſe poſt confeſſa crimina non ſtatim ad honorem communionis admitti, fidelibus diſpenſatoribus, ac piis ſacerdotibus Domini iraſcebantur, hiſce verbis caſtigat atque ſugillat. „[s] Jacens, inquit, ſtantibus, & integris vulneratus minatur, & quòd non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur. Atque, ò „tuam nimiam, furioſe, dementiam! Iraſceris ei, qui abs „te avertere iram Dei nititur: ei mináris, qui pro te Domini miſericordiam deprecatur; qui vulnus tuum ſentit, „quod ipſe non ſentis; qui pro te lacrymas fundit, quas „ipſe forſitan non fundis. Oneras adhuc crimen & cumulas. „Et cùm ſis ipſe implacabilis ad Antiſtites & ſacerdotes Dei, „putas circa te Dominum poſſe placari. Accipe potiùs, (ſubjungit idem ſanctus eos alloquens atque perſtringens, qui ſacerdotibus obmurmurant, qui ipſos juxta legem „medendi curare ſtudent) & admitte quæ loquimur. Quid „ſurdæ aures ſalutaria præcepta non audiunt, quæ monemus? Quid cæci oculi pœnitentiæ iter non vident, quod „oſtendimus? Quid perculſa & alienata mens remedia vitalia non percipit, quæ de ſcripturis cœleſtibus & diſcimus & docemus?

Ex his Cypriani verbis patet dementiſſimam eſſe illorum iram, qui ſacerdotibus iraſcuntur, quia ſalubribus pœnitentiæ vinculis ipſos cenſent ligandos uſque dum ſuam converſionem operum veritate, & morum emendatione probent & oſtendant: ſicuti eorumdem ineptiſſimum oſtendimus eſſe timorem, qui metuunt aliquid ſuæ famæ apud ſtulta hominum judicia deceſſurum, ſi non è veſtigio, poſt recitata ſacerdoti ſua crimina, ad tremendæ communionis honorem admittantur.

§. 2. Sed dicet quis, eſſe nonnullos, qui poſt crimina ſacerdoti enunciata ſine morâ cupiunt abſolvi, quia memores

s *Cyprian. ibid.*

res ſe omni horâ extingui poſſe, meritò timent retentis ſuorum criminum vinculis finire hanc vitam: ne ergo ipſos contingat mori in peccatis, procraſtinatæ abſolutionis omninò impatientes ſunt; oportere autem, ut ſacerdos hujus timoris rationem habeat.

Repono inprimis, ſanctos Patres hæc pericula non ignoraſſe, & tamen ipſi, ſi caſus aliquot excipias, non aliis impartiebantur abſolutionis gratiam, quàm oſtendentibus fructus dignos pœnitentiæ; ut fidem facerent, ſe pœnitendi ardore atque conſtantiâ viciſſe peccandi libidines, accepiſſe à Domino cor novum & Spiritum novum, in quo ejus mandata charitas deſcripſit.

Repono ſecundò, peccatorem duplicibus vinculis teneri; illis, in quibus conceptus & natus eſt, & quæ peccatis actualibus fortiora redduntur; & iſtis, quibus à ſacerdote ligatur, nempe medicis pœnarum & morarum vinculis. Quod prima attinet, admodùm laudabile eſt, eum iſtorum impatientem eſſe, & vehementiſſimè cupere ab illis, quàm citiſſimè abſolvi: etenim, cùm illa non ſint niſi ignorantia veri, & amor mutabilis boni, quibus impedimur, ne Deum, ad cujus cognitionem & amorem creati ſumus, cognoſcendo & amando colamus; nihil à peccatore ſanctiùs & ſapientiùs deſiderari poteſt, quàm ab horrendis iſtis criminum vinculis libertas, quæ in Dei cognitione & amore conſiſtit; & quò horum vinculorum eſt impatientior, eò magìs obſervat primum & maximum mandatum, [a] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* In horrore ergo horum vinculorum magna virtus & laus peccatoris. Nihil è contra in peccatore magìs arguendum, quàm quòd horum vinculorum & patiens & amans, contra Dei mandatum, ſuamque ſalutem, tardet converti ad Dominum, & differat de die in diem [b].

Porrò hæc deteſtanda vincula aliquando citiùs, aliquando tardiùs à Domino ſolvuntur. Uno ſermone Petri, eoque breviſſimo utens Deus tria hominum millia illuminavit, ut Chriſtum cognoſcerent, & inflammavit, ut illum di-

a *Matth.* 22. 37. b *Eccli.* 5. 8.

diligerent, eâque cognitione atque amore, ſolutis teterrimis ignorantiæ & cupiditatum catenis, libertatem filiorum Dei adipiſcerentur, finitoque ſermone ſacris baptiſmi laticibus perfunderentur. Verùm hæc tam prompta tantæ multitudinis liberatio tota miraculoſa erat, ſicut quoque tota erat miraculoſa Petri prædicatio omnium gentium linguis, quas nunquam didicerat, Chriſtum annunciantis.

§. 3. Verùm, quia inviſibiles peccatorum catenæ, ignorantia Dei, infidelitas, inveteratæ libidines, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ plerumque non extirpantur, niſi paulatim, interjectâ aliquot morâ dierum, hinc ab Eccleſiâ ſtatutum eſt, ne quis acciperet baptiſmum, qui vocatur à Patribus ſacramentum illuminationis, & à ſacris paginis lavacrum regenerationis Spiritûs ſancti, qui ante notabili tempore inſtructus non fuiſſet; quod tempus in aliquibus Eccleſiis ad quadraginta dies, in aliis ad viginti, in aliis ad biennium uſque extendebatur [c]. Nec ſolùm diù inſtruebantur catechumeni, verùm etiam exorciſmis, crucis conſignationibus, jejuniis & orationibus ad ſacrum iſtud lavacrum præparabantur. Undè ſtatuit Concilium Carthaginenſe quartum [d], ut baptizandi nomen ſuum dent, diu ſub abſtinentiâ vini & carnium, ac manus impoſitione, crebrâ examinatione baptiſmum percipiant. Voluit etiam priſca Eccleſia, ut baptiſmus nonniſi in vigiliâ paſchatis & pentecoſtes, niſi aliud poſtularet inſtans mortis periculum, aliave urgens neceſſitas, adminiſtraretur. Quare illi, qui in priſcâ Eccleſiâ præproperè nimis, aut præter dies ei officio deſtinatos baptiſmum adminiſtrabant à Romanis Pontificibus acriter correpti fuerunt. „ [e] Magnâ, inquit ſanctus Leo, indignatione com„moveor, & multo dolore contriſtor, quòd quoſdam ex „vobis comperi, ità eſſe Apoſtolicæ traditionis oblitos, & „ſtudio ſui erroris intentos, ut præter Paſchalem feſtivita„tem, cui ſola Pentecoſtes ſolemnitas comparatur, audeant „ſibi-

c *Hieron. in epiſt. 16. ad Pammach. Secunda Synod. Braccar. can. 1. Juſtinianus Novel. 144.* d *Can. 85.* e *S. Leo tom. 1. epiſt. 136. juxta edit. novam Pariſ.*

„ ſibimet, non aliquâ humanæ infirmitatis neceſſitate co-
„ gente, ſed ſolâ indiſciplinati arbitrii libertate, jus bapti-
„ ſmatis vindicare; & in natalibus Martyrum, quorum fi-
„ nis aliter honorandus eſt, quàm dies Dominicæ Paſſio-
„ nis, regenerationis celebrare myſteria, ac ſine ullis ſpiri-
„ tualium eruditionibus præparationum, ità rudibus & im-
„ peritis tradere ſacramentum, ut circa renovandos nihil
„ doctrinæ Eccleſiaſticæ, nihil in exorciſmis impoſitio ma-
„ nuum, nihil ipſa jejunia, quibus vetus homo deſtruitur,
„ operentur; neque in tanto myſterio ſalutis humanæ, ul-
„ la ejus diei habeatur exceptio, quo ipſum donum eſt con-
„ ditum renaſcendi. Admonemus igitur, & non ſine peri-
„ culo ſtatûs eorum, qui hoc faciunt, proteſtamur, ut ab
„ hâc præſumptione ceſſetur; & ſummam hanc potentiſſi-
„ mamque Dei gratiam, non niſi in Paſchali & Pentecoſtes
„ die deſiderantibus & credentibus conferatis: manente
„ quolibet tempore gravioris neceſſitatis ac periculorum
„ conſideratione, ſecundùm quam oporteat ſubvenire; ne
„ conditione mortali coarctata infirmitas neceſſariâ libera-
„ tione fraudetur: cùm, ſervatâ (ſicut prælocuti ſumus)
„ duarum tantummodò feſtivitatum reverentiâ, propter
„ multa pericula ſit cavendum, ne cuiquam aut in deſpera-
„ tâ ægritudine, aut in hoſtilitatis incurſu, aut in timore
„ naufragii, per ſacerdotem Domini regeneratio denege-
„ tur. Si quis verò poſt hoc interdictum, in eâdem fuerit
„ uſurpatione detectus, dignam pertinaciæ ſuæ incidet ul-
„ tionem: quoniam oſtendit ſe turpe potiùs lucrum, quàm
„ religionis cultum eſſe ſectatum.

Hæc ſanctus Leo, ut oſtendat baptiſmum non aliis admi-
niſtrandum eſſe, quàm Chriſtum edoctis, paratiſque imi-
tari.

§. 4. Et quia has ſalutares moras, catechumenorum in-
ſtitutioni, formandiſque moribus neceſſarias nonnulli In-
diarum Miſſionarii præoccupant, deſiderantes magis in ba-
ptizatorum multitudine, quàm virtute gloriari, hinc de
ipſis graviſſimè conqueruntur Franciſcus Heliopolitanus &
Petrus Berytenſis Epiſcopi, qui in Tunchini & Cochinchi-

næ regnis incredibili cum fructu Chriſtum annunciant; quique pro feliciori Evangelii progreſſu inſtructiones quaſdam ediderunt, quas Emm[s]. Cardinalis Bona juſſu ſacræ Congregationis de Propagandâ fide recenſens, teſtatur Apoſtolico ſpiritu fuiſſe ſcriptas. Undè etiam eas Typographus ejuſdem Congregationis Romæ typis evulgavit. Hi Epiſcopi in iſtis inſtructionibus ità loquuntur: „ [f] Longè abſunt à piâ illâ & tam neceſſariâ ſollicitudine quidam „ Indiarum operarii, qui obvios quoſque, vix exploratâ „ illorum voluntate, unâ aut alterâ inſtructione contenti, „ ſacro baptiſmi fonte abluunt. Deindè enumerant quæ mala ex feſtinato baptiſmate dimanare ipſi experti ſunt. „ Incredibile (inquiunt) dictu eſt, quantùm eorum in numerandis multis à ſe baptizatis cura, in excolendis incuria, & „ ſegnities, in delectu nimia credulitas, præmaturâ baptiſmatis adminiſtratione offecerint fidei, benè, ut par eſt, „ ſtabiliendæ, nec non etiam nomini Chriſtiano: enim verò comprobatum eſt experientiâ, Chriſtianos pejores „ non inveniri, quàm qui ante competentem inſtructionem „ ad baptiſmum admiſſi ſunt; quippe quâ facilitate Chriſto nomen dederunt, eâdem ut plurimùm nuntium ei „ remittunt; & videre eſt aliquos, qui & Chriſtianorum ſimul, & idolorum templa ſolent frequentare, quodque „ miſerabilius eſt, deteriores multò ſunt, quàm ante baptiſmum & correctionis omninò impatientes. Unde, ut iſtis malis occurrant, deinde ſtatuunt, non alios ad baptiſmum admittendos, quàm iſtos, qui per integros quadraginta dies inſtructionibus & piis Chriſtianæ vitæ exercitiis exculti & explorati fuerint. „ Quamobrem, ajunt, etſi hodie ſacerdotibus committatur judicium de catechumenorum „ eruditione, aliiſque neceſſariis conditionibus, adeóque „ & de tempore catechiſmi ferendum, ut iis ſanctum baptiſma conferatur, rectius tamen & ſecurius nobis viſum „ eſt cum Patribus & Conciliis, catechiſmi tempus non „ breviori, quàm quadraginta dierum ſpatio vulgò definire, nec alios ad baptiſmum admittendos eſſe, niſi qui ante „ qua-

[f] *Inſtruction. Miſſionar. cap. 7. de baptizand. art. 1.*

„ quadraginta dies nomen dederint. Cùm etiam experientiâ, quæ ſacris canonibus conſonat, ſatìs notum ſit, diuturniorem moram eſſe perutilem tum ad obtinendam in Chriſtianâ fide perſeverantiam: atque adeò hâc in re habenda erit ratio venientium ad fidem; qui enim laudatam antea vitam duxerint, ferentque præ ſe docilitatem, atque pietatem, prædicti temporis inſtitutio eis ſufficiet, ac interdum brevior, ſi tamen antea ſat benè inſtituti ſint, &, quòd rariſſimè contingit, urgentiſſima neceſſitas poſtulabit. Diutiùs probari debent rudiores & obtuſioris tardioriſque ingenii, ſervi, & qui temporalis pœnæ vitandæ gratiâ fidem videntur amplecti velle, aut ſperant aliquid lucri, & commodi ſe conſecuturos, ex eo, quòd Chriſtiani fiant, ii denique, qui levis & inconſtantis animi ſigna aliqua dederunt.

Deindè probant laudati Epiſcopi hanc ſuam doctrinam auctoritate catechiſmi Romani docentis, ob vitæ incertitudinem, & quotidiana mortis pericula, neceſſarias catechumenorum inſtructioni moras non eſſe præſcindendas. „ [g] Neque enim, inquit catechiſmus, hæc mora periculum, quod quidem pueris jam imminere diximus, conjunctum habet, cùm illis, qui rationis uſu præditi ſunt, baptiſmi ſuſcipiendi propoſitum, atque conſilium, & malè anteactæ vitæ pœnitentia ſatisfactura ſit ad gratiam & juſtitiam, ſi repentinus aliquis caſus impediat, quò minus ſalutari aquâ ablui poſſint; contrà verò hæc dilatio aliquas videtur utilitates afferre; primùm enim quantùm ab Eccleſiâ providendum eſt, ne quis ad hoc ſacramentum ficto & ſimulato animo accedat, eorum voluntas, quâ ad baptiſmum accedunt, magìs exploratur, atque perſpicitur, deinde in fidei doctrinâ, quam profiteri debent, & Chriſtianæ vitæ inſtitutionibus erudiuntur perfectiùs; præterea major religionis cultus ſacramento tribuitur, ſi conſtitutis tantùm paſchæ & pentecoſtes diebus ſolemni ceremoniâ baptiſmum ſuſcipiant.

His ex Romano Catechiſmo relatis miſſionarios monent, tum

g *Catechiſ. Rom. p. 2. de Baptiſ. n. 36.*

tum ut catechumenorum menti illuminandæ, formandiſque moribus diligentiſſimè incumbant, tum *id caveant apprimè, ne fortè eo dementiæ abripi ſe ſinant unquam, ut baptizandorum numerum copioſiorem potiùs deſiderent, quò habeant undè glorientur, quàm bonas in iis diſpoſitiones, & congruam inſtitutionem.*

His dictis, tum articulo ſequenti Miſſionariis præſcribunt hoc monitum. „Cæterùm, inquiunt, utut ardenti„bus votis catechumeni baptiſmum expetant & prærequiſi„tis inſtitutionibus ſint eruditi, his tamen ſacramentum „hoc Miſſionarii priùs non concedant, quin pertentatâ il„lius deſiderii efficaciâ, compererint eos idola foras ejeciſ„ſe, atque deteſtari; gentilium ſuperſtitiones procul able„gaſſe, & quæcumque è diabolicâ officinâ prodeunt ſorti„legia, & cætera id genus proculcaſſe; unâ retentâ uxo„re, alias domo expuliſſe; omnes inimicitias ex animo de„poſuiſſe; pro illatis injuriis, quantùm licuit, ſatisfeciſſe; „acquiſita injuſtè, vel dominis invitis retenta reſtituiſſe. „Sicut à ſacro baptiſmatis fonte rejiciendi ſunt, qui vitiis „ac peccatis obſtinatè adhærent, ità procul ab eodem ex„pellendi, qui nolunt interioris converſionis ſigna operi„bus dare, cùm inde pateat, infectam peccati amore vo„luntatem adhuc gerere; neque admittendi etiam illi erunt, „qui, quod à ſe exigitur jure, poſſuntque præſtare ante ba„ptiſmi ſuſceptionem, nonniſi eo ſuſcepto effecturos ſe „eſſe ſpondent, ne qua iis inſit amaritudinis radix; nimi„rum docuit Miſſionariorum experientia, in infidelium re„gnis catechumenos ex baptiſmi deſiderio multa polliceri, „quæ niſi ante baptiſmum impleant, nunquam poſtea man„dant executioni.

Teſtantur itaque laudati Epiſcopi, 1. notabilem temporis moram inſtruendis & formandis catechumenorum moribus neceſſariam eſſe, eamque abrumpendam non eſſe ob congenitam humanæ vitæ incertitudinem.

2. Eos Miſſionarios, qui hæc neceſſaria temporum ſpatia præoccupant, ut necdum ſpiritali nativitati maturos regenerationis undâ perfundant, ſtabiliendæ fidei, nec non no-

nomini Chriſtiano, & animarum ſaluti nocere quàm maximè.

3. Nullis quantumvis inſtructis baptiſmum conferendnm eſſe, utut ardentibus votis eum poſtulent, niſi ante ex bonâ converſatione noſcantur priſtinis vitiis ac criminibus renuntiaſſe, moreſque verè Chriſtianos induiſſe.

4. Catechumenis, quantumvis vitæ emendationem ſpondeant, non habendam eſſe fidem, nec baptiſmi ſacramentum miniſtrari debere, niſi ante ejus ſuſceptionem præſtiterint ea Chriſtiani hominis officia, quæ à catechumeno præſtari poſſunt; quòd ex baptiſmi deſiderio multa polliceantur, quæ niſi ante baptiſmum impleant, nunquam poſtea mandant executioni.

5. Per moras in addiſcendis Religionis Chriſtianæ dogmatibus atque præceptis, nec non in jejuniis ac orationibus exactas, catechumenos à dæmonum ſervitute, ſive à peccatorum vinculis, cæcitate mentis & cordis cupiditatibus ſaluberrimè expediri.

Boni itaque catechumeni, quò ſpiritalia criminum vincula, ignorantiam & cupiditatem, magìs deteſtantur, eò majori patientiâ ferunt moras, quas ſolvendis illorum vinculis Eccleſia ſalutares & plerumque neceſſarias judicat, nec volunt ſacramentum libertatis, ſive lavacrum regenerationis filiorum Dei, antequam mentis & cordis libertatem, hoc eſt, Dei cognitionem atque amorem ſint conſecuti, nec reſpuunt catecheticas inſtructiones, crucis conſignationes, orationes, jejunia, aliaque Chriſtiani hominis officia quibus veluti quibuſdam medicis vinculis eorum vulnera ſacerdotes alligant, ut ipſos curent & liberent: neque etiam magìs timent ſine baptiſmo mori, quàm ſine neceſſariâ præparatione baptiſmum ſuſcipere, certi, baptiſmum malè ſuſceptum non ſalutem, ſed majorem afferre perniciem: humiliter verò ſperantes, mortem corporis, quæ accidit enitenti evadere mortem peccati, ſeque ad vitam juſtitiæ præparanti, non tam ſalutem, quàm ſalutis excludere ſacramentum.

§. 5. Qui poſt violatum baptiſmi ſacramentum, etiam

Euchariſtiæ & pœnitentiæ ſacramenta multoties violando ſe potiùs irridentes, quàm pœnitentes fuiſſe oſtendunt, ſi verè deſiderent cum Deo redire in gratiam, timeantque peccatorum ſuorum compedibus conſtricti vitam finire, & magìs & priùs deſiderabunt expediri à damnatarum catenis libidinum, quam ab iſtis vinculis, quibus à ſacerdotibus conſtringuntur; nam illæ ferè ſemper peccata ſunt, & pœnæ peccatorum: hæc verò, dum à ſacerdotibus imponuntur, fiunt partes ſacramenti pœnitentiæ atque adeo uberiori Spiritûs ſancti virtute imbuuntur, ut iſtas ſolvant atque relaxent; ſimillima quippe chirurgorum ligaturis, quæ dum vulnera alligant, etiam ſanant. Atque horum medicantium vinculorum oportet peccatores tantò magìs eſſe patientes, quantò ex ſuis relapſibus didicerunt, ſibi ad ſtabilem ſalutem, & à criminibus libertatem, præcipites ſacerdotum abſolutiones nequicquam profuiſſe, ſeque poſt illas ſub dæmonum imperio ſerviviſſe in peccatorum & criminum vinculis turpiſſimam ſervitutem. Si ergo verè timeant in peccatorum vinculis mori, medicas & liberatrices admittent ligaturas; nec timore perverſo magìs timebunt à ſacerdote, quàm à dæmone ligari; neque etiam cupient citiùs à miniſtro ſolvi, quàm ſe à Domino interiùs ſolutos eſſe cognoſcent, cùm tunc ſolùm vera ſit abſolutio præſidentis, quando æterni arbitrium ſequitur judicis; ſe verò non arbitrabuntur eſſe ſolutos, niſi ex dignis pœnitentiæ fructibus, & ex ſincerâ & probatâ vitæ emendatione oſtendere & probare poſſint, ſe à veritate, Dei filio, eſſe liberatos.

Ne ergo ſacerdotes futili, quam propoſuimus, ratiunculâ, ſe vinci ſinant, ſibi arbitrentur dicta, quæ præclariſſimi Epiſcopi, qui apud Indos maximo cum fructu Chriſtum annunciant, Miſſionariis ſuis commendant. Dico ergo cum illis: Miniſtri verò Domini id apprimè caveant, ne fortè eo dementiæ ſe abripi ſinant unquam, ut confitentium numerum copioſiorem potiùs deſiderent, quò habeant, unde glorientur aut diteſcant, quàm bonas in iis diſpoſitiones & congruam inſtitutionem. Cæterùm utut arden-

dentibus votis confitentes abſolutionem expetant, his tamen eam Confeſſarii priùs non concedant, quin pertentatâ illius deſiderii efficaciâ, compererint eos idola cupiditatum foras ejeciſſe, atque deteſtari; gentium vitam, & quæcumque è diabolicâ officinâ prodeunt crimina, procul ablegaſſe, proximas peccati occaſiones reliquiſſe, omnes inimicitias ex animo depoſuiſſe, pro illatis injuriis, quantùm licuit, ſatisfeciſſe, acquiſita injuſtè, vel dominis invitis retenta reſtituiſſe: Neque enim hæc mora periculum conjunctum habet, uti ait catechiſmus Romanus, cùm anteactæ vitæ pœnitentia, & abſolutionis deſiderium ſatisfactura ſint ad gratiam & juſtitiam, ſi repentinus aliquis caſus impediat, quò minùs à ſacerdote abſolvi poſſint: contrà verò hæc dilatio multas videtur utilitates afferre; primùm enim quantùm ab Eccleſiâ providendum eſt, ne quis ad hoc ſacramentum ficto & ſimulato animo accedat, eorum voluntas, quâ ad baptiſmum lacrymarum accedunt, magìs exploratur, atque perſpicitur; deinde in fidei doctrinâ, quam profiteri debent, & Chriſtianæ vitæ inſtitutionibus erudiuntur perſectiùs; præterea major religionis cultus ſacramento tribuitur, ſi non niſi poſt decurſa pœnitentiæ ſpatia abſolutionem percipiant. Hæc dum non attendunt quidam presbyteri, qui obvios quoſque, vix exploratâ illorum voluntate, fallaci eorum promiſſione contenti abſolvere feſtinant, incredibile dictu eſt, quantùm eorum in numerandis multis à ſe abſolutis cura, in excolendis incuria & ſegnities, in delectu nimia credulitas, præmaturâ abſolutione offecerint fidei, benè, uti par eſt, ſtabiliendæ, nec non etiam nomini Chriſtiano: enim verò comprobatum eſt experientiâ, Chriſtianos pejores non inveniri, quàm qui ante competentem præparationem ad abſolutionem admiſſi ſunt; quippe quâ facilitate in pœnitentiæ ſacramento Chriſto nomen dederunt, eâdem, ut plurimùm, nuntium ei remittunt; & videre eſt, non aliquos, ſed plurimos, qui & Chriſtianorum ſacramenta ſimul, & dæmonum templa, lupanaria ſcilicet, ſpectacula, choreas, tabernas ſolent frequentare, quodque miſerabilius eſt, de-

teriores multò ſunt, quàm ante abſolutionem, & correctionis omninò impatientes.

CAPUT VIII.

1. *Abſolutionis dilatio non omittenda, quia multi conſuetudinem ſequentes ſine delectu quoſvis pœnitentes abſolvunt. Magnæ virtutis eſt, conſuetudines legibus contrarias parvi facere, & Apoſtolicas amare ſingularitates. Conſuetudo quoſvis abſolvendi legibus adverſa. 2. Refertur quid ſanctus Carolus, quid Bartholomæus de Martyribus, quid Contenſonius illis reſponderint, qui pravas conſuetudines ſequendas credebant. Nihil magni gerunt, qui non declinant in Apoſtolicas ſingularitates. 3. Nulli à ſacerdotibus abſolvendi, niſi illi, quos prudentiâ Chriſti vicariis dignâ judicaverint abſolutioni idoneos eſſe. Iis, qui fidem ſæpiùs fefellerunt, prudenter non creditur. 4. Enarratur, qua ratione Eccleſia det abſolutionem iis, qui non niſi in extremis pœnitentiam agunt, & quàm parùm de illorum ſalute ſperet.*

§. 1. ALii arrodentes ſaluberrima dilationum ſpatia, quibus in dandâ abſolutione ſubinde utendum, ajunt ſequendam eſſe Eccleſiæ conſuetudinem, ne videamur plùs cæteris velle ſapere, & ne ſingularitate alios offendamus: eſſe autem receptam ubique conſuetudinem, ut illi ſine ullo morarum intervallo ſolvantur, qui ſe aſſerunt pœnitere, promptoſque eſſe, ut ablata reſtituant, peccandi occaſionibus renuncient, mores juxta Evangelii leges componant.

Hæc objectio nullam vim habet niſi ab æquivocatione.

Ad

Ad eam ergo repellendam, amphibologia, quæ latet in voce conſuetudo, retegenda eſt. Eſt enim triplex conſuetudo; una, quæ lege ſive Scripturæ, ſive Eccleſiæ, vel etiam exemplis, & prædicatione ſanctorum introducta & ſtabilita eſt. Hanc ſequi & laudabile & ſæpè neceſſarium. E contrà ab hâc deficere plerumque peccatum eſt. Iſtiuſmodi eſt conſuetudo abſtinendi in quadrageſimâ à carnibus & lacticiniis, celebrandi feſta ſolemnia religiosâ vacatione à mechanicis operibus, ut orationi, audiendo aut legendo Dei verbo diligentiùs incumbatur. Ejuſmodi eſt conſuetudo frequenter ſe ſignandi ſigno crucis, ut profiteamur Chriſtum crucifixum nobis eſſe Dei virtutem, in quâ confidimus, & ſapientiam, quam ſequimur.

Ejuſmodi eſt conſuetudo, diem ab oratione incipere, & per orationem eum finire, nec menſæ accumbere, niſi prece præviâ, nec ab eâ recedere, niſi gratiarum actione ad Deum fusâ.

Sunt aliæ conſuetudines, quas priſcæ & ſeverioris diſciplinæ remiſſio induxit, quæ tamen non omninò noxiæ ſunt, & quibus etiam pii homines ſine culpâ uti poſſunt. Iſtiuſmodi eſt conſuetudo nonnullorum Eccleſiaſticorum, qui horas canonicas non recitant diſtinctis temporibus, prout ipſa horarum nomina illas recitandas eſſe ſignificant. Iſtiuſmodi eſt conſuetudo ſolvendi in quadrageſimâ jejunium circa meridiem contra morem primorum Chriſtianorum, qui illud uſque ad veſperam producebant.

Iſtiuſmodi eſt conſuetudo utendi in templis ad celebrandam Dei laudem inſtrumentis inanimatis; id enim, prout ait ſanctus Thomas, magis Judaicum, quàm Chriſtianum.

Iſtiuſmodi eſt conſuetudo ut in Collegiatis Eccleſiis, & monaſteriis, ubi multi ſunt ſacerdotes, omnes quotidiè celebrent, contra priſcam Eccleſiæ conſuetudinem, quam ſuis fratribus beatus Franciſcus valdè commendat, dicens: „[h] Moneo & hortor in Domino, ut in locis, in quibus „mo-

h *S. Franciſc. in epiſt. ad presbyteros ſui ordinis, quæ extat tom.* 13. *Biblioth. Patrum, quæ Coloniæ edita eſt.*

„ morantur fratres, una tantùm miſſa celebretur in die, ſe-
„ cundùm formam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Si verò in lo-
„ co fuerint plures ſacerdotes, ſit per amorem charitatis
„ alter contentus, auditâ celebratione ſacerdotis alterius.
Alvarez Pelagius divi Franciſci dignus filius, ait, ſanctum iſtud mandaſſe, „ [i] præſcium fratres ſe velle juſtificare per
„ miſſas, & ad quæſtum eas reducere; ſicut videmus ho-
„ die fieri: undè & dicebat, quòd una miſſa cœlum &
„ terram implebat.

Iſtiuſmodi eſt conſuetudo operandi ſacris ſine miniſtro ad iſtud miniſterium ordinato, atque ſacris veſtibus induto.

Sunt aliæ conſuetudines, quas neque Chriſti, neque Eccleſiæ præcepta, neque exempla & commendatio ſanctorum, ſed inſtitutionum Chriſti ejuſque Eccleſiæ aut ignorantia aut neglectus invexit. Iſtiuſmodi erat Afrorum conſuetudo, qui, teſte Auguſtino [k], comeſſationibus & ebrietatibus, non ſolùm per dies ſolemnes, ſed etiam quotidie in honorem beatiſſimorum Martyrum vacabant. Hujuſmodi erat conſuetudo, quæ veſtibus religioſorum mollitiem, & menſis eorum lautitias intulerat, & quas contra Sanctus Bernardus ſuum pro veteri diſciplinâ Zelum exercere non ceſſabat, tametſi velut maledicus & novator traduceretur. [l] Hujuſmodi erat conſuetudo miſſarum biſaciatarum & triſaciatarum, quam avaritia invexerat, & quæ tempore Petri Cantoris in Eccleſiâ latè graſſabatur. [m] Hujuſmodi eſt conſuetudo, quæ tempore ejuſdem Petri Eccleſiam turpiſſimè fœdabat, retinendi plura beneficia, quando unum ſufficit, ut clericus honeſtè vivat.

Hujuſmodi eſt conſuetudo illorum, qui pro ſe-ipſis non verentur ea ambire officia, quibus animarum cura annexa eſt.

Hujuſmodi eſt conſuetudo nonnullorum Presbyterorum, qui de Eccleſiâ in Eccleſiam, de parochiâ in parochiam

i *Alvarez Pelagius lib. 2. de planctu Eccleſiæ artic. 5.* k *Epiſt. 64. ad Aurel.* l *Vide Petrum Cantorem in verbo Abbreviato. cap. 29.* m *Ibid. c. 32.*

chiam tranſmigrant, more mercenariorum, qui majoris mercedis & commodi causâ heros mutant.

Hujuſmodi eſt conſuetudo conferendi, vel præſentandi beneficia non magìs dignis & idoneis; ſed conſanguineis vel amicis, vel famulis, tametſi id non fiat ſine ſimoniâ ab obſequio.

Hujuſmodi eſt conſuetudo Eccleſiaſticorum, qui de altario non vivunt, ſed luxuriantur, vel etiam theſaurizant, non Eccleſiæ, vel pauperibus; ſed fratribus, aut nepotibus ſuis.

Hujuſmodi erat conſuetudo negligenter tractandi ſacramenta aliaſque res ſacras, quæ conſuetudo ſæculo præterito magnam Chriſtianorum moribus perniciem invexit.

Spectat ad magnam laudem ſancti Auguſtini, quòd primæ iſtarum conſuetudinum ſe magnâ prudentiâ & Zelo oppoſuerit, idque feliciſſimo cum ſucceſſu; [n] uti patet ex epiſtolâ ejus ad Alypium, quam ex tenebris erutam Religioſi ſancti Benedicti in Galliâ elegantiſſimæ operum Auguſtini, quam adornant, editioni inſeruerunt.

Colitur Bernardus tanquam Religioſi ordinis glorioſiſſimus inſtaurator; quia minimè reveritus conſuetudinem deliciis & luxui faventem ſolùm attendit, quid ſancti Benedicti regula vitaque poſtularet.

Merita Petri Cantoris clariora ſunt, quia Miſſas bifaciatas & trifaciatas, & pluralitatem beneficiorum, nihil veritus auctoritatem, quam ex conſuetudine latè pervagante deſumebant, voce & calamo perſequi non deſtitit.

Venerandum ſancti Ignatii de Loyola apud Catholicos nomen, qui rerum ſacrarum neglectui corruptiſque moribus tanto animi ardore, etiam adhuc laicus reſtitit, ut (quemadmodum teſtatur Maffejus [o]) in Hiſpaniâ apud inquiſitionis tribunal delatus, & carceribus fuerit mancipatus, & deinde Pariſiis & Venetiis eâdem de causâ iterùm calumniis fuerit appetitus, perindè ac ſi novitatibus ſtuderet.

Prope initium ſæculi duodecimi incepit conſuetudo, con-

n *Epiſt. 29. in editione novâ Pariſinâ.* o *Lib. 1. vitæ Ignatii c. 17. & 20. & l. 2. c. 2.*

confeſſione peccatorum peractâ, ſtatim abſolvendi pœnitentes, remiſſis poſt abſolutionem ſatisfactionis operibus, quibus interior animi dolor nutritur, & pravæ libidines expugnantur & caſtigantur.

Huic conſuetudini originem dedit, primò quidem ſatisfactionum commutatio, cùm ſacra ſuſciperetur contra Saracenos militia, ad Chriſtianos ab illorum tyrannide liberandos. Juſtum enim videbatur, ut qui iſti bello, quo ſæpè de vitâ periclitandum erat, nomen dabant, poſthabitis pœnitendi induciis, confeſſi abſolverentur, ne ligati, & viatico corporis Domini carentes, ſe belli mortiſque periculis objicerent.

Secundò redemptio pœnitentialium morarum per uberes ingenteſque eleëmoſynas, ex quibus ædes ſacræ, aut novæ ædificabantur, aut collapſæ reſtaurabantur.

His duabus cauſis, quas Joannes Morinus in ſuo hiſtorico de pœnitentiâ commentario [p] explicat, addi poteſt tertia, ſcilicet uſus confitendi culpas veniales frequentior, quàm ferebat mos priſcorum Chriſtianorum.

In tribus autem iſtis caſibus confeſſionem abſolutio ſine morâ quidem; ſed non ſine aliquo admodùm ſpectabili fructu pœnitentium ſequebatur: nam primi oſtendebant ſe magnâ ardere charitate, cùm pro proximi ſalute ſe ipſos belli & peregrinationis duriſſimis laboribus, diræque morti accingerent. Secundi verò oſtendebant ſe animum ab illicitis voluptatibus avertiſſe, cùm divitias illarum ſatellites in religionis promovendæ inſtrumenta converterent. Quod verò tertios attinet, illi cùm eſſent plerumque inſigniter pii, & nollent, niſi ex arbitrio moderatoris conſcientiæ ſuæ, Euchariſtiam ſumere, ſine irreverentiæ periculo abſolutio iis, finitâ confeſſione, ſine præviis pœnitentiæ induciis, meritò impendebatur.

De conſuetudine autem ſolvendi peccata ante peractam pœnitentiam, dum ex tam juſtis fit cauſis, atque eæ ſunt, quas recenſuimus, dici poteſt quòd in ſecundâ conſuetudinum claſſe nobiliorem locum obtineat.

Cùm

p *Libro ultimo.*

Cùm autem plures confeſſarii viderent in caſibus ſupra recenſitis priſcum morem non ſervari, inde ſumpſerunt animos elargiendi pro ſuo arbitrio abſolutionem, tametſi rei necdum pœnitentiæ ſtadia decurriſſent, vel aliquo illuſtri opere ſuam converſionem teſtatam feciſſent.

Et iſtâ audaciâ vires ſumente ſenſim à pœnitentialium legum veniâ ac temperatione declinatum fuit in illam earum negligentiam, ut plures Confeſſarii criminum reos paſſim abſolverent, tametſi ſuam pœnitentiam nullo ſpectabili opere cognitam feciſſent.

Atque hic mos eò faciliùs inductus fuit, quò Eccleſiæ difficiliùs fuit ſeſe introductioni illius opponere, ſiquidem non publicè, ſed in pœnitentiæ tribunali, ubi omnia maximo cum ſecreto peraguntur, inducta fuit.

Porrò hæc conſuetudo, juxta quam omnes illi à peccatis ſolvuntur, qui ſe pœnitere dicunt, quamvis nullos dignos pœnitentiæ fructus oſtendere poſſint, ex iſtis eſt conſuetudinibus, quas tertia claſſis continet, id eſt, quas non ſacræ leges, ſed earum prævaricatio; non ſanctorum, ſed hominum à verâ pœnitentiâ degenerantium exempla invexerunt. Quicumque ergo eam oppugnant, modò prudenter, & non paſſionis, ſed rationis viribus oppugnent, plurimam laudem merentur.

Oppoſuerunt ſe huic mori præterito ſæculo Thomas de villâ novâ & Carolus Borromæus, qui ſanctorum faſtis meruerunt adſcribi. Se eodem ſæculo ei oppoſuit Joannes Gropperus, & memoria ejus in Eccleſiâ cum laude remanſit. Sub initium hujus ſæculi ei reſtitit ſanctus Saleſius, & inter beatos relatus eſt. Eidem mori ſuis ſe decretis & paſtorali curâ nuper oppoſuêre duo celeberrimi Epiſcopi Alectenſis & Appamienſis, quorum memoria in benedictione eſt; & nunc adhuc ſe opponit Cardinalis Grimaldi pluresque alii per Europam Epiſcopi, qui cum Gregorio Nazianzeno non niſi Deum in omnibus, quæ agunt, præ oculis habentes, non reverentur conſuetudinem apud multos invaleſcentem; quæ ſicuti ex impœnitentiâ originem traxit, ità peccandi audaciam nutrire cognoſcitur.

§. 2. San-

§. 2. Sancto Carolo ſaluberrimam circa res ſacras, vitamque Clericorum diſciplinam reſtaurare, & introducere ſatagenti, degeneres conſuetudines inceſſanter opponebantur. Sed quid ille? „Nec verò eſt, inquit in Concilio ſecundo Provinciali, curà muneris noſtri ratione deterreamur, vel quia his paſtoralibus noſtris ſtudiis actionibuſque animos eorum exulcerari videamus, qui filii ſunt perditionis; vel quia populares illæ, quibus quaſi ficus foliis, deformes pravique mores contegi ſolent, voces audiantur: Non ferunt hæc tempora veterum canonum ſeveritatem; ſic jamdiu viximus; ità vixerunt, ità egerunt, qui ætate nos anteceſſerunt: vitæ inſtitutum nihil eſt, quòd mutemus. At nos hæc, *monet Carolus*, atque „alia ejuſmodi contemnamus.

Si exempla & conſuetudines attendendæ ſunt & reverendæ, attendantur exempla Chriſti, Apoſtolorum, aliorumque ſanctorum, qui nos viam veritatis docuerunt. Si Auguſtinus, ſi Bernardus, ſi Petrus Cantor, ſi Ignatius, aliique homines Dei [q] *non declinaſſent* (loquor cum S. Epiſcopo Bartholomæo de Martyribus, Dominicani Ordinis eximio ornamento, & Bracarenſium S. Antiſtite) *ad Apoſtolicas ſingularitates*, nunquam ſancti, nunquam ipſorum illuſtre in Eccleſiâ nomen, nunquam memoria cùm laude fuiſſet. Tametſi ergo plurimi vociferentur adversùs ea, quæ juxta diſciplinam priſcæ Eccleſiæ, juxta canonum ſanctiones, & juxta exempla ſanctorum peraguntur, non cedendum clamoribus, & ità inſiſtendum veritati, ut nequidem quemquam eam contra vel conſulere, vel audire velimus.

Ad iſtam in bono conſtantiam atque animi magnitudinem idem religioſus & antiſtes Bartholomæus de Martyribus, qui in Concilio Tridentino, ſicut ſol ſuper cætera ſidera, eluxit, quique Divo Borromæo arctiori amicitiæ vinculo junctus fuit, hortatur, dum ait: [r] *Super actionibus, quæ manifeſtè pertinent ad Evangelicum Epiſcopum*, adde presbyterum, *non oportet conſulere quemquam. Inſani-*

[q] *Stimulo Paſtorum c. 6.* [r] *Ibid. c. 5.*

ſanire puta, ſi quis aliud conſuluerit; in hoc omnes reputa mente captos ob mundi conſuetudinem. Evangelicus itaque ſacerdos, cui exempla neſcientium officium ſacerdotale ad populum, & degener conſuetudo opponitur; dicet magnâ voce cum Mathathiâ ſacerdote: [s] *Etſi omnes gentes Regi Antiocho*, adde, graſſanti conſuetudini, *obediunt, ut diſcedat unuſquiſque à ſervitute legis Patrum ſuorum, & conſentiat mandatis ejus; ego & filii mei, & fratres mei obediemus legi Patrum noſtrorum. Propitius ſit nobis Deus, non eſt nobis utile relinquere legem & juſtitias Dei, ut eamus viâ alterâ.*

Non eſt ergo ſequenda conſuetudo, quæ è vitiis nata, eorum nutrix eſſe cognoſcitur. Neque etiam illud inter probatas ab Eccleſiâ conſuetudines reponendum, quod à Patrum ſanctionibus ac Conciliorum decretis, ſanctorumque exemplis devium eſſe cognoſcitur. Præclarè Contenſonius Dominicanæ familiæ clariſſimum decus: [t] Abſit, „ ut inter conſuetudines Catholicæ Eccleſiæ uſus illos re„ponamus, tametſi multùm vulgóque frequentatos, ſed „ à Romanorum Pontificum, & ſacrarum Synodorum au„ctoritate, ſanctorum Patrum regulis, Beatorum etiam „ his temporibus ad imitandum ſolemni apotheoſi ab Eccle„ſiâ propoſitorum factis abhorrentes. Illud ergo Eccleſiæ „ conſuetudinibus annumeramus, non, quod Eccleſia „ quandoque propter miſerrimi ac luctuoſiſſimi temporis „ calamitates gemebunda tolerat, ſed quod decretis pro„bat, quod per Epiſcopos divini Spiritûs flammâ ſuccen„ſos operatur, quod in ſanctis Patribus inſtituta conſectan„tibus extollit, quod collaudant Pontifices, quod uni„verſa demùm Eccleſia cum plauſu & fructu imperat, & „ cum religione retinet, & ſummo honore veneratur. Cæ„tera quamlibet paſſim & à multis frequentata inter abuſus „ reponenda ſunt, ſi à Patrum inſtitutis, canonum legibus, „ ſummorum Pontificum decretis, veteris Eccleſiæ uſu „ abhorreant. Res enim Eccleſiaſticas non moribus huma-

s *Lib. 1. Mach. cap. 2. 19.* t *Tom. 9. diſſert. de pœnit. cap. 2. de abſolut.*

„nis, ſed divinâ auctoritate, & Eccleſiæ Catholicæ tra-
„ditione metiri oportet.

§. 3. Repono deinde, tametſi nec ſacræ paginæ, nec traditio doceant, opera ſatisfactionis abſolutionem à criminibus ſemper præcedere debere; imò ex traditione conſtet, variis in caſibus ſacerdotes ſine intervallo alicujus moræ remiſſionem criminum confeſſioni ſubjunxiſſe: attamen nihil certius, nihil apud Catholicos confirmatius, quàm non alios à ſacerdotibus abſolutione donandos eſſe præter eos, quos prudentiâ, iis dignâ, qui non hominum, ſed Dei judicium exercent, quique æternæ ſapientiæ, Dei Filii & Salvatoris noſtri vices ſuſtinent, judicaverint potiùs ex eâ fructum vitæ, quàm mortis eſſe percepturos. Illam enim iis impertiri, qui prævidentur non libertatem filiorum Dei ex illâ, ſed duriorem dæmonum ſervitutem per ſacramenti profanationem eſſe incurſuri, non eſt ſacerdotis, qui ſe fidelem Chriſto ſervum ſtudet exhibere, ſed adulatoris, qui hominibus ſtudet placere: nec eſt ſpiritualis medici, qui animarum intendit ſalutem, ſed circumforanei, qui apud imperitos ſua jactat medicamenta, non ut ſanitates procuret, ſed ut pecunias emungat. Nunquam verò prudentia ſpiritus, quæ à terrenis cupiditatibus defæcata eſt, ſed ſolùm prudentia carnis, quæ *mors eſt*, & quæ legi Dei ſubjecta eſſe non poteſt, eum æſtimabit ex ſacramentali abſolutione ſalutem percepturum, qui ſe ſemper accuſat, & nunquam emendat; qui ſemper emendationem promittit, & nunquam præſtat. Iſtiuſmodi enim ſancti Patres, qui ſpiritum Dei habuerunt, non æſtimarunt eſſe pœnitentes; ſed irridentes. [u] *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, ſi verè eſtis pœnitentes*, inquit graviſſimè Auguſtinus, *& non irridentes: mutate vitam.* Qui ergo non ſemel, ſed ſæpiſſimè dicunt ſe pœnitere, nec tamen vitam mutant, iſti non pœnitentes; ſed irridentes habendi ſunt: & iſtorum pſeudopœnitentium promiſſis nemo illuſtratus prudentiâ ſpiritûs fidem poterit adhibere; & quantumvis iſtiuſmodi homines rogent, ut ſibi abſolutio

u *Aug. Hom. 41. inter. 50.*

tio donetur, eorum precibus non cedet ſacerdos; verùm illos, niſi ſat humiles fiant, ut ſe ſinant ſaluberrimis pœnarum vinculis aliquanto tempore ligari, inter illos reputabit, de quibus ait Concilium Toletanum tertium, quòd execrabili præſumptione volebant toties abſolvi, quoties ipſos peccare libuerat; eoſque eâ ratione curabit, quà idem Concilium eos dicit eſſe curandos, hoc eſt, præſcripto eis pœnitendi ſpatio, ut ex fructibus pœnitentiæ vitæque emendatione fidem de ſuâ converſione ſacerdoti facere poſſint. „[x] Quoniam (inquit) comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias non ſecundùm canones, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à presbyteris ſe reconciliari poſtulent; ideò pro coërcendâ tam execrabili præſumptione, id à ſancto concilio jubetur, ut ſecundùm formam antiquorum canonum detur pœnitentia; hoc eſt, ut ſatisfactio & vitæ emendatio præcedat reconciliationem; nec alios ſolvat ſacerdos, quàm quos Chriſtus per compunctionis gratiam vivificaverit.

Non eſt ergo laudabilis conſuetudinis; ſed damnabilis corruptelæ, quoſcumque abſolvere, qui de criminibus ſe dicunt dolere, tametſi vitam haud immutent: nam hoc non eſt animas purgare, ſed eas per ipſum purgationis lavacrum fœdiſſimè ſordidare; nec etiam poteſt ſacerdos iis, qui in eàdem promiſſione ſæpe deceperunt, prudenter fidem adhibere, niſi putet, iis, qui datam fidem ſæpiſſimè fefellerunt, prudenter credi poſſe, dum in rebus ſummis, & ad animarum juſtificationem, æternamque earum ſalutem pertinentibus Confeſſarium deluſerunt, Deoque fuerunt mentiti; iis verò non niſi ſummâ cum imprudentiâ credi, ſi in negotiationibus terrenis humaniſque pactis aliquoties fidem fefellerint, atque hominibus fuerint mentiti.

§. 4. Neque dicas hominibus animam agentibus, dum ſe de criminibus aſſerunt dolere, à ſacerdotibus fidem adhibendam, & abſolutionis munus concedendum eſſe, adeóque cir-

x *Concil. Toletan. 3. ſub Pelagio. 2. can. 2.*

circa ſanos eandem agendi rationem ſervandam eſſe. Etenim iis, quibus tota vita in criminum & confeſſionum abſolutionumque viciſſitudinibus tranſacta eſt, dum animam agunt, tametſi pœnitere ſe dicant & lacrymoſis vocibus atteſtentur, vix ullam fidem Eccleſia habendam cenſet: nam ſi eam ſpectes in ætate Apoſtolis viciná, tum, teſte Cypriano, iis, qui perditè vixerant, reconciliationis miniſterium non impendebat, ſi in mortis confinio conſtituti illud poſtularent; [y] *quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit*; nec digni æſtimabantur in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitaverant eſſe morituros. Si eam ſpectes in ætate magis provectâ, teſtante Innocentio I. Romanæ Sedis Epiſcopo [z]; communionem dari obeuntibus placuit, ne Novatiani hæretici negantis veniam, aſperitatem & duritiam ſubſequi videretur: verùm de fructu communionis in morbis perceptæ fiducia erat perexigua: unde volebat, ut in morbis reconciliati, ſi reconvaleſcerent, non inter communicantes, ſed inter abſtentos repoſiti pœniterent. Patet hoc ex variis Conciliorum canonibus. Si verò Eccleſiam præſentem conſideras, à conſuetudine moribundos reconciliandi, quæ ſub Innocentio vigebat, minimè recedit; verùm ſive eam priſcis ſæculis, ſive provectioribus, ſive ultimis conſideres, ſemper exiſtimavit non magnam iis fidem eſſe adhibendam, qui in extremis poſiti poſt vitam in criminibus ſolis, vel in criminum & confeſſionum perpetuâ viciſſitudine evolutam, ſeſe aſſerunt pœnitere. Hæc vox Auguſtini; „ [a] Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur infirma eſt: pœnitentia, quæ „ à moriente tantùm petitur, timeo ne & ipſa moriatur. Et quod Auguſtinus tunc monebat, hodie monere non ceſſat Eccleſia: „ Quicumque vult invenire miſericordiam „ Dei, ſanus agat pœnitentiam in hoc ſæculo, ut ſanus eſ„ ſe valeat in futuro. Et uti Auguſtinus olìm dicebat differentibus converti ad Dominum: „ [b] Si quis poſitus in ulti„ mâ neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœniten„ tiam,

y *Cyprian. ep. 50. ad Antonian.* z *Epiſt. 1.* a *Serm. 57. de tempore.* b *Hom. 41. inter 50.*

„ tiam & accipit, mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor „ vobis, non illi negamus, quod petit; ſed non præſumi- „ mus, quia benè hinc exit..... Agens pœnitentiam ad ul- „ timum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non „ ſum ſecurus. Pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem da- „ re non poſſum. Vis te dubio liberare, age pœnitentiam, „ dum ſanus es; tene certum, dimitte incertum. Hæc, inquam, Auguſtini verba Eccleſia non ceſſat iis ingerere, qui tardant converti ad Dominum, ut oſtendat, quàm incerta ſit de illorum ſalute, qui extremis in morbis confitentes non tam videntur peccata ipſi deſerere, quàm ab ipſis deſeri peccatis; atque his iiſdem verbis oſtendit, quàm parvam fidem iis præbeat, qui in extremis morbis, poſt violatum baptiſmum, poſt pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramenta ſæpiùs ſine fructu emendationis accepta, pœnitere ſe dicunt.

Dat ergo eis ſacramenta, licet præparationi illorum parùm fidat, nec de eâ multùm ſperet; quia mors inſtans non ſinit neceſſariis dilationum ſpatiis & fructibus pœnitentiæ mutationem cordis & vitæ emendationem probari, atque oſtendi: impertitur itaque ægris abſolutionis medelam, quia certius eſt periculum perdititionis, ſine eâ, quàm cum illâ vitam finire. Dat ergo ſacerdos iſtiuſmodi abſolutionem ex eâ Chriſtianæ prudentiæ regulâ, quæ ex duobus periculis illud, quod minus eſt, dictat eſſe eligendum. Unde eadem prudentia mandat, ut corpore valentes non priùs à lethalibus animarum ſuarum morbis liberos ſanoſque pronunciet, quàm ſpiritalis vitæ ac ſanitatis argumenta oſtenderint, non verbis duntaxat, quibus ſe ipſos ſuoſque Confeſſarios ſæpè fefellerunt, ſed ſanctorum fructuum operumque veritate: nam juxta Chriſti doctrinam, meliùs ex fructibus operibuſque, quàm ex viriditate foliorum, quæ bonis maliſque ſtirpibus communis eſt, arbores cognoſcuntur, ut prudens de illarum bonitate malitiâve judicium formari proferrique poſſit. Niſi enim valentes ex fructibus dijudicentur, & priùs eis detur communio, quàm ſe emendatione vitæ, communione dignos oſtenderint, maximo

exponuntur periculo, quòd profanabunt ſacramentum pœnitentiæ, & quòd malè communicantes, fient rei corporis & ſanguinis Domini.

CAPUT IX.

1. *Reſpondetur illis, qui credunt abſolutionem ſtatim impendendam eſſe exemplo Chriſti, qui mulieri peccatrici, paralytico, adulteræ, &c. nullâ interpoſitâ ſatisfactionum morâ remiſſionem peccatorum impartitus eſt.* 2. *Illis admodum difficulter peccata remittuntur, qui ſacramentis ſæpè fuerunt abuſi.* 3. *Si exemplum Chriſti ſtatim peccata remittentis contra abſolutionis moras proferri poſſet, etiam proferri poſſet contra confeſſionis uſum: & ſpeciatim oſtenditur, quàm abſurdè exemplum peccatricis citò reconciliatæ in præſidium feſtinatarum reconciliationum adducatur.*

§. 1. QUi non ſinunt peccatores ſub medicâ ſacerdotum providentiâ ac directione per aliquot menſium, aut ſeptimanarum ſpatia paulatim curari, ſed volunt, ut ſimul atque ſe reos fuerint confeſſi, nullâ interpoſitâ morâ abſolutione donentur, ſtatimque inter ſana integraque Eccleſiæ membra recenſeantur, paſcendi non jejuniis, eleëmoſynis, orationibus, lectionibus ſacris, receſſu à conſortiis, quæ ſunt veluti ægrorum olera ac juſcula, ſed ſtatim nutriendi ſanorum valido nutrimento corpore & ſanguine Domini; hi provocant ad exemplum Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, qui nec mulierem peccatricem, nec mulierem in adulterio deprehenſam, nec paralyticum, qui fracto tecto, in grabato ad ejus pedes deponebatur, priùs conſtrinxit pœnarum & ſatisfactionum vinculis, quæ longiori tempore ferrent, ut ſe ad juſtificationis grande munus

præ-

præpararent; verùm nullâ interpoſitâ morâ eos recepit in gratiam, dicens vel, [c] *Vade in pace*, vel, [d] *Nec ego te condemnabo*; vel, [e] *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* In ſuum quoque præſidium proferunt benignitatem optimi patris, qui filio prodigo, ut eum à longè percepit, obviam venit, non ut illum ſordido cilicio indueret, aut cineribus fœdaret, non ut à paternâ mensâ diu removeret, ſed ut eum oſculo reconciliationis ſine morâ honorans, ſtatim ſtolâ primâ decoraret, & magnifico epulo famelicum reficeret.

Hoc argumentum quinque ante ſæcula doctiſſimo reſponſo contrivit B. Ivo Carnotenſium Epiſcopus, quando Gonherio Presbytero ſimile quid objicienti in hunc modum reſpondit. „ [f] Quærit fraternitas tua, quomodò in„ter ſe conveniant prophetica ſententia, quæ dicit: *In* „ *quâcumque horâ peccator ingemuerit, ſalvus erit*; & ſy„nodalis, quæ crimina ſua confitentes aliquamdiu à cor„poris & ſanguinis Chriſti communione ſuſpendit? Re„pugnare tibi videntur, diſſentireque ſententia capitis & „ corporis: ut quos Caput, id eſt, Chriſtus celeriter à pec„cato liberat, eos Corpus Chriſti, id eſt, Eccleſia ſub „ pœnâ peccati diu ligatos retineat. Quæ quæſtio facilè ſol„vitur, ſi interni judicis animadverſio, & humanæ fragi„litatis conſideratio diligentiùs attendatur. Cùm enim cri„minalis culpa delinquentem ſeparet à capite & à corpore, „ rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex tantò remit„tat celeriùs, quantò ſolus magìs videt interiùs. Judex ve„rò qui tantùm videt in facie, uſque adeo delinquentes ſub „ peccati pœnâ detineat, donec per manifeſtum pœnitentiæ „ fructum, quis ſit pœnitentis affectus, intelligat. Per „ internum enim gemitum ſatisfit interno Judici, & idcir„co indilata datur ab eo peccati remiſſio, cui manifeſta eſt „ interna converſio. Eccleſia verò, quia occulta cordis igno„rat, non ſolvit ligatum, licèt ſuſcitatum, niſi de mo„numento elatum, id eſt, publicâ ſatisfactione purgatum. „Hinc eſt, quòd Eccleſiâ ſua crimina confitentes à ſacra-

 „men-

c *Luc.* 7. 50. d *Joan.* 8. 11. e *Matth.* 9. 2. f *Epiſt.* 228.

„ mentorum communione ſuſpendit, & in cinere & in ci-
„ licio poſitos ab introitu Eccleſiarum ſtatuto tempore ex-
„ cludit, ut per hoc experiatur, ſi jam ſunt intùs vivifica-
„ ti, cùm fuerint longâ pœnitentiæ maceratione probati.
„ Si hæc attendat fraternitas tua, videbit, nec diſſentire
„ Propheticam & Synodalem ſententiam; cùm illa deferat,
„ quod ſuum eſt, capiti, & iſta concedat, quod ſuum
„ eſt, corpori. In diſcretione tamen Epiſcoporum eſt, ſe-
„ cundùm affectum pœnitentiæ tempus abbreviare vel pro-
„ longare, dicente Beato Auguſtino: In actione pœniten-
„ tiæ, pro quâ reus ab altari ſeparandus eſt, non adeò con-
„ ſideranda eſt menſura temporis, ut doloris.

Ex hoc Ivonis reſponſo patet, Chriſtum abſolviſſe peccatores, ſimul atque in illorum cordibus vera erat formata converſio; quam ipſe, qui ſcrutatur renes & corda, percipit, tametſi nullis pœnitentiæ operibus ſeſe foris oſtendat; quemadmodum neque in paralytico, neque in adultera foris apparebat: ſacerdotes verò non ſtatim impertiri abſolutionis beneficium, quòd neminem ſolvere poſſint, niſi quem converſum eſſe cognoverint; converſos autem cognoſcere non poſſe, quòd illorum oculus ad cordis occulta non penetret, niſi per manifeſta emendatæ vitæ opera, viſibileſque pœnitentiæ fructus, illis ſe oſtenderint eſſe converſos. „ Hinc eſt, inquit, quòd Eccleſia ſua cri-
„ mina confitentes à ſacramentorum communione ſuſpen-
„ dit, & in cinere & cilicio poſitos ab introitu eccleſiarum
„ ſtatuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, ſi jam
„ ſunt intùs vivificati, cùm fuerint longa pœnitentiæ ma-
„ ceratione probati.

Volebat itaque Eccleſia duodecimo ſæculo, quo vixit Ivo, ut ſacerdos non ex verbis & promiſſionibus confitentes dijudicaret, ſed ex operibus & fructibus diſcerneret, quinam ſacramentali abſolutione donandi ſint. Iſtud etiam hodie ſacerdotibus obſervandum, maximè dum talium audiunt confeſſiones, qui ſæpe ſacramentum pœnitentiæ violarunt, quique fidem in eo datam ſæpiùs fruſtrarunt; talibus enim credere non eſt prudentis fidei, ſed improvidæ cre-

credulitatis, qua leves corde, & non graves ſacrorum miniſtri ſe abripi patiuntur.

2. Magnum inter Chriſtum & presbyteros diſcrimen: ipſe enim, cùm tanquam Deus habeat omnipotentiſſimam poteſtatem humana corda ab iniquitate ad juſtitiam convertendi, ea iſto momento à peccatis libera meritò pronunciat, quo ea inviſibiliter convertit atque juſtificat. Verùm ſacerdotes pro nutu ſuo in humanis cordibus non operantur, & ipſi cùm ſint tantùm ſacrorum miniſtri, ſuâ actione Chriſti actiones ſubſequi, non præcedere debent. Nam ſi Chriſti operationes circa peccatores prævenire, & non expectare velint, peccatoribus erunt inutiles, perinde ac inutiles Lazaro fuiſſent Apoſtoli, ſi volentes Chriſti circa Lazarum actiones ſuâ operatione præcedere, properaſſent eum fœtentem è ſepulchro extrahere, inſtitaſque mortui inutili labore diffringere. Dicet itaque probus & prudens ſacrorum miniſter, dum urgetur ad eos ſolvendos, in quibus nullas ſpiritalis vitæ motiones percipit, nullamque Chriſti reſuſcitantis gratiam advertit, [g] *Tempus meum nondum advenit*; quod ſolùm tunc adeſt, cum vivificantis Chriſti operationes ex fructibus in pœnitentibus agnoſcit: dicet autem improvidis ſacrorum miniſtris cunctationem ejus arguentibus: *Tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum*; qui non prodeſſe animabus, ſed eis tantùm placere contenditis. Nam ad medicamenta utiliter applicanda tempora & moras obſervare oportet; nihil verò iſtorum obſervandum illis, qui circulatorum more non medelas animarum; ſed terrena lucra quærunt.

3. Ineptè allegatur exemplum Chriſti ſine morâ peccatores à criminibus liberos pronunciantis: Nam inter illos, quos Chriſtus abſolvit, nullus fuit, qui ipſum falsâ emendandæ vitæ ſponſione fefellerat, nullus, qui abſolutionis gratiâ fuerat abuſus; nullus qui ſacramenta baptiſmi, Euchariſtiæ, & pœnitentiæ ſacrilegè violaverat.

Scimus, ſcimus eos, qui ſponſiones ſuas de vitâ emendandâ nunquam fruſtrati ſunt, qui Filium Dei non ſæpiùs

 con-

g *Joan.* 7. 6.

conculcaverunt, nec ſanguinem teſtamenti, repetitis poſt reconciliationem criminibus, pollutum duxerunt, nec ſpiritui gratiæ contumeliam fecerunt, faciliùs & promptiùs reconciliari poſſe. Hinc ſancti Patres illos, qui in extremis morbis ſacro baptiſmate loti finiunt hanc vitam, inter eos reponunt, de quorum ſalute meritò benè ſperatur. [h] *Fidelis*, inquiunt, *benè vivens ſecurus hinc exit. Baptizatus ad horam, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam & reconciliatus cùm ſanus eſt, & poſtea benè vivens, ſecurus hinc exit.* En quomodo illis donent ſecuritatem, qui nonniſi in ultimo vitæ termino baptizati finiunt hanc vitam.

§. 2. Ex quo conſtat, eum eſſe divinæ providentiæ ordinem, ut illos faciliùs & promptiùs revocet ad gratiam, qui gratiæ donis vel omninò non fuerunt, vel non ſæpè fuerunt abuſi. Verùm illis, qui baptiſmi ſponſiones & ſacramentum violarunt, ſi ſolùm in extremis pœniteant, ſalutis ſpem minimam dederunt. [i] *Agens*, inquit unus illorum, *pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus.* Ergo horum veniam, ob injurias ſpiritui gratiæ illatas, Patres exiſtimarunt impetratu difficiliorem eſſe. Hoc ipſos ſenſu Salvator imbuit, dum docuit, ſemel liberatum à dæmonis ſervitute, fortioribus ab eo vinculis alligari, ſi de ſervandà libertate parùm ſollicitus, ſe iterùm illius imperio ſubjiciat. [k] *Tunc* enim *vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Undè Chriſtus paralyticum, qui hominem non habuerat, qui ipſum in piſcinam, poſtquam mota fuiſſet, projiceret, & cui veroſimiliter etiam peccata dimiſerat, ità allocutus eſt: [l] *Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* His enim verbis eum monuit, quòd ſi poſt indultam criminis remiſſionem, iterùm ſe illo pollueret, pejùs haberet, nec tam promptam ejus relaxationem ſperare deberet. Ineptiſſimè igi-

h *Aug. Serm.* 41. *inter* 50. i *Ubi ſupra.* k *Luc.* 11. 26.
l *Joan.* 5. 14.

igitur allegatur exemplum Salvatoris, iſtos peccatores, qui nullum fœdus cum illo initum violaverant, citò in gratiam recipientis, ut probetur ſacratiſſimorum fœderum, quæ cum Deo inierant, ſacrilegos violatores, homines Spiritui gratiæ, cui ſe non ſemel, ſed ſæpiùs devoverant, arroganter contumelioſos, à ſacerdotibus nullâ morâ interpoſitâ toties abſolvi debere, quoties linguâ mendaciis aſſuetâ, ſe magìs inverecundè, quàm verè, de ſuis ſceleribus aſſerent dolere.

§. 3. 4. Si exemplum Chriſti, in diebus carnis ſuæ non priùs reos criminum pœnitentialibus vinculis, quàm ipſos ſolveret, alligantis proferri poſſet contra ſanctiſſimam Eccleſiæ diſciplinam, quâ mortalium reos criminum ſaluberrimis pœnitentiæ ligaturis per duodecim ſæcula ferè ſemper priùs aſtrinxit, quàm ipſos liberos ſanatoſque pronunciaret, pari æquitate exemplum Chriſti proferri poſſet contra morem, quo Eccleſia neminem ſolvit, qui non ſe ipſum de ſingulis, quæ perpetravit, criminibus priùs accuſaverit, & cui non impoſuerit pœnas exſolvendas in peccatorum vindictam. Nullus enim illorum, quibus Chriſtus peccata remiſit, ea diſtinctè & ſingulatim legitur fuiſſe confeſſus; nullique eorum cognoſcitur pœnas peccatorum vindices & medentes præſcripſiſſe; ſicuti ergo exemplum Chriſti, peccata non confeſſis ſine pœnarum impoſitione relaxantis adduci non poteſt contra morem peccata confitendi, pœnaſque confeſſis imponendi, ità exemplum Chriſti, qui ſine dilationum moris peccatoribus veniam conceſſit, pacemque impartitus eſt, malè allegatur contra ordinem priùs exigendi à peccatoribus emendationem vitæ ac ſatisfactionem pro criminibus commiſſis, quàm eis abſolutionis indulgentia concedatur.

5. Nihil verò abſurdius, quàm ab exemplo Chriſti mulieri peccatrici dicentis, [m] *Remittuntur tibi peccata*, inferre, gratiam abſolutionis iis, qui ſe ipſos dolere, & abſolutioni idoneos eſſe proteſtantur, ſine morarum intervallo donandam eſſe, licèt nullos veræ pœnitentiæ fructus oſten-

m *Luc.* 7. 48.

oſtendere poſſint, & licèt antea de ſuâ converſione falſum ſæpè dederint teſtimonium. Etenim Chriſtus non priùs iſti peccatrici dimiſit peccata, quàm omni pœnitentiæ apparatu ſe ipſam veniæ percipiendæ digniſſimam oſtendiſſet. In pœnitente requiritur dolor de peccatis: Peccatrix præ doloris magnitudine lacrymis rigat pedes Jeſu [n]. Peccatorem decet humilitas: Præ contemptu ſui ipſius ad Redemptoris ſui pedes ſe ipſam abjicit, & ſe à Phariſæis gaudet contemni. Reum dedecet cultus corporis: Paſſis capillis tergit pedes ejus. Commendat pœnitentem, ſi inſtrumenta vitiorum vertat in arma virtutum: Peccatrix fracto alabaſtrite ungit pedes Chriſti. Oportet ut pœnitens diligat fontem juſtitiæ: Peccatrix præ amoris magnitudine ejus plantas oſculatur. Meretur pœnitens citiùs veniam, ſi præ verecundiâ eam non poſcat: Illa culpam deteſtatur, pœnarum relaxationem in ſapientiſſimo ſui judicis arbitrio relinquit. Laus eſt pœnitentis de propitiato peccato non eſſe ſecurum: Illa pergit peccata deflere, etiam poſtquam audierat, Remittuntur tibi peccata; nec priùs recedit, quàm à Jeſu iterùm audiviſſet, [o] *Fides tua te ſalvam fecit: vade in pace*; quod fuit in eâ, non affectus verbis Chriſti fidem denegantis, ſed charitatis in diffringendis illecebroſis peccatorum vinculis occupatiſſimæ, nec de feſtinatâ indulgentiâ cogitantis. Quid in hoc ſpeculo pœnitentiæ conſummatiſſimæ, quod faveat iis, qui putant, aſſerentibus ſe pœnitere, ferè ſemper eſſe credendum, totieſque impertiendam abſolutionis indulgentiam, quoties ipſis, poſt iterata crimina fruſtrataſque abſolutiones, iterum libuerit confiteri. Non petit abſolutionem illa peccatrix, ſed oſtendit fructus pœnitentiæ, quibus illam meretur. Iſti illam inverecundè poſtulant, de eâ per dignos pœnitentiæ fructus promerendâ parùm vel minimè ſolliciti. Illa non timet contemni, non iraſcitur dum à Simone deſpicitur, non curat famam, modò à deteſtandis cupiditatum nexibus, ut Deum amare & colere queat, enodetur. Iſti ſuis libidinibus faventes, ſacramenta cupiunt, ut ex illis honorentur, ſuæ-

n *Luc.* 7. o *Luc.* 7. 50.

ſuæque famæ præſidium quærant. Illa ſtat retrò & ſe abjicit ad pedes Jeſu Chriſti, ſe indignam arbitrans, quæ cum illo menſæ accumberet. Iſti antequam ex operibus veræ pœnitentiæ, aut ſibi ipſis, aut aliis ſuadere valeant, ſe ex filiis gehennæ factos eſſe Dei filios, tamen panem filiorum ſumere, & inter filios ſacræ menſæ accumbere non verentur. Illa inſtrumenta ſui luxus honorandis Chriſti pedibus impendit. Iſti luxui nihil detrahentes, erga pauperes, qui ſunt pedes corporis Chriſti, duri eſſe perſeverant. Illa lacrymatur præ odio peccati, & quem amat fontem juſtitiæ religioſis oſculis haurit, & deguſtat. Iſti plerúmque non dolent, niſi de peccatorum pœnis, non illis quidem, quæ ſunt fomites & origines peccatorum, dico libidines ac cupiditates, ſed de damnis & doloribus, quibus hæ torquentur & cruciantur; vix aliud amantes niſi ſuæ naturæ integritatem & commoda, plerumque nullo juſtitiæ ſenſu recreati. Illa à ſuâ dejectione, à lacrymis, à ſui corporis deformatione non priùs ſurgendum arbitratur, quàm à Jeſu ſemel ac iterum audiverat ſua ſibi peccata eſſe remiſſa. Iſti plerumque ſicci ad lacrymas, amantes mundioris cultûs, contra Apoſtolum alta ſapientes, nec humilibus conſentientes, ſtatim aſpirant non ad juſtitiam, ſed ad juſtitiæ ſigna, digni profectò, qui credant homini dicenti, Ego te abſolvo à peccatis tuis, licèt æterni Judicis ſententiam non ſequatur, ſed præcedat, adeóque non veram, ſed falſam ſententiam pronunciet. [p] *Tunc enim vera eſt abſolutio Præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur Judicis.* Quod tunc fit, quando penſatis ſingulorum cauſis, ligandi atque ſolvendi poteſtas exercetur; & conſideratis culpis, pœnaſque eas ſubſecutis, iſtos ſolùm ſacerdos abſolvit, quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam noſcitur viſitaſſe. Hæc conſiderent, qui præproperas abſolutiones vel cupiunt, vel defendunt: & agnoſcent in benignitate Salvatoris, quâ pœnitentem peccatricem excepit, nihil eſſe, quod ſuæ intentioni non vehementiſſimè adverſetur.

CA-

p *Vide Gregor. Hom. 26. in Evang.*

CAPUT X.

1. *Exemplum prodigi, cui pater citò reddi juſſit ſtolam primam ſuæque menſæ ſacras delicias, minimè favet præproperis reconciliationibus.* 2. *Prodigus ex Patrum doctrinâ exemplum eſt laborioſæ & diuturnæ, non verò mollis ac lapſantis pœnitentiæ exemplum.* 3. *Prodigi inſtar pœnitentiam agenti citò reddenda ſtola prima. Qui poſt uſurpatum pœnitentiæ ſacramentum non ſe emendant, eorum individua cum diabolo amicitia, & pœnitentia nunquam fidelis.* 4. *Fruſtrà iis, qui relapſos non priùs abſolvendos æſtimant, quàm ex fructibus pœnitentiæ ſuam oſtenderint emendationem, publicanus objicitur: Nam exemplum publicani vehementer adverſatur citas abſolutiones & immeritum communionis honorem ambientibus.* 5. *Ex eo, quòd Chriſtus paralytico peccata priùs dimiſit, quam corporis reddiderit ſanitatem, diſcimus oportere, ut ſacerdotes ante omnia reorum æternam curent ſalutem. Iſta autem remiſſio non priùs eam petenti paralytico, quàm accipienti donata, citis abſolutionibus, quæ per ſacerdotes dantur, tam non favet, quàm non favet abſolutionibus eorum, qui nec ſua confitentur peccata, nec prævium abſolutionibus dolorem oſtendunt Non expediret etiam, ut per ſacerdotes peccata tam facilè & citò condonari poſſent.*

§. 1. SEd forſan reconciliationis & corporis Domini invaſoribus magìs ſavebit exemplum prodigi, cui Pa-

Pater, ſimulac venientem à longè vidit, feſtinavit obviare, iiſque ornare favoribus, quibus fuerat gaviſus antequam paternæ domui ac curæ renunciaverat. Verùm nihil etiam eſt in pœnitente prodigo, quod ipſis patrocinetur. Ille enim nobis exhibet omnes dotes veri pœnitentis. A vagis libidinibus compellente inediâ in ſe revertitur, ut recogitet & agnoſcat, ad quæ bona creatus ſit, quantaque ſit illorum felicitas, qui Deo adhærentes ab illo gubernantur, atque paſcuntur. Hâc cogitatione ſtimulatus meretricias deteſtatur voluptates, & peccatis eorumque occaſionibus, in quibus jacebat, renunciat, dicens: [q] *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Deinde ſtatuit ſe ipſum accuſare, omnemque criminis cauſam, non more Evæ aut Adami in alios refundere, ſed ſibi uni attribuere. *Dicam*, inquit, *peccavi in cœlum & coram te.* Nec contentus propoſito ſe ipſum accuſandi, ſeveram quoque in ſe ipſum ſententiam vult pronunciare, declarando ſe ipſum nomine, honore, & bonis, quibus gaudent filii, omninò indignum: *Jam non ſum dignus vocari filius tuus; fac me ſicut unum de mercenariis tuis.* Ut oſtendat ſui firmitatem propoſiti, illud exequitur, & è regione longinquâ rediens, per longi itineris ſpatia ſuàm non ceſſat accuſare dementiam, Patriſque pietatem animo revolvere. Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum Pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, ut eum in ſpem recuperandæ ſalutis magìs magiſque erigeret. Deinde oſculatus eſt eum, ut caſtum ei inſpiraret amorem, ne vellet ampliùs mercenariorum cupiditate pro panibus Patri ſervire, ſed charitate filiorum, quæ non quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti; hoc eſt, non quærit bona tranſeuntia atque creata, ſed quæ Jeſu Chriſti, hoc eſt, bona interna atque æterna, cognitionem, amorem & gaudium de incommutabili veritate. Hôc prodigus inflammatus amore exclamat: [r] *Pater, peccavi in cœlum & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Omittit verò quod ſe promiſerat dicturum; *Fac me ſicut unum de mercenariis tuis;*

q Luc. 15. 18. r Verſ. 21.

tuis; utpotè quia oſculum expertus dedignabatur Deo animum ſervilem aut mercenarium exhibere, aut aliquid à Deo petere, quod Deus ipſe non ſit.

Filio tam nobiliter animato Pater, ut ſtola prima citò reddatur, meritò jubet. Caſtè enim & ardenter amanti, remiſſionem peccatorum, honorem, & cibum filiorum, Patriſque menſam non oportet deeſſe. Nemo eſt in Eccleſiâ Dei, qui iſtiuſmodi affectibus imbuto vel reconciliationem vel eſcam corporis Chriſti denegandam arbitratur. Sed hinc nullatenus inferri poteſt, eis, qui ſe ſemper accuſant & nunquam emendant, toties dandam eſſe abſolutionem, quoties ſe reos & pœnitentes pronunciabunt. Ridicula enim & explodenda hæc argumentatio. Pater noſter Jeſus Chriſtus prodigo à peccatis eorumque occaſionibus recedenti, ſuum de vitâ emendandâ propoſitum fideliter exequenti, per longum iter ingemiſcenti, ſe ipſum accuſanti & dejicienti, fontemque æternæ juſtitiæ ardenter ſitienti citò remittit peccata, eique, quo novit eum eſſe digniſſimum, reddit honorem; ergo ſacerdos peccatori à peccatis eorumque occaſionibus non recedenti, vix de illis dolenti, in promiſſis ſæpe falſo, & quem magìs videt ſacramenta, quàm juſtitiam deſiderare, & quem, ſi ex fructibus pœnitentiæ, ſicuti oportet, dijudicet, prudentiùs credet non eſſe, quàm eſſe converſum, debebit reconciliationis gratiam, & communionis honorem ſine morâ impertiri. Quis enim non videt, quàm ſtulta & ab omni rationis ſpecie alieniſſima ſit hæc ratiocinatio? Et tamen homines, qui magni Theologi æſtimari volunt, non verentur indulgentiam, quâ Pater noſter Jeſus Chriſtus prodigum excipit, iis objicere, qui de animarum ſalute, & de reverentiâ ſacramentis debitâ ſatagentes, iſtos prodigos, qui à peccatorum cœno atque illecebris non recedunt, ac nunquam ſeſe emendant, priùs aliquo tempore curandos probandoſque exiſtimant, nec ante ſacramentorum participatione dignandos, quàm ſe eâ dignos per morum emendationem eſſe oſtenderint.

§. 2. Aliud de pœnitentiâ prodigi Patres concluſerunt.

Nam

Nam crediderunt eum eſſe exemplum iſtius laborioſæ & longæ pœnitentiæ, quæ in priſcâ Eccleſiâ abſolutionem ferè ſemper præcedebat, non verò iſtius feſtinatæ molliſque pœnitentiæ, quâ plurimi ſimul ac ſua peccata, narranti magìs, quàm dolenti ratione ſacerdoti retulerint, ſtatim ab eo cupiunt, utpote morarum impatientes, conſequi honorem filiorum, quamvis vix timeant uti ſervi, tantùm abeſt, ut ament velut filii.

Tertullianus adducto pœnitentis prodigi ſchemate, ex illo deſcribit, quænam ſit vera pœnitentia. „ [a] Quis ille, inquit, nobis intelligendus Pater? Deus ſcilicet; tam Pater nemo, tam pius nemo. Is ergo te filium ſuum, etſi „ acceptum ab eo prodegeris, etſi nudus redieris, recipiet, „ quia rediſti; magíſque de regreſſu tuo, quàm de alterius „ ſobrietate lætabitur. Sed ſi pœniteat ex animo, ſi famem „ tuam cum ſaturitate mercenariorum paternorum compa- „ res, ſi porcos relinquas immundum pecus, ſi Patrem re- „ petas vel offenſum. *Deliqui*, dicens, *Pater*, *nec dignus* „ *ego jam vocari filius tuus.* Tantùm relevat confeſſio de- „ lictorum, quantùm diſſimulatio exaggerat. Ne quis verò exiſtimaret ipſum in confeſſione tantum meritum conſtituere, deinde exponit quid ſub confeſſione comprehendat. „ [b] Confeſſio, inquit, ſatisfactionis conſilium eſt; „ diſſimulatio, contumaciæ: hujus igitur pœnitentiæ ſe- „ cundæ & unius quantò in arcto negotium eſt, tantò o- „ peroſior probatio eſt, ut non ſolâ conſcientiâ proferatur, „ ſed aliquo etiam actu adminiſtretur: is actus, qui magìs „ græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologe- „ ſis eſt, quâ delictum Domino noſtro confitemur, non „ quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione „ diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentiâ „ Deus mitigatur. Itaque exomologeſis proſternendi & hu- „ milificandi hominis eſt diſciplina, converſationem injun- „ gens miſericordiæ illicem, de ipſo quoque habitu atque „ victu: ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcu- „ rare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit, tri-

a *L. de pœnit. c.* 8. b *Ibid. c.* 9.

„ ſti tractatione mutare. Cæterùm paſtum & potum pura
„ noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ causâ; plerumque
„ verò jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, &
„ mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, pres-
„ byteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus
„ fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere.

En qualem confeſſionem prodigi exemplo aſtruat Tertullianus. Non mollem, non moræ impatientem, non priùs honoris, quàm virtutis ac meriti ambitioſam; non dignis pœnitentiæ fructibus deſtitutam; verùm eam, *quæ* parit converſationem cœleſtis miſericordiæ illicem, utpotè ſacco & cineri incubantem, corpus ſordibus, & animum mœroribus dejicientem, & illa, quæ peccavit, triſti tractatione mutantem; & quæ non ventris, ſed animæ causâ manducet, quæ orationem jejuniis paſcat, quæ non ſolùm ingemiſcat, ſed etiam lacrymetur, imò mugiat ad Dominum, quæ Presbyteris ſupplex advolvatur, quæ charis Dei adgeniculetur, quæ omnibus fratribus legationes deprecationis injungat.

§. 3. Iſthâc pœnitentiâ ſe ipſum conterenti, citò, citò reddenda ſtola prima. Verùm iſtiuſmodi pœnitentia *plerumque* non citò, ſed ſenſim adoleſcit. Undè illa vox, *Citò proferte ſtolam primam*, non jubet, quemadmodum nonnulli arbitrantur, ut ſtola prima detur, ſimulac in peccatore apparet quædam inchoatio pœnitentis animi, quantumvis imperfecta; neque etiam præcipitur, ut ſacerdos ſine præviâ conſideratione & examine pœnitentiæ, & emendationis ſecutæ poſt culpam, citò credat peccatori ſe ſemper accuſanti, & non emendanti: verùm præcipitur, ut honor ſtolæ primæ illis citò detur, quorum pœnitentia ex fructibus meritò ſperatur futura conſtans ac perſeverans. Illas enim fluxas, & ſimulac natæ ſunt, plerúmque evaneſcentes converſiones ac pœnitentias ſancti Patres ſibi perſuadebant, vix unquam fuiſſe ſinceras. *Ubi*, inquit Tertullianus, *emendatio nulla*, *pœnitentia neceſſariò vana*. Et cur putas hoc aſſerat? *Quia*, inquit, *caret fructu ſuo*, *cui eam Deus ſevit*, *id eſt*, *hominis ſaluti*. Quid igitur
ſen-

ſentit de illis, qui revertuntur ad ea, de quibus pœnituerant; ſentitne illos ſaltem verè doluiſſe de peccatis, dum ea confitebantur? [c] *Iſta*, inquit, *ingenia de ſemine hypocritarum pullulare conſueverunt, quorum individua cum diabolo amicitia eſt, quorum pœnitentia nunquam fidelis.* Adverte ſenſum doctiſſimi & antiquiſſimi ſcriptoris, intrepidè aſſerentis, eorum, qui poſt ſuſceptum ſacramentum pœnitentiæ ſeſe iterùm criminibus dedunt, individuam eſſe cum diabolo amicitiam, eorumque pœnitentiam nunquam fuiſſe fidelem. Quàm diſpar hujus viri æſtimatio ab opinione Caſuiſtarum ſibi perſuadentium, crimina & veram pœnitentiam perindè ſe invicem indeſinenter expellere, ſicuti videmus diem ac noctem perpetuâ viciſſitudine ſe mutuo excludere? Hæc dicta ſint, ut prodigum vindicemus ab injuriâ, quâ ab iſtis afficitur, qui ab illo ſumunt audaciam ſacramenta temerandi.

§. 4. Ut in prodigo nihil eſt, quod patrocinetur illis pœnitentibus, qui ſemper in confeſſione ſe ipſos accuſant, & poſt confeſſionem antiquum obtinentes; & ad genium redeuntes, toties volunt abſolvi, quoties poſt nova crimina ad pœnitentiæ tribunal revertuntur; ità nihil eſt, quod ipſis faveat in Publicano, qui ſtans longè ab altari, nec oculos in cœlum audens levare præ deteſtatione criminum percutiebat pectus ſuum, & orando, [d] *Deus propitius eſto mihi peccatori*, promptâ juſtitiâ donabatur; ita ut præ ſuperbo Phariſæo ſuas jactante virtutes, juſtificatus in domum ſuam deſcenderet. Etenim docemur iſtâ Parabolâ, plùs apud Deum valere humilitatem peccata deteſtantem, quàm virtutes in ſe ipſis gloriantes. Quis autem eorum, qui aſſerunt utile eſſe, ut abſolutionem ſatisfactio præcedat, hoc negat? imò quis eorum iſtud non conſtantiſſimè credit? Sed, inquies, docemur etiam iſtâ parabolâ, peccatorem nonnunquam breviſſimo intervallo juſtitiam adipiſci: Sed quis, quæſo, illorum, qui feſtinatis & immaturis abſolutionibus adverſantur, iſti reſiſtit veritati? Quis illorum eam non publicè profitetur? Quis illorum neſcit

c *L. de pœnit. c. 5.* d *Luc. 18. 13.*

exemplum latronis breviſſimo tempore poſt vitam in latrociniis tranſactam, Deo reconciliati? Quis illorum neſcit quot millia Petrus uno ſermone convertit ad Dominum? Quis neſcit ipſum Davidem & Petrum à juſtitiâ deciduos, citò divinæ gratiæ reſtitutos fuiſſe, illum quaſi momento, iſtum tridui ſpatio? Non igitur ea veritas in dubium vocatur: ſed negatur, iis, qui poſtquam baptiſmum violarunt, & ſæpiùs ſua crimina confeſſi, velut canes ad vomitum, & ſues ad volutabrum ſemper redierunt, prudenter fidem adhiberi, dum iterum confitentes, ſe iterum dicent ex animo pœnitere, niſi iſtam ſuam pœnitentiam ex fructibus, hoc eſt, ex vitæ emendatione aliquot dies continuatâ valeant probare. Negatur, niſi mors inſtans, aliave non abſimilis neceſſitas aliud poſtulet, abſolutionem iis licitè concedi, qui creduntur ad vomitum citò redituri. Quid autem eſt in Publicano, quod huic ſit doctrinæ oppoſitum? Noſciturne Publicanus aliquot annis vixiſſe in viciſſitudine criminum atque juſtitiæ? Noſciturne ſæpè ex templo Dei in ſpeluncam infernalium latronum, & iterum ex ſpeluncâ latronum in Dei templum repentè fuiſſe mutatus? Quid ergo Publicanum nobis objiciunt, niſi quia aut præ cæcitate, quæ neſcit, quid dicat, aut præ ſuperbiâ, quæ non vult victa videri, ad ejuſmodi coguntur argumenta recurrere? Undè etiam juſtiſſimo Dei judicio plerumque contingit, ut cæci vel ſuperbi iſti veritatis inimici indè turpiùs vincantur, undè auxilium ſperabant. Patet hoc in Publicano fruſtrà ſaluberrimæ animas medendi diſciplinæ objecto. Nam ejus exemplo diſcimus, juſtitiam peccatoribus citiùs reddi, ſi humilitate magiſtrâ non audent oculos in cœlum levare, non propiùs ad tremenda altaria accedere, contenti pectus præ peccati deteſtatione tundere, & ex amore ſitique juſtitiæ, ejus fonti dicere, *Propitius eſto mihi peccatori*, ut ex illo juſtitiam haurire ac bibere, eâque hauſtâ ac bibitâ libidinoſam rerum tranſeuntium ſitim valeant extinguere. Non patrocinatur itaque Publicanus ſuperbis illis peccatoribus, falſiſque pœnitentibus, qui ſimul atque ſua ſacerdoti peccata retulerunt, nolunt ſtare à longè, ſed pro-

pe; nec ſolùm ſtare propè, ſed ſacris menſis ſtatim accumbere; non ſolùm impudicos oculos levaturi ad Virginis filium, cujus corpori & ſanguini toties fuerunt injurii, ſed etiam os & guttur criminum ſorbitione & vomitu fœtens ac ſordidum aperturi, ut illum edant atque deglutiant, non cogitantes ſcriptum eſſe, [e] *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini.*

§. 5. Quod attinet Paralytici curationem, ex eâ diſcimus animarum medico incumbere, ut ante omnia de æternâ pœnitentium ſalute ſatagat, ſtudendo citiùs eos à peccatorum morbidis deſideriis, quàm à corporis moleſtiis ac morbis liberare; ſicut Chriſtus priùs dedit huic paralytico mentis, quàm corporis ſanitatem. Dedit autem illi mentis ſanitatem, inſpirando ei æternæ juſtitiæ ac veritatis amorem, antequam ullis eam precibus imploraret, antequam vel peccatum confiteretur, vel deteſtaretur, vel etiam pœnitentis animi ſigna ederet. Sed quid hinc præſumptuoſi & temerarii animarum medici conficient? Sene etiam eâ gaudere poteſtate, ut fidem in Redemptorem, odium peccati, & amorem æternæ juſtitiæ, & remiſſionem peccatorum, non confitenti, ſe ipſum non accuſanti, non roganti, non cogitanti niſi de ſalute corporis, ſimul cum abſolutione animabus inſpirare poſſint? Sed quî iſtam ſibi facultatem arrogent, cùm dogma ſit catholicum, non priùs pronuntiandam eſſe abſolutionis ſententiam, quàm accuſatio, oratio, ac pœnitentia eam præceſſerint? Solius itaque Chriſti eſt, uno & eodem momento à peccatore voluntatem peccandi, inſpirato ei amore æternæ juſtitiæ, excludere, & ſimul remiſſionem peccatori elargiri: verùm ſacerdotibus iſtam non conceſſit poteſtatem, ſed voluit, ut ipſi, antequam reo abſolutionem impendunt, attendant, num animus ejus per odium peccati & propoſitum in poſterum non peccandi ad eam ſit paratus. Deinde Chriſtus, ut oſtenderet ſe non ſolùm hominem, ſed etiam Deum eſſe, qui in momento juſtitiam infundere,

 &ſi-

e 1 *Cor.* 11. 29.

& ſimul peccata remittere poſſet, dixit paralytico: [f] *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et cùm murmurarent Phariſæi, cogitantes in cordibus ſuis: [g] *Quid hic ſic loquitur? Blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Tum Chriſtus, ut oſtenderet ſe Deum eſſe, qui peccata dimittit, ait Phariſæis: [h] *Quid eſt facilius dicere paralytico: dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula? Ut autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terrâ dimittendi peccata, (ait paralytico) Tibi dico, ſurge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* Eſt ne autem opus, ut Chriſtus cognoſcatur Deus & homo, ut rei criminum à ſacerdotibus in momento juſtitiam & remiſſionem peccatorum accipiant, tametſi conſcientiam ſuam non priùs examinaverint, nec ſe ſuis de peccatis rectè accuſaverint, & tametſi ad impetrandam cordis converſionem nullas ad Dominum preces fuderint, nihilque plùs fecerint ad juſtitiam & remiſſionem peccatorum conſequendam, quàm agnoſcitur feciſſe Evangelii paralyticus? Profectò iſtiuſmodi tam parùm deceret ſacerdotes, quàm parùm deceret, ut omnes haberent perpetuam poteſtatem in momento pro nutu ſuo paralyticos cæteroſque omnes ſanandi ægrotos. Sicuti enim iſtiuſmodi in corpora poteſtas faceret, ut in Chriſtum pro temporalibus bonis omnes etiam perditiſſimi crederent, atque ità periret fidei fortitudo, quâ temporalia bona ſpernuntur, & tranſeuntia mala pro inviſibilibus & æternis, quæ ſperantur, bonis tolerantur; ità iſta poteſtas in momento convertendi corda ab amore hujus ſæculi ad tantum Dei amorem, quantus juſtitiæ & remiſſioni peccatorum percipiendæ ſufficit, maximum peccandi tribueret incentivum. *Quod enim facilè ſanatur, non multùm cavetur*, ſicut ait Auguſtinus in pſal. 6. qui alibi quoque ait. [i] *Si enim citò rediret homo ad priſtinam beatitudinem, ludus ei eſſet peccando cadere in mortem. Paulatim ergo recipitur, quod ſemel amiſſum eſt.* Hæc ſolita ratio tum

f *Matth.* 9.2. g *Marc.* 2.7. h *Ibid. v.* 9. *&c.* i *Serm.* 34. *de diverſis c.* 3.

tum animas tum corpora medendi; ut fruſtrà provocetur ad exemplum paralytici, qui in momento, & animæ & corporis à Chriſto accepit ſanitatem. Taceo paralyticum, cùm à Chriſto juſtificatus remiſſionem peccatorum acciperet, vitam antè non tranſegiſſe in perpetuâ viciſſitudine criminum ac juſtitiæ, mortiſque ac vitæ, ut ineptiſſima ſit illorum argumentatio, qui ex promptâ & inſperatâ peccatorum remiſſione, quâ paralyticus à Chriſto donatus fuit, audent concludere, ſine morâ eos omnes abſolvendos eſſe, quorum vita non eſt niſi circuitus quidam à confeſſionibus ad crimina, & iterum à criminibus ad confeſſiones.

CAPUT XI.

1. *Contra doctrinam, quæ ait, in curandis animabus morâ opus eſſe, nec citò relabentibus dandam eſſe abſolutionem, ineptiſſimè opponitur illud Chriſti,* Venite ad me omnes, qui laboratis, *&c. Nam libertas à laboribus & oneribus, à Chriſto iſtis oblata verbis, conſiſtit in defæcato Dei amore, non verò in ſacris iſtius amoris ſignis.* 2. *Charitatem Chriſti erga reos & miſeros laudatis verbis expreſſam illi imitantur, qui reos medicis pœnitentiæ vinculis ligant; è contra illi, qui abſolutionem citò impendunt, ſimiles ſunt duro ſacerdoti ac immiſericordi levitæ, qui vulnerati fracturas alligare dedignabantur.* 3. *Ex reſponſo Chriſti ad Petrum, dicentis ut ſeptuagies ſepties fratri dimitteret, ineptè infertur, ſacerdotem impœnitentibus peccata debere remittere.* 4. *Illud Chriſti, Eſtote miſericordes, ſicuti Pater veſter cæleſtis miſericors eſt, non probat Deum omnibus*

lapſis pœnitentiam tribuere. 5. Docetur miſericordiam, quâ Deus peccatores convertit, eſſe alterius rationis ab illâ, quâ pluit ſuper juſtos & injuſtos.

§. 1. PRæter exempla Peccatricis, Prodigi, & paralytici, objiciunt quoque Patroni abſolutionum feſtinatarum verba Chriſti dicentis: [k] *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Sed miror hominum ſtuporem, qui hæc verba objicere audent. Quis enim neget, omnibus, qui ſub inquietarum cupidinum & ærumnarum pondere laborant, utiliſſimum eſſe, ut veniant ad Chriſtum ab ipſo exonerandi atque reficiendi, tollendo jugum ejus? unde ait: [l] *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris.* Tollentes ergo jugum Chriſti, hoc eſt, ſuis cupiditatibus renuntiantes, (nam jugum Chriſti non in onerando, ſed in exonerando conſiſtit) atque ab eo humilitatem & manſuetudinem diſcentes, inveniunt requiem animabus ſuis. Nam, uti latiùs explicat Auguſtinus epiſt. 45. „Ibi labor eſt, ubi multa quæruntur & diliguntur, quibus adipiſcendis atque retinendis voluntas non eſt ſatìs; quia conſequentem non habet facultatem. Juſta verò vita, cùm volumus, adeſt, quia ipſam plenè velle juſtitia eſt. Nec aliquid plùs perficiendum juſtitia requirit, quàm perfectam voluntatem. Undè meritò ſubjungit idem ſanctus. „Vide ſi labor eſt, ubi velle ſatìs eſt. Undè divinitùs dictum eſt, *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Ubi pax, ibi requies; ubi requies, ibi finis appetendi, & nulla cauſa laborandi. Exoneratur itaque à laboribus anima, dum ad Chriſtum fide, ſpe & charitate accedens multa & diverſa deſinit amare, quibus adipiſcendis aut retinendis conſequentem non habet facultatem, ut uni incommutabili bono, quod adipiſcitur, & retinet, dum illud vult adipiſci & retinere, continuò adhæreſcat. Libertas itaque à laboribus, quibus opprimun-

k *Matth.* 11. 28. l *Matth.* 11. 29.

muntur, qui terrena concupiſcunt, non conſiſtit in ſacris ſignis, ſed in caſto Dei amore, & in converſatione juxta Evangelii leges inſtitutâ, quæ ex iſto amore, veluti ex radice ſuâ fructus, progeneratur. Innumeri enim homines ſacramenta pœnitentiæ & corporis Chriſti ſæpiſſimè accipiunt, & tamen ſub dominatu laborioſiſſimarum concupiſcentiarum vivere perſeverant. Hi ergo venientes ad ſacramenta Chriſti, libertatem, & ab onerantibus laborioſiſque cupiditatibus requiem animabus ſuis minimè inveniunt; nec eam invenient unquam, niſi concupiſcentiis ſuis bellum parent indicere. Quod tunc rectè præſtabunt, quando crimina ſua confitendo, ex ordinatione pii ſacerdotis pœnitentiam agere parati erunt, contendentes jejuniis gulam, eleëmoſynis avaritiam, humilitatis operibus ſuperbiam, dilectione inimicorum & erga omnes manſuetudine iram, orationibus libidines univerſas expugnare. E contrà, ſi iſto ſine ſtudio ſacramenta non deſinant frequentare, illorum tantummodò corticem, velut canes os, arrodent, neque ad illorum medullam, ut eâ reficiantur, unquam pertingent. Iſta igitur Chriſti verba, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, minimè favent illis mollibus ac ſuperbis confitentibus, qui Chriſti jugum ſuper ſe tollere nolunt, dedignantes ab eo diſcere, non mundum fabricare, vel in eo mirabilia facere, id enim illorum ſuperbia libenter diſceret, ſed mites ac humiles eſſe.

§. 2. Imò hæc Chriſti verba omninò favent eis, qui monent pœnitentes poſt abſolutiones ſæpè fruſtrà perceptas, antequam abſolutione & communione donentur, ſtare à longè, pectus tundere, libidines expugnare, jugum Chriſti tollere ac levi ejus oneri humeros ſubdere. Nam qui hæc monent, illi erga peccatores ſub concupiſcentiarum onere laborantes exhibent eam Chriſti charitatem, quâ illos, ut ad ſe veniant, blandiſſimè invitat, & quâ eos à laboribus liberare, laſſoſque pulchritudine pacis & requie opulenta reficere deſiderat. Hi etenim dum peccatores ſalubribus pœnitentiæ vinculis alligant, eos ligando à laboribus

ſolvunt, & à vulneribus reficiunt; vinciunt enim eos more medicorum, qui dum vulnera & fracturas ligant, ea ſanant atque redintegrant; neque enim ligant tanquam lictores, ut libertatem eripiant; nec dolorem inferunt veluti tortores, ut crudeliùs crucient, ſed tanquam pius Samaritanus, qui alligavit vulneratum, non ut libertatem ei eriperet, ſed ut liberum membrorum uſum redderet; nec vinum ejus vulneribus infudit, doloribus delectatus, ſed ut tabem excluderet, & pus expurgaret.

E contrà, qui abſolutionem & communionem, antequam ægros & vulneratos pœnitentialibus medicisque vinculis alligaverint, ſtatim impertiuntur, illi tanquam ſocors Levita & immiſericors ſacerdos ægrum prætereunt, quamvis illi abſolutionem & communionem corporis Domini, elargiantur, quas curatis ſanatiſque duntaxat dari oportet, & quas ſancti Patres illis, qui illecebroſis concupiſcentiarum catenis vincti libidinoſis adhuc febribus æſtuant, docent nullatenùs prodeſſe. Quid enim aliud eſt ægrum & vulneratum præterire, quàm ejus vulnera non curare? Et quid eſt aliud vulnera non curare, quàm ea non alligare? Non alligat autem vulneratum, nec curat ægrotum, qui eum non uti ægrotum & vulneratum, ſed perinde tractat, acſi ejus vulnera morbiquè ſanati forent. Quare etiam iſtiuſmodi ſacerdotibus meritò dici poteſt: [m] *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiviſtis.* Tantùm abeſt ut æmularentur Chriſti charitatem, quâ peccatores invitabat, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

§. 3. Qui indiſcretis citiſque abſolutionibus favent, frequentiſſimè ingerunt illud, quod interroganti Petro, utrùm ſepties peccanti in ſe fratri veniam daret, reſpondit Chriſtus: [n] *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Ex quo inferunt oportere ſemper promptum eſſe ſacerdotem, ut peccantibus in ſacramento pœnitentiæ pec-

m *Ezech.* 34. 4. n *Matth.* 18. 22.

peccata relaxet. Verùm ineptum hoc argumentum eſt: Etenim iſtis verbis Chriſtus non inſtruit Petrum, quâ ratione in ſacramento pœnitentiæ ſe erga reos gerat, ſed quâ animi affectione ipſe erga illos, à quibus offenditur, debet eſſe compoſitus. Docet autem ipſum Chriſtus, ne ſit vindictæ cupidus, ſed ſemper promptus ad ignoſcendum. Hæc animi affectio neceſſaria Chriſtianis, quibus dictum, [o] *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Undè Tertullianus has leges conſiderans, præclarè dixit: *Chriſtianus nullius eſt hoſtis*; hoc eſt verè Chriſtianus homo non poteſt cuipiam malè velle, non à quoquam læſus expoſcere vindictam, eo nomine futurus indignus ſimul ac livori indulſerit, ſimulac malevolentiæ conceſſerit. Nonné autem inſulsè hinc quis concluſerit; ergo ſacerdos debet hoſtibus Dei & impœnitentibus abſolutionem impertiri, ſicut Chriſtianus debet omnibus etiam inimicis ſuis benevolentiam & precum ſuarum beneficium impendere? Aliæ, aliæ leges poſitæ, ut Chriſtianus ſciat, quomodò erga proximum ſuum, etiam inimicum, oporteat ipſum eſſe affectum: aliæ leges præſcriptæ ſacris judicibus, ut ſciant, quomodò ſe erga illos gerere debeant, qui in Deum graviter deliquerunt. Mandatum ſacris legibus, ut Chriſtianus omnes diligat, quibus, dum in hâc vitâ ſunt, rationis ſocietate proximus eſt. Mandatum ſacris legibus, ut ſacer Judex non alios ſolvat, quàm quos judicabit ad abſolutionis gratiam eſſe paratos, quàm quos judicabit eſſe pœnitentes, quàm quos judicabit à Chriſto eſſe vivificatos & ad Deum converſos; aliter ſi ſolvat, non reverà reos ſolvet; ſed reverà ſe ipſum & reos novo crimine involvet. Quid enim proderit reo, à Chriſti miniſtro exteriùs abſolvi, ſi à Chriſto interiùs non ſolvatur, ſi coram oculis Chriſti illecebroſis criminum catenis vinciatur, ſi à Chriſto ad æternas pœnas condemnetur? Ecce dat reo abſolutionem miniſter Judex. Quid ei hoc prodeſt, ſi ſummus Judex non aſſentiat? Summi Judicis abſolutio valet, etiamſi miniſter Judex nolue-

o *Matth*. 5. 44.

luerit: miniſtri Judicis abſolutio nihil valet, ſi ille noluerit. Cùm ergo Deus non donet peccata niſi converſis, nec aliis ea ſacerdos, quàm converſis donare poteſt: [p] *Non enim eſt ſervus major Domino ſuo.*

§. 4. Sed dicet quiſpiam: Si homo erga hominem adeò debeat eſſe miſericors, adeo indulgens, ut nunquam privatam ab eo vindictam liceat exigere, ſed ſemper ad ignoſcendum oporteat eſſe paratum, ſemper illud Salvatoris, [q] *Pater, dimitte illis*, in corde gerere, ſemper orare cum Stephano, [r] *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum;* ergo etiam Deus, cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, & ad cujus miſericordiam æmulandam nos ſcriptura exhortatur, ſemper paratus eſt hominibus ignoſcere: id enim ni verum eſſet, humana miſericordia divinæ præcelleret, nec rectè præciperetur: [s] *Eſtote ergò miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.*

Huic argumento ut fiat ſatìs, reſpondetur, primò quidem, inter divinam miſericordiam & humanam hoc intereſſe, quòd Deus non donet peccata, niſi converſis; non converſis ea non donet. Deus dat converſis veniam, quia „[t] juſtum eſt apud Deum,(loquor cum Auguſtino) ut ignoſcatur talibus quæcumque anteà commiſerunt, ne, quod „injuſtiſſimum eſt, cum iis, qui tales non ſunt confundantur atque miſceantur. Quapropter & quia talibus non „ignoſcitur, juſtitia Dei eſt. Si enim non converſis, perindè ut converſis, ignoſceretur, iterùm converſi & non converſi confunderentur & miſcerentur; juſtaque redderetur illorum querela, qui ità apud Malachiam loquuntur: [u] *Vanus eſt, qui ſervit Deo: & quod emolumentum, quia cuſtodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus triſtes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: ſiquidem ædificati ſunt facientes impietatem, & tentaverunt Deum, & ſalvi facti ſunt.*

Homines autem non converſis maximâ cum laude, quan-

p *Joan.* 13. 16. q *Luc.* 23. 34. r *Act.* 7. 59. s *Luc.* 6. 36. t *In inchoatâ expoſitione epiſt. ad Romanos.* u *Malach.* 3. 14.

quantùm in ipſis eſt, peccata donare poſſunt; ſicuti Stephanus non converſis donavit peccata, quando pro eis rogavit, dicens: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum:* Neque hinc ulla oritur confuſio inter bonos & malos; tum quia mali diliguntur à bonis, non ut mali remaneant, ſed ut ex malis per Dei gratiam boni fiant; tum quia non humana, ſed divina voluntas in bonis felicitatem, quâ gaudent, & quâ à malis diſtinguuntur, operatur. Poſſunt ergo non converſis boni ignoſcere, ſine bonorum cum malis confuſione. Deindè hominibus præceptum, ut omnes diligant, & pro omnibus orent; quia ipſis ignotum, quorum Deus in æternum vult miſereri. Undè ſanctus Thomas illud Pauli, Deus [x] *vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ſic exponit, ut dicatur Deus velle omnium ſalutem, „ [y] quia ſcilicet facit ſuos ſan„ctos velle, quòd omnes ſalvi fiant. Hoc velle enim de„bet eſſe, inquit ſanctus Doctor, „ in ſanctis; quia ne„ſciunt, qui ſunt prædeſtinati, & qui non.

Secundò inter miſericordiam, quâ Deus miſeretur peccatorum, ſive inimicorum ſuorum, eiſque benè vult, & inter miſericordiam, quâ homines ſuis inimicis benè volunt, hæc differentia intercedit; quòd Deus peccatorum miſerendo, eos ad ſe convertat, eis cor pœnitens tribuat, & rebelles eorum voluntates ad ſe propitius compellat: homo verò, dum inimicorum ſuorum miſeretur, eorum cor non immutet, ſed ſolùm precetur, ut Deus illos convertere dignetur. Iſtam autem miſericordiam, quâ noſtra ad ſe Deus corda convertit, non omnibus tribuit, juxta illud ejus oraculum, [z] *Miſerebor cujus miſereor; & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor... & cujus vult miſeretur & quem vult indurat.* „ [a] Sed miſeretur utique ſecun„dùm gratiam, quæ gratìs datur, non meritis redditur, „ inquit Auguſtinus. De maſsâ quippe damnatâ facere vas „ in honorem, manifeſta eſt gratia; facere autem in con„tumeliam vas, juſtum judicium eſt. Neque enim quo„mo-

x 1 *Tim* 2. 4. y *In cap.* 2. *epiſt.* 1. *ad Timoth. lect.* 1. z *Rom.* 9. 12. a *Auguſt. lib. ad Simplic.*

„modo dictum eſt, [b] *Non volentis, neque currentis; ſed*
„*miſerentis eſt Dei:* ità etiam dictum eſt, non volentis,
„neque currentis, ſed obdurantis eſt Dei; undè datur in-
„telligi, quod infra utrumque poſuit: [c] *Ergo cujus vult*
„*miſeretur, & quem vult obdurat*, ità ſententiæ priori
„poſſe congruere, ut obduratio Dei ſit nolle miſereri, ut
„non ab illo irrogetur aliquid, quo ſit homo deterior;
„ſed tantùm quo melior ſit non irrogetur. Neminem
itaque Deus peccare cogit, cùm tantummodò, ut inquit
Auguſtinus, „quibuſdam peccantibus miſericordiam ju-
„ſtificationis ſuæ non largiatur, & ob hoc dicatur obdu-
„rare peccantes quoſdam, quia non eorum miſeretur, non
„quia impellit, ut peccent. Eorum autem non miſere-
„tur, quibus miſericordiam non eſſe præbendam æquita-
„te occultiſſimâ, & ab humanis ſenſibus remotiſſimâ ju-
„dicat. Et ſi hoc movet, quòd voluntati ejus nullus re-
„ſiſtit; quia cui vult ſubvenit, & quem vult deſerit,
„cùm & ille cui ſubvenit, & ille quem deſerit, ex eâdem
„Maſsâ ſint peccatorum, & quamvis debeat uterque ſup-
„plicium, ab uno tamen exigatur, alteri donetur; ſi er-
„go hoc movet: [d] *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?*
Id eſt, ò homo, tu quis es, qui iſtiuſmodi audacibus & inverecundis interrogationibus Deum audeas interpellare, ſuique facti ab eo rationem exigere?

Porrò ſicuti ex his Pauli verbis, & Auguſtini eum interpretantis, manifeſtum eſt, Deum non omnibus peccatoribus iſtam miſericordiam impertiri, quâ in juſtos convertantur; ità ex diſciplinâ priſcæ Eccleſiæ, quæ nonniſi poſt longas ſatisfactiones ante abſolutionem adimplendas, peccatores abſolvi jubebat, clarè colligitur priſcos Patres cenſuiſſe, quòd Deus miſericordiam, quâ peccatores convertuntur, ſenſim infundere ſolet: ſicuti etiam ex diſciplinâ antiquæ Eccleſiæ, quæ ſacramentum pœnitentiæ flagitioſis & facinoroſis nonniſi ſemel judicabat concedendum eſſe, colligitur, gratiam veræ converſionis non frequenter à Deo concedi illis, qui non ſolùm baptiſmum
ſuum

b *Rom.* 9. 16. c *Ibid.* d *Rom.* 9. 20.

ſuum violarunt, ſed etiam ipſum pœnitentiæ ſacramentum per plures annos, nunc convertendo, nunc iterum ad vomitum revertendo fœdiſſimè contaminarunt, irritumque fecerunt. Si enim illa adeò frequenter, quemadmodum multi arbitrantur, iſtis concederetur, qui ſuam fidem in ſacramentorum uſu Deo ſæpè devoventes, eam continuò fallunt, nequaquam antiqua Eccleſia per tot ſæcula iſtum morem ſervaſſet, ut ſacramentum pœnitentiæ non niſi ſemel lapſis adminiſtraret; ſicuti eam non niſi ſemel iſtud ſacramentum lapſis conceſſiſſe certiſſimum eſt ex Tertulliano, qui ait: *Collocavit Deus in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus ſatisfaciat, ſed jam ſemel, quia jam ſecundò, ſed ampliùs nunquam, quia proximè fruſtrà.* Pœnitentiam ſecundam vocat hic eam, quæ pro mortalibus agitur violato baptiſmo; primam autem vocat eam, quam ante baptiſma agi neceſſe eſt. Ait autem hanc non niſi ſemel agi, quia ſecundò fruſtrà, id eſt, quia & baptiſmus fluminis & baptiſmus lacrymarum relapſibus violati ſunt.

Poſt Tertullianum pariter teſtatur Ambroſius, juxta diſciplinam ſuo ſæculo receptam ſacramentum pœnitentiæ non niſi ſemel ſuſcipi. „[f]Meritò, inquit, reprehenduntur, qui ſæpiùs agendam pœnitentiam putant; quia luxuriantur in Chriſto: Nam ſi verè agerent pœnitentiam, iterandam poſteà non putarent: quia ſicut unum baptiſma, ità una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati, ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.

Facillimum foret hoc pluribus argumentis aſtruere, ſed actum agerem, cùm alii eo in argumento cum magnâ eruditionis laude verſati ſint.

Cùm itaque illi, qui vitam ſuam in criminibus confitendis & committendis tranſigunt, raro verâ pœnitentiâ donentur, ſacerdotum eſt in pœnitentiæ tribunalibus explorare, quibusnam Deus pœnitendi gratiam impertiatur, ut illos ſolvant, quibus eam ex vitæ emendatione & dignis pœ-

f *Ambroſ. l. 2. de pœnit. c.* 10.

pœnitentiæ fructibus conceſſam agnoſcunt, eos verò pœnis, ne in pejus ruant, cohibeant, in quibus advertunt dolorem de peccatis præteritis & propoſitum non peccandi de cætero aut omninò non eſſe, aut non tam magna eſſe, ut abſolutioni idonea exiſtant.

Petes, in quo itaque conſiſtat magna illa Dei miſericordia, quæ nobis imitanda proponitur, ſi pœnitendi gratiam non omnibus ſuis inimicis elargiatur.

Magna Dei miſericordia in peccatores, quòd, cùm omnes damnare poſſit, aliquos ſalvet, & quidem ſalvet per incarnationem & mortem Filii ſui: Magna Dei miſericordia, quòd electis ſuis condonet innumerabiles offenſiones & negligentias, quibus ejus juſtitiam quotidie offendunt, quamvis ſe ipſos ab iſtis contineant peccatis, quæ uno ictu animam occidunt. Hæc magna in electos miſericordia, quâ Creator creaturam ſuam averſam revocat, converſam recipit, receptam perficit, perfectam coronat, illuſtre nobis, ut inimicis noſtris bene velimus, argumentum præbet. *Ob* hanc magnam miſericordiam amandus & colendus erat Deus, etiam tunc, quando [g] *dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.* Ob hanc magnam miſericordiam laudandus Deus, quando per ejus juſtitiam [h] *regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitias.* Ob hanc miſericordiam invocandus Deus, etiam tunc, quando [i] *revelatur ira* ejus *de cælo, ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitiâ detinent.* Demùm ob hanc miſericordiam celebrandus Deus, tametſi eos, qui Spiritui gratiæ contumeliam ſæpiùs fecerunt, à ſuis ſceleribus non convertat, nec eis cor pœnitens tribuat; ſed tradat, ut loquitur Apoſtolus, [k] *in deſideria cordis eorum.*

§. 5. His accedit, quòd, dum Deus nobis præcipit, ut tam inimicos, quàm amicos diligamus, & dum ſuo, ut omnibus bene velimus, nos exemplo provocat, non iſtam indicet miſericordiam, quâ electos à reprobis diſcernit; ſed eam, quâ ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & quâ pluit ſuper juſtos & injuſtos. [l] *Orate*, inquit Salvator no-

g *Act.* 14. 15. h *Eccli.* 10. 8. i *Rom.* 1. 18. k *Rom.* 1. 24. l *Matt.* 5. 45.

noſter, *pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* Nihil ergò eſt, nec in verbis Chriſti ad Petrum, *Non dico tibi uſque ſepties, ſed ſeptuagies ſepties*; nec in iſtis, [m] *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt*; quo probari poſſit, Deum frequenter relapſos convertere, aut ſacerdotem citis eos abſolutionibus ſolvere debere. Nam ſi conſiderentur, quæ apud Lucam iſta verba præcedunt, patebit ipſum ibi de eâ loqui miſericordiâ, quâ Deus benignus eſt *ſuper ingratos & malos,* uti habetur Lucæ 6. 35. Sicuti autem iſta miſericordia ſive benignitas generalis eſt, & ad omnes ſpectans; ità illa, quâ peccatores à peccatis ad juſtitiam convertit, non eſt generalis, nec omnibus data juxta illam Auguſtini regulam: „ [n] Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari. Undè hanc iſto in loco, ut eam imitemur, non commendat; verùm illam, quæ bonis maliſque communis eſt, & quæ magìs dici poteſt munus Dei Creatoris, quàm beneficium Chriſti Redemptoris.

CAPUT XII.

1. *Illi, qui aſſerunt in priſcâ Eccleſiâ ſatisfactionem priorem fuiſſe non ſacramentali, ſed ceremoniali abſolutione, refelluntur, primò quidem ex eo, quòd Patres feſtinatas abſolutiones tanquam animabus noxias condemnarunt.* 2. *Ex eo, quòd opera ſatisfactionis æſtimabant neceſſaria ad culpas delendas, & veniam conſequendam.* 3. *Quia credebant, ea opera abſolutionem ſacramentalem præcedere debere, ut ſacerdos ex illis dignoſceret, quos tanquam divinæ voluntatis interpres abſolvere poſſet.* 4. *Quia incredibile eſt, Patres tantum apparatum ad cere-*

m *Luc. 6. 36.* n *Epiſt. 107. ad vitalem. regulâ. 4.*

monialem abſolutionem poſtulaſſe, & tam rigidos fuiſſe in concedendâ ceremoniali, eoſque, quos filios Dei eſſe credebant, ab ipſis tractatos fuiſſe perinde ac ſi ethnicis ac publicanis pejores fuiſſent. 5. *Quia non eſt credibile, ſanctos Patres, inſtar Phariſæorum, in rebus minimis diligentes, & in maximis fuiſſe negligentiſſimos, eoſque nec debitæ erga Deum reverentiæ, nec erga proximum dilectioni feciſſe ſatis.*

§. 1. CUm illi, qui immaturis abſolutionibus, veluti infideli cicatrice, vulnera animarum potiùs tegunt, quàm digeſtâ egeſtâque libidinum purulentiâ ſanant, negare non poſſint in priſcâ Eccleſiâ fuiſſe moris, ut ſatisfactio abſolutionem præcederet; & cùm viderent, ſuam in relaxandis medicis peccatorum vinculis feſtinationem in invidiam vocari, tanquam huic mori à primis Eccleſiæ Doctoribus & ſanctis Patribus inſtituto adverſa foret, hinc finxerunt ſibi, apud priſcos Patres uſum fuiſſe duplicis abſolutionis; unius, quæ confeſſionem *ſine morâ* ſubſequeretur; alterius, quæ non niſi poſt longum temporis intervallum, & laborioſa ſatisfactionum opera pœnitentibus concederetur. Priorem contendunt fuiſſe ſecretam & ſacramentalem, quæ vim habebat pœnitentes Deo reconciliandi; alteram publicam & merè ceremonialem, quæ jam olim Deo reconciliatos, communioni fidelium reſtituebat; illam ſatisfactionis opera præceſſiſſe, iſtam ea fuiſſe ſubſecutam.

Hanc diſtinctionem cùm ſibi objeciſſet graviſſimus Theologus Guilielmus Eſtius, auctores ejus ne quidem dignos, qui audiantur, exiſtimat. [a] *Nec audiendi ſunt*, inquit, *qui ex ſuâ potiùs imaginatione, quàm ex ullâ antiquitate aſſerunt, etiam olim Eccleſiam ſolere omnes pœnitentes abſolvere, antequam ſatisfactionem ſubirent; ſed abſolutione ſecretâ: Poſteà verò quàm pœnitentiam injunctam ex-*

a *In 4. Diſtinct. 15. §. 15.*

exſolviſſent, impendi eis ſolere abſolutionem publicam, quâ videlicet publicè ad communionem reciperentur. Hanc enim diſtinctionem nuſquam eſt reperire. Hæc meritò aſſerit doctiſſimus ille Theologus; quemadmodum manifeſtum ei fiet, qui attendet, quæ hoc capite proferemus, ut futilitatem iſtius diſtinctionis omnium oculis exponamus.

Quæ capite primo & ſecundo hujus libri ex Cypriano, ex epiſtolis Confeſſorum & Cleri Romani, ex B. Ambroſio & Chryſoſtomo teſtimonia citavimus, ea oſtendunt ab iſtis ſanctis feſtinatas citaſque abſolutiones, quas diuturna pœnitentia, ſive ſatisfactio non præceſſiſſet, ſugillatas damnataſque fuiſſe, quòd eas æſtimarent non curandis animarum vulneribus idoneas, ſed maximè noxias; nec tollere, ſed augere peccata. Hâc autem perſuaſione imbuti erant Patres, quia credebant animarum vulnera perinde ac corporum, non momento, ſed morâ plerumque ſanari; libidines peccandi rarò brevi luctâ, ſed ut plurimùm per laborioſa, & diu continuata pœnitentiæ opera, paulatim expugnari; hominem impium ad Deum gradatim converti; malos affectus ſenſim exui; vix aliter, quàm poſt diuturnam contra concupiſcentias contentionem, gratiæ regnum in peccatoribus prævalere; demum multis ac longis præparatoriis actionibus opus eſſe, ut ad eum gradum amoris peccator aſcendat, in quo Deum omnibus anteponit. Reprehendunt ergo ſancti Patres verbis per nos allegatis feſtinatas abſolutiones, non tanquam noxias communioni hominum cum hominibus, ſed tanquam vulneribus animarum redintegrandis exitioſas; moroſamque ſatisfactionem exigebant, non ut homo hominum ſpirituali commercio redderetur, ſed ut excluſâ libidinum purulentiâ, & ſuperatâ peccandi libidine, ſpiritualem reciperet ſanitatem. [b] *Oportet*, inquit Cyprianus, *Dei ſacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contractat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum, dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt,*

b *Serm. de lapſis.*

eſt, & ſecandum, & putaminibus amputatis, medelâ fortiore curandum. Vociferetur & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodùm, cùm ſentiet ſanitatem.

Temeritate quorumdam, inquit idem ſanctus Pater, *laxatur incautis communicatio; irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt, graviſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa diſſimulato dolore contegitur.* Unde idem ſanctus deinde ait, eos, qui lapſos citò ſolvunt, hoc eis eſſe, quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, quod navigiis ſæva tempeſtas. Exiſtimabat enim Cyprianus, ſacramentum reconciliationis, & corporis Domini, non dignè præparatis tam exitioſum eſſe, quàm eſt grando frugibus, turbidum ſidus arboribus, armentis peſtilens vaſtitas, & navigiis ſæva tempeſtas. Sicuti enim illa mala bonis rebus pernicioſa ſunt, quia mala ſunt; ità ſublimis ſacramentorum virtus ac ſanctitas malis noxiæ, quia ipſi ad tantam ſanctitatem minimè adaptati & præparati ſunt. Poteſt ne autem fingi, ut is, qui dignus factus eſt, ut cum Deo tanquam filius cum ſuo Patre communicet, adeo impar ſit ad ineundam cum ſuo fratre communionem, ut is, qui eum publicæ communioni reſtitueret, tam ei noxius foret, ac eſt grando frugibus, turbidum ſidus arboribus, tempeſtas navigiis, & armentis peſtilens vaſtitas? Aut fortè adeo deſipiemus, ut exiſtimemus majori opus eſſe ſanctimoniâ, ut homo ſit dignus eſſe & vocari hominum ſocius, quàm ut Dei filius & hæres eſſe mereatur. Nonnullos ergo ſacrorum miniſtros objurgat Cyprianus, non quia homines cum hominibus, ſed quia homines cum Deo ante ſatisfactionis opera, citò nimis reconciliare tentabant, & ideo eorum plagas non ſanabant, ſed, ut minùs ſanabiles fierent, præproperatæ communionis venena eis infundebant, & quia nova per miſe-

ri-

ricordiam falſam vulnera veteribus transgreſſionis vulneribus imprimebant.

§. 2. Si conſideremus, cur antiqui Patres tot laborioſa opera, per longum temporis ſpatium exantlanda, lapſis imponebant, diſcemus, iſtud ab eis factum fuiſſe, non quidem ut homo hominum duntaxat communionem mereretur accipere jam olim civis ſanctorum, Dei domeſticus, amicus & filius; ſed ut per duros pœnitentiæ labores diu ſuſtinendos ignes æternos extingueret, ad veniam à Deo obtinendam paulatim pararetur, ejuſque gratiam citiùs & certiùs impetraret, ut eâ donatus, Dei amicus & filius conſtitueretur.

Si petas à Tertulliano, cur exomologeſis tam acerba & diuturna lapſis imponebatur; non reſpondebit, id à ſanctis Patribus unicè factum fuiſſe, ut homo cum homine dignè communicet, ſed [d] *ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipſa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & afflictione æterna ſupplicia, non dicam, fruſtretur; ſed expungat.*

Si petas ab eodem ſcriptore, quem fructum lapſus ex exomologeſi ſperare debeat; reſpondebit: *Si de exomologeſi retractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet; & pœnæ priùs magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.*

Si iterum ab illo petas, quo fine exercenda ſint laborioſa pœnitentiæ opera; iterum reſpondebit: *Deliqui*, dicito, *in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læſi.*

Nihil igitur certius, quàm moleſtas moroſaſque ſatisfactiones olim non Dei amicis fuiſſe impoſitas, ut ſe per illas ad ineundam cum hominibus communionem præpararent, ſed ut per illas æternas pœnas evadere, veniam mereri, & cum Deo in gratiam redire poſſent.

Si aſſiduum Tertulliani lectorem S. Cyprianum conſulamus, ut ab eo diſcamus, quibus hominibus, amiciſſiæ

d *Lib. de pœnit. c. 9.*

Dei, an verò pœnitentibus ad ejus amicitiam aſpirantibus aſperæ & diuturnæ ſatisfactiones injungebantur; & ſi ulteriùs ab ipſo ſciſcitemur, quis fructus & finis iſtarum ſatisfactionum; docebit nos, ea non reconciliatis, ſed reconciliandis fuiſſe præſcripta, earumque fructum ac finem eſſe, non tam hominis cum homine, quàm cum Deo reconciliationem. [e] *Putaſne tu* (inquit Cyprianus lapſos alloquens, ut eos ad ſubeundos pœnitentiæ labores exhortetur) *Dominum citò poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti?..... Putas facilè eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare eum oportet impenſiùs & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus lacrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio & ſordibus volutari, poſt indumentum Chriſti perditum, nullum hîc jam velle veſtitum; poſt diaboli cibum, malle jejunium; juſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur; eleëmoſynis frequenter inſiſtere, quibus à morte animæ liberantur.* Indicant hæc verba, non juſtis, ſed juſtificandis laborioſa pœnitentiæ opera fuiſſe impoſita, eaque à ſancto Cypriano æſtimata fuiſſe plerumque neceſſaria ad peccatorum purgationem, & ad animas à morte liberandas, divinamque eis miſericordiam impetrandam. Unde ibidem ad lapſos ait: *Si precem quis toto corde faciat, ſi veris pœnitentiæ lamentationibus & lacrymis ingemiſcat, ſi ad veniam delicti ſui Dominum juſtis & continuis operibus inflectat, miſereri talium poteſt,.... poteſt ille indulgentiam dare, ſententiam ſuam poteſt ille deflectere.* Itaque juxta Cyprianum opus profuſis longiſque lacrymis, non ut quis communionem cum hominibus impetret, ſed ut Dei miſericordiam impetret, indulgentiam peccatorum obtineat, & ut damnationis æternæ ſententia in miſerationis æternæ ſententiam commutetur.

Si interrogemus S. Pacianum, utrùm ſatisfactio ſubſecuta fuerit abſolutionem ſacramentalem, an verò eam præceſſerit, ſicuti opus meritorium mercedem, & diſpoſitio for-

e *Serm. de lapſis.*

ſormam præcedit. Sanctus Doctor reſpondebit, inter remiſſionem peccatorum, quæ datur in baptiſmo, & eam, quæ datur per abſolutionem ſacerdotalem, iſtud diſcriminis intercedere, quòd illa tanquam liberale munus, ſine longâ præparatione, hæc verò non niſi poſt multi moleſtique laboris merita donetur. [f] *Baptiſmum enim*, inquit, *ſacramentum eſt Dominicæ paſſionis; pœnitentiæ venia, meritum confitentis. Illud omnes adipiſci poſſunt, quia gratiæ Dei donum eſt, id eſt, gratuita donatio: labor verò iſte paucorum eſt, qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera convaleſcunt, qui lacrymoſis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviſcunt.*

His verbis S. Pacianus contra Novatianos docet, minimè ſequi, (prout illi hoc ſequi contendebant) ex veniâ, quam poſt baptiſmi violationem lapſis dat Eccleſia, de baptiſmi cuſtodiâ haud diligenter ſatagendum eſſe: quòd tam difficulter peccatorum remiſſio detur in ſacramento reconciliationis, ut labor iſte, quo ad eam adipiſcendam poſt violatum baptiſmum lapſus præparandus eſt, à paucis exantlandus ſit. *Labor iſte*, inquit, *paucorum eſt, qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera convaleſcunt*, &c. Exiſtimavit igitur, quòd ad veniam in ſacramento pœnitentiæ conſequendam opus foret, ut is labor & ſatisfactio, veluti apparatus & meritorium ac præparatorium opus, abſolutionem, tanquam ſuam mercedem, anteirent. Si enim ante exantlatos pœnitentiæ labores abſolutionis gratia, ex ſancti Paciani opinione, facilè parabilis & obvia fuiſſet, falsò dixiſſet, ad eam difficulter perveniri, neque eam eſſe inſtar baptiſmi gratuitum Dei donum, ſed eſſe inſtar præmii, quod merentibus datur.

Si audiamus Ambroſium, ille nobis teſtabitur longas ſatisfactiones lapſis impoſitas olim fuiſſe, non eâ potiſſimùm de causâ, ut poſt adeptam, editâ criminum confeſſione, ſacramentalem abſolutionem, deinde publicè fidelium communioni reſtituerentur; ſed ut perpetuos gemitus temporales pœnæ redimerent; ut pœnitentium lacrymæ divinam ad

f *Epiſt. 3. ad Sempron.*

ad indulgendum moverent pietatem; ut peccatori ſibi ipſi non parcenti Deus parceret, & culpam delens indulgentiam impertiretur. [g] *Expectat* (inquit de Deo loquens) *gemitus noſtros, ſed temporales, ut remittat perpetuos; expectat lacrymas noſtras, ut profundat pietatem ſuam. Sic in Evangelio viduæ matris lacrymis compaſſus, filium ejus reſuſcitavit.*

Idem ſanctus virginem lapſam ad ſubeundos moleſtos pœnitentiæ labores exhortans, utilitatem eorum in hoc collocatam aſſerit, quòd ab æternis pœnis liberent, Deumque, ut nobis parcat, iratum exarment. [h] *Quantamvis*, inquit, *afflictionem, quantumvis laborem & indecorem ſubire eſto contenta, dummodò ab æternalibus pœnis libereris.* Deinde enarratis, quas ipſam ſubire oporteat, pœnis ac afflictionibus, tum ſubdit, ut oſtendat, quo fructu & fine illis ſe ſubjicere deberet. *Talis vita, talis actio pœnitentiæ, ſi fuerit perſeverans, audebit ſperare, ſi non gloriam, certè pœnæ evacuationem.* Et demum his verbis concludit: *Peccator ergo ſi ſibi ipſi non parcit, à Deo illi parcitur; & ſi futuras pœnas gehennæ præcipuas, in hoc parvo vitæ ſpatio compenſaverit, ſeipſum ab æterno judicio liberat.* Non ergo imponebantur illæ pœnæ ſatisfactoriæ, ut is, qui judicatus fuerat dignus, ut eſſet Dei amicus & filius, tantis pœnis atque moleſtiis præpararetur ad ceremoniam humanitùs inſtitutam, nec majoris utilitatis, quàm ut minoris cujuſdam quaſi excommunicationis dedecus tolleret, & honorem cujuſdam externæ cum illis communionis redderet, quibuſcùm per ſpiritum fidei, ſpei, & charitatis tanquam vivum Chriſti membrum jam antè fuerat conjunctus.

Auguſtinus, perinde atque Ambroſius, teſtatur pœnitentiæ opera olim fuiſſe reis præſcripta, ut illa exercentes à Deo in gratiam per claves Eccleſiæ recipi mererentur. [i] *Sunt quædam*, inquit, *gravia & mortifera, quæ niſi per vehementiſſimam moleſtiam humiliationis cordis, & con-*

g *Lib. 1. de pœnit. cap.* 4. h *Cap.* 8. i *Serm.* 34. *de Diverſis cap.* 12.

contritionis ſpiritûs, & tribulationis pœnitentiæ non relaxantur. Hæc dimittuntur per claves Eccleſiæ.

Eundem fructum in operibus pœnitentiæ agnoſcit S. Proſper, ſive potiùs Julianus Pomerius, dum laïcis ſua crimina ultrò confitentibus, eaque in ſe ipſis ex ſacerdotum ordinatione vindicantibus dicit, quòd temporalibus pœnis mutarent æterna ſupplicia, lacrymiſque ad tempus fuſis æternas flammas extinguerent. *Quòd ſi,* inquit, *ipſi judices fiant, & veluti ſuæ iniquitatis ultores, hîc in ſe voluntariam pœnam ſeveriſſimæ animadverſionis exerceant, & temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lacrymis ex verâ cordis compunctione fluentibus reſtinguent æterna ignis incendia.*

Deinde de Clericis in crimen lapſis, & in ſeceſſu ab altari pœnitentiam agentibus, ità loquitur, ut illorum cum Deo reconciliationem afflictionibus & cruciatibus ipſorum acceptam ferret. Erant ergo illæ pœnitentiæ afflictiones ex ſenſu Juliani Pomerii non apparatus ad ceremonialem quandam abſolutionem, quæ juſtis Deique filiis dicitur fuiſſe impenſa, ſed erant præparatoriæ ad reconciliationem cum Deo ineundam. *Ab altari* (ait de lapſis clericis loquens) *cui miniſtrabant, non animo, ſed officio ſeparati, vitam tanquam mortuam plangunt, certi, quòd reconciliato ſibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, non ſolùm amiſſa recipiant, ſed etiam cives ſupernæ civitatis effecti, ad gaudia ſempiterna perveniant.*

Leo Magnus, cùm docuiſſet, divinam miſericordiam non unâ ratione lapſibus humanis ſubvenire, deinde exponit ordinem adminiſtrandi ſacramentum pœnitentiæ, ut ſcilicet confeſſio actionem pœnitentiæ, actio pœnitentiæ abſolutionem, & abſolutio communionem ſacramentorum altaris præcederent. [k] *Multiplex,* inquit, *miſericordia Dei, ità lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam, ſpes vitæ reparetur æternæ, ut, qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes, ad remiſſionem cri-*

k *Epiſt. ad Theodor.*

minum pervenirent; ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum Chriſtus Jeſus, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent.

Hæc Leo, ut oſtendat, ſatisfactionem eſſe abſolutione priorem tanquam ejus apparatum ac meritum; & eam, in priſcâ Eccleſiâ pœnitentibus fuiſſe impoſitam, ut ſacramentaliter abſolvi mererentur, abſoluti verò, non tam duris pœnitentiæ laboribus ſe cruciarent, quàm læto ſe ipſos Euchariſtiæ pabulo reficerent ac exhilararent.

Sanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus opera pœnitentiæ commendat, tanquam apparatum plerumque neceſſarium, ut peccator cum Deo in gratiam redeat. [l] *Quicumque*, inquit, *de iſtis peccatis* (nempe capitalibus) *in ſe dominari cognoverit, niſi dignè, (ſi habuerit ſpatium) longo tempore pœnitentiam egerit, & largas eleëmoſynas erogaverit, & à peccatis ipſis abſtinuerit, illo tranſitorio igne de quo dixit Apoſtolus, purgari non poterit; ſed æternâ illâ flammâ, ſine ullo remedio cruciabitur.*

Gregorius Magnus eundem fructum reis pœnitentiam agentibus pollicetur, de abſolutione ceremoniali, quæ juſtis impendi dicitur, né gry quidem dicens: [m] *Idcirco*, inquit, *omnipotens Deus electos ſuos in quibuſdam lapſibus cadere permiſit, ut aliis in culpâ jacentibus, ſi toto ad eum corde conſurgant ſpem veniæ redderet; & eis per lamenta pœnitentiæ jam cœleſtem patriam aperiret.* Deinde auditores ſuos ad pœnitentiæ opera exhortans, ea commendat tanquam culpis delendis idonea, & ad veniam obtinendam inſtituta. *Exerceamus ergo*, inquit, *noſmetipſos in lamentis, extinguamus fletibus & dignis pœnitentiæ fructibus culpas, quas fecimus; ad veniam tempora nobis indulta non pereant.*

Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus operibus pœniten-

ten-

l *Homil.* 8. m *Homil.* 20. *in Evang.*

tentiæ vim tribuit peccata purgandi, ac de peccato ad juſtitiam, & de offenſione ad gratiam revocandi. [n] *Hæc eſt enim* (inquit loquens de ſatisfactionibus & fructibus pœnitentiæ) *via, per quam de inferis ad cœlum recurritur, de peccato ad juſtitiam reditur, de offenſione ad tuam* (Deus) *gratiam revocatur.*

Eodem loco idem ſanctus remiſſionem peccatorum graviorum operibus pœnitentiæ acceptam refert. *Sicut levia*, ait, *peccata occultâ oratione delentur, ità gravia coram Eccleſiâ per pœnitentiam & ſatisfactionem remittuntur.*

In epiſtolâ ad Helladium de lapſo presbytero loquens, *Plangat*, inquit, *ſacerdotii cultum, quem perdidit. Lugeat animæ ſuæ ſtatum, quem tantæ putredinis cœno coinquinavit. Fortaſſe porriget illi manum quandoque Spiritus ſanctus, ut per dignam ſatisfactionem mereatur peccatorum remiſſionem.* Ex his luce meridianâ clarius evadit, à Beato Iſidoro ſatisfactiones pœnitentiæ conſideratas fuiſſe, tanquam apparatum ſacramentali abſolutioni prævium; non verò tanquam ejus ſequacem, qui ad exiguæ utilitatis ac virtutis ceremoniam, & ad ſalutem minimè neceſſariam, viam ſterneret.

Sanctus Eligius Noviodunenſis in Galliâ Epiſcopus, dum exponit fructum, qui ex pœnitentiæ operibus expectandus eſt, eum ponit in noſtrâ cum Deo reconciliatione, in divinæ iræ placatione, in animæ noſtræ vivificatione, & in merito vitæ perennis. [o] *Omnipotens Deus*, inquit, *contritionem quærit, fletibus flectitur, lugentes lætificat, pœnitentibus præſtò eſt. Magnus profectus eſt lacrymarum, plorando ſervus propitiatur Domino, filius lacrymis mitigat patrem, & aſperam matrem plorans mulcet parvulus. Ità ergo & peccator profuſis fletibus removet iram Dei. Petrus namque trinam negationem lacrymis diluit*, &c. *Oportet igitur nos ſalutem noſtram lugere perditam, atque animam noſtram mortuam lamentari, ut cum de hoc ſæculo abſtracti fuerimus, ad vitam mereamur venire ſempiternam.*

Idem ſanctus in aliâ homiliâ adhuc luculentiùs opera pœni-

n *In exhort. ad pœnit.* o *Homil.* 11.

nitentiæ tanquam ad abſolutionem ſacramentalem præparatoria exigit, docens ſacerdotale miniſterium nihil circa illos per abſolutionis verba efficere, niſi Spiritus ſanctus cor per contritionem purificaverit. *Unuſquiſque veſtrum*, (inquit pœnitentes alloquens, *ad ſe rediens conſideret, ſi per amaritudinem pœnitentiæ Deo ſatisfecerit pro ſuis offenſis & delictorum maculis. Nam licèt miniſterium reconciliandi Epiſcopali auctoritate in vobis complere velimus, tamen niſi Spiritus ſanctus, per cujus invocationem iſtud officium agitur, corda veſtra intrinſecùs purificata invenerit, à reconciliationis gratiâ vacui remanebitis.* Voluit ergo Eligius, ut ſatisfactionis opera reconciliationem noſtram cum Deo præcedant, ut ad eam diſponant, præparent, atque eam priùs mereantur, quàm accipiant. Unde ibidem ne priùs quidem vult, ut venia poſtuletur, antequam pii gemitus, & pœnitentiæ dolores eam meruerint. *In omni*, inquit, *culpâ priùs flendum eſt, & ſic deinde precandum: lacrymæ enim tacitæ quodammodò preces ſunt. Veniam non loquendo poſtulant, ſed merentur.*

Ex his omnibus licet itaque conficere, ſatisfactiones & opera pœnitentiæ in priſcâ Eccleſiâ abſolutionem plerumque præceſſiſſe, tanquam ſacer apparatus, quo pœnitens percipiendæ abſolutioni idoneus redditur, reconciliationi cum Deo ineundæ aptatur, culpas delet, animam purgat, ut Deo gratus & acceptus fieri mereatur. Unde etiam B. Ambroſius Novatianos, qui pœnitentibus abſolutionem denegabant, objurgans ità loquitur, ut clariſſimè oſtendat abſolutionem ſacerdotalem tanquam præmium operibus ſatisfactionis tanquam meritis præcedentibus fuiſſe ſubjunctum. [p] *Nonne advertitis* (inquit Novatianos arguens) *id evidenter nobis expoſitum, quòd merendi gratiâ ſacramenti ad precandum impellimur; & hoc auferre vultis, propter quod agitur pœnitentia? Tolle gubernatori perveniendi ſpem, & in mediis fluctibus incertus errabit. Tolle luctatori coronam, lentus jacebit in ſtadio. Tolle piſcatori capiendi efficaciam, deſinet jactare retia. Quomodò*

ergo

p *Lib. 2. de pœnit. c. 3.*

ergo poteſt, qui famem patitur animæ ſuæ, ſtudioſus Deum precari, ſi ſacram deſperet alimoniam? hoc eſt, abſolutionem, & deinde refectionem de corpore Domini.

Nonne ex his Ambroſii verbis perſpicuum, quòd antiquitus opera pœnitentiæ abſolutionem ſacramentalem præceſſerint, non ſecùs atque certa navigatio appulſionem ad portum, lucta coronam, & piſcatio capturam præire noſcuntur. Toto itaque cœlo errant, qui putant in priſcâ Eccleſiâ opera ſatisfactionis anteceſſiſſe non ſacramentalem, ſed ceremonialem abſolutionem, quæ non eſt dignum tanti laboris pretium, neque par præmium tanti moliminis ac meriti.

§. 3. Hæc veritas etiam inde patet, quòd priſci Patres ſemper crediderunt, lapſis non citiùs abſolutionem dandam eſſe, quàm de illis prudenter judicari poſſit, quòd per compunctionis gratiam à Domino abſoluti & vivificati eſſent. Hinc illa vox S. Paciani ad Sympronianum: [q] *Scio frater hanc ipſam pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari; nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari magno pondere, magnoque libramine, poſt multos gemitus effuſionemque lacrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari, ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet.* Credidit igitur Pacianus, reos non priùs abſolutione à ſacerdote donandos eſſe, quàm ex indiciis admodùm probabilibus ſacerdos colligere poſſet, reos à Domino per compunctionis gratiam viſitatos eſſe, adeoque ejus eſſe voluntatis, ut ab ipſo per cordis converſionem viſitatis à ſacerdote tanquam divinæ voluntatis conſcio atque interprete abſolutio concederetur: ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet; ſed tanquam miniſter judicium Domini ſubſequatur.

Hinc ſanctus Gregorius ait, ſacerdotem, antequam abſolutionem impendat, explorare & dijudicare debere, utrùm fructuosè eam impendet. [r] *Videndum*, inquit, *quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos*

q *Epiſt.* 1. r *Homil.* 26. *in Evang.*

illos paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt abſolutio præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur Judicis.

Hinc ſanctus Eligius monet ipſos pœnitentes, ut antequam ſe miniſterio ſacerdotali ſinant abſolvi, ſe ipſos examinent, num per compunctionis gratiam à Domino ſe abſolutos eſſe meritò confidant. [s] *Unde*, inquit, *ſaluti veſtræ conſulentes hortamur, ut ſi quis veſtrûm pœnitentiam accepit, & pœnitere diſſimulavit ad reconciliationis ſacramentum accedere nullatenus præſumat, ſed magìs ſordes ſcelerum diluat fontibus lacrymarum.*

Quamobrem alibi hoc pœnitentibus vult maximè eſſe perſuaſum, quòd abſolvi à ſacerdote non poſſint, niſi priùs à Domino fuerint abſoluti. [t] *Ante omnia autem vobis*, inquit, *ſcire neceſſe eſt, quia licèt impoſitionem manuum noſtrarum accipere cupiatis, tamen abſolutionem peccatorum veſtrorum conſequi non poteſtis, antequam per compunctionis gratiam divina pietas vos abſolvere dignabitur.* Num autem hæc divinæ miſerationis viſitatio & compunctio atque interna ſolutio à Deo peccatori conceſſa, credebant Patres non tam ex confeſſione, quàm ex fructibus pœnitentiæ, ac perſeveranti à peccatis abſtinentiâ dijudicandum eſſe. Patet illud ex verbis Gregorii tam jamjam allegatis, quàm ex illis, quæ quinto capite produximus. Patet illud ex epiſtolâ S. Ivonis Carnotenſis, quam ſuprà etiam allegavimus. Patet illud ex his verbis Baſilii Seleucienſis, ità in oratione in Jonam ſcribentis: *Hæc veræ pœnitentiæ ſunt indicia, lugens anima, lacrymantes oculi, diſceſſio à malitiâ, impietatis fuga, carnis contritio, animi compreſſio, injuſtitiæ devitatio. His peccatum purgatur; his divinum decretum cedere non erubeſcit: Deus ſolvit ſententiam.*

Hæc ergo opera oportebat abſolutionem præcedere, ut ex illis Patres de compunctione & converſione, deque neceſſario apparatu peccatoris ad abſolutionem percipiendam prudens judicium ferre poſſent. Falſi ergo illi ſunt, qui arbitrantur opera pœnitentiæ non ſacramentalem, ſed ſolùm, neſcio quam, abſolutionem ceremonialem, in quâ erat plus ex-

s *Homil.* 7. t *Homil.* 11.

externi honoris, quàm Chriſtianæ utilitatis, præceſſiſſe.

Manet itaque firmum, quod capite quinto docuimus, nempe etiam nunc oportere, ut ſacerdos de pœnitentiæ veritate potiùs ex fructibus, quàm ex confeſſionum verbis decernat. Hoc niſi faciat, non obediet Romano Rituali, quod jubet, ut *videat diligenter ſacerdos quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio, ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces.* Neque enim diligenter illud videbit atque diſcernet quoad plurimos peccatores, niſi illud ex fructibus videat atque diſcernat.

§. 4. Porrò ſi quis adhuc clariùs videre cupiat abſolutionem ſacramentalem apud antiquos ſatisfactionis & pœnitentiæ operibus ſubjunctam fuiſſe, legat Morinum de adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ l. 9. cap. 2. & ſequentibus, & videbit nihil fingi potuiſſe abſurdius eo figmento, quo opera pœnitentiæ dicuntur fuiſſe prævia non ſacramentali, ſed ceremoniali abſolutioni: tantùm hîc referam nonnulla ex capite ſecundo, ubi falſitatem ejus rei etiam cæcutientibus ſi non conſpicuam, certè palpabilem reddit. „Non „ ſolùm (inquit iſtius capitis num. 2.) iſtius diſtinctionis a„ pud antiquos nulla eſt memoria, ſed plurima mihi viden„ tur in antiquâ diſciplinæ pœnitentialis praxi undique cir„ cumfulgere, quæ cum eâ nullo modo ſubſiſtere poſſunt, „ ſed quæ potiùs velut fulmina eam frangant & dejiciant. „ Rem ipſam omni præjudicio ſepoſito tantiſper examine„ mus. Quo jure, quâve prudentiâ ſceleris reo ſcelus con„ fitenti ſtatim parcunt, abſolutionem ſacramentalem omnis „ culpæ averruncatricem, æternæ pœnæ expunctricem, „ amicitiæ Dei conciliatricem confeſtim ſine ullâ probatio„ ne, ſine ullâ doloris, an fictus ſincerusve ſit, experientiâ „ largiuntur; ut autem per quandam externam ceremonio„ lam ad fidelium ſocietatem admittatur, jam per abſolu„ tionem à peccatis factus Dei amicus, vitæ æternæ hæres, „ per multos annos variis experimentis ipſius converſio ten„ tabitur? Sanè probatio ante ſacramentalis abſolutionis con„ ceſſionem fieri debuit, ne margaritæ porcis contra Chri„ ſti mandatum projicerentur, ut in causâ abſolutionis à

pec-

„ peccatis dandæ diligenter monent Gregorius Nyſſenus „ in epiſtolà ad Letoium, & Auguſtinus lib. I. de adulte- „ riis c. ultimo. At ſecundùm hanc ſententiam pretioſa ab- „ ſolutionis margarita pœnitere ſe profitenti ſtatim proſti- „ tuitur; deindè an ceremoniolâ ſit dignus, diligentiſſimè „ & ſcrupuloſiſſimè multis annis inquiritur.

Eſt quidem in citatione Auguſtini nonnulla hallucinatio, ſed eâ non obſtante vis argumenti manet invicta. Num: autem 3. adhuc fortiùs in figmentum *iſtud* invehitur, dum ità ſcribit: „ Tantiſper ob oculos lectoris pau- „ cis verbis proponam, quæ toto libro ſexto fusè probata „ ſunt, ut judicet, an æquum ſit, pœnitentem poſt re- „ conciliationem cum Deo ab Eccleſiâ ſic excipi. Primùm „ in fletu degebat, ſcripturarum auditione & Eccleſiæ in- „ greſſu indignus habitus, à quibus tamen non prohibe- „ bantur ethnici, Judæi, publicani, nedum catechumeni. „ Deinde in fletu aliquot annis commoratus Eccleſiæ por- „ tam ſubibat, ſcripturarum lectionem, & ſermones ad ple- „ bem auditurus, quibus peractis, ne pœnitentibus ſub- „ ſtratis commiſceretur, ſtatim à diaconis pellebatur. Ali- „ quot ſimiliter annis hoc opprobrium paſſus, *multis* jeju- „ niis, & corporis macerationibus aliquot aliis annis & plu- „ ribus affligebatur, quotidianis manuum impoſitionibus „ ſuberat, & ſuper eum ſic proſtratum Epiſcopus cum Cle- „ ro Deum deprecabatur, ut illius miſereretur, peccato- „ rum veniam indulgeret, & Eccleſiæ mereretur aggrega- „ ri. An probabile eſt, Patres ut impium, ethnicum, Ju- „ dæum & publicanum tractaturos, à ſacris ſuis eliminatu- „ ros eum, quem Deo reconciliaſſent? ſuper eum velut à „ diabolo poſſeſſum precaturos, quem Dei amicum, & „ cum ipſo intimè conjunctum crederent? Omnia, quot- „ quot nobis ſuperſunt, de hiſce rebus teſtimonia, eviden- „ tiſſimè vel demonſtrant, vel innuunt, Eccleſiam ſemper „ ſibi continenter reconciliaſſe, & aggregaſſe, quotquot „ credidit Deo reconciliatos; reconciliationemque cum „ Deo rationem eſſe & regulam reconciliationis externæ „ cum Eccleſiâ. Hoc ab ipſo ortu Eccleſiæ in hunc uſque „ diem ſanctiſſimè obſervatum eſt.

Hæc Morinus, ut inſulſam retundat illorum opinionem, qui longas ſatisfactiones aſſerunt ſubſequas fuiſſe abſolutionis ſacramentalis, prævias verò ceremoniæ parùm utilis, & nullatenus neceſſariæ.

§. 5. Profectò nihil à ſapientiâ ſanctorum & ab ipſorum erga Deum reverentiâ, & erga proximos charitate magìs alienum fingi poteſt, quàm ut (Phariſæorum inſtar, qui minora legis, neglectis gravioribus exactiſſimè obſervabant) ad rem maximam, nempe captivi à ferreis libidinum vinculis liberationem, filii iræ atque gehennæ in divinâ gratiâ redintegrationem, & peccatoris adoptationem ad dignitatem filiorum Dei, vix ullum bonorum apparatum, vix ullum ſatisfactionis ſtudium, vix ullam caſtigationis diligentiam poſtulaſſent; & ad rem minimam, (ſi cum aliâ comparetur) nempe juſti cum juſtis, filii Dei cum filiis Dei, & fratris cum fratribus externum commercium, nocturnas diurnaſque lacrymas, preces cum omni humilitate fuſas, multorum annorum jejunia, eleëmoſynas ipſis facultatibus majores, demum dura & ardua pœnitentiæ opera, per longa temporum ſpatia continuata, tanquam neceſſariam præparationem poſtulaſſent. Quæ ibi ſapientia, ubi ad res minimas tanta cura, ad maximas verò tantus torpor adhibetur? Quæ ibi erga Deum reverentia, ubi ad ejus gratiam comparandam non longa ſuſpiria, non caſtigationes corporis, non fructus bonorum operum; ſed tantùm confeſſionis folia requiruntur: ad juſti verò & filii Dei cum juſtis & filiis Dei patentem communionem vix ulli apparatus bonorum operum, vix ulla ſuſpiria, licèt multis annis continuata, vix fontes lacrymarum, licèt longis temporum ſpatiis profluentes, vix ulli corporis cruciatus, tametſi diu perpeſſi, aſſeruntur ſufficere?

Quæ ibi erga peccatores charitas, ubi de illorum ſalute æternâ tam indiligenter agitur? & quæ ibi erga juſtos dilectio, ubi, tanquam indigniſſimi forent, qui cum ſui ſimilibus propatulam communionem haberent, ab illorum conſortio ejiciuntur, & ad duros pœnitentiæ cruciatus immiſericorditer relegantur, cùm interim digni æſtimentur

tur quorum ſocietas ſit cum Patre & Filio ejus Jeſu Chriſto?

Manet ergo invictum, voluiſſe priſcos Patres, ut pœnitentiæ & ſatisfactionis opera abſolutionem ſacramentalem præcederent, tum ut ad eam fructuosè percipiendam lapſi adaptarentur, tum ut à Deo in gratiam iterum recipi mererentur, tum ut ſacerdotes ex illis dignoſcerent, quoſnam Deus per compunctionem interiùs viſitaſſet & vivificaſſet, ipſique tanquam divinæ voluntatis interpretes abſolvere poſſent.

CAPUT XIII.

1. *Ex eo, quòd Epiſcopi Africani corpus Domini ſumebant cum ebrioſis, qui ſuam luxuriam ad honorem ſanctorum & ſolatium defunctorum pertinere arbitrabantur, nullatenùs ſequitur, ſacerdotes iis abſolutionem impertiri poſſe, quos ad eam imparatos judicant. Id oſtenditur variis & apertis rationibus. Schiſmatum metu non poteſt ſacerdos indignos abſolvere. 2. Poteſt, & ſæpe debet ſacerdos Euchariſtiam præbere illis, quos eâ indignos novit: Euchariſtiæ diſtributio convivium eſt, ubi ſacerdos agit Architriclinum, & non judicium, cujuſmodi eſt pænitentiæ ſacramentum, in quo ſacerdos perſonam Judicis agit. 3. Illi luxurioſi & ſuperſtitioſi epulones, tantùm aberat, ut crimen in ſuis comeſſationibus agnoſcerent, ac de illis ſe ipſos apud ſacerdotes accuſarent, ut potiùs ad religionem eas pertinere arbitrarentur. 4 Iterum probatur conſuetudini pravæ cum laude reſiſti; eiſque, qui dicunt,* Quare modò? non

non enim antea. Qui hæc non prohibuerunt, Chriſtiani non fuerunt? *dicendum*, vel modò.

§. I. Contra ſaluberrimas dilationum moras objici ſolet; nempe tempore ſancti Auguſtini viguiſſe in Africâ errorem, quo in cœmeteriis, & locis ſanctorum ebrietates & luxurioſa convivia non ſolùm honores Martyrum à carnali & imperitâ plebe credebantur; ſed etiam ſolatia mortuorum. Hunc turpiſſimum errorem, moremque fœdiſſimum, quamvis ſacrorum Antiſtites averſarentur, tamen ferebant, ne ſchiſma oriretur, ſi eos, qui illum ſequebantur, excommunicarent. Sumebant itaque corpus Domini cum ebrioſis, quibuſcum vetat Apoſtolus, ut ne quidem panem ſumamus. Putabat tamen Auguſtinus, tolerari non poſſe, ut iſtæ ebrietates & comeſſationes in ſanctorum corporum ſepulcris, in locis, ubi ſacrificia offeruntur, in domibus orationum, inſtituerentur. [a] *Feramus hæc*, inquit Auguſtinus, *in luxu & labe domeſticâ, & eorum conviviorum, quæ privatis parietibus continentur; accipiamuſque cum iis corpus Chriſti, cum quibus panem comedere prohibemur; ſaltem de ſanctorum corporum ſepulcris, ſaltem de locis ſacramentorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur.* Hinc putant aliqui rectè confici, iis abſolutionem à ſacerdotibus dandam eſſe, quos ad eam imparatos exiſtimant, ſi animo prævideant ex negatâ abſolutione, confitentes à ſe defluxuros, vel ſcandala & ſchiſma in populo eſſe concitaturos. Vellem ex illis, qui iſta opponunt, reſcire, num abſolutionem à ſacerdotibus arbitrentur dari poſſe non ſolùm ebrioſis & luxurioſis, cum quibus Apoſtolus vetat panem ſumere, ſed etiam tam turpiter & obſtinatè errantibus, ut ſuam ebrietatem atque luxuriam ad honorem ſanctorum Martyrum defunctorumque ſolatia arbitrentur pertinere, tantùm abeſt, ut de illis pœnitere ac ceſſare vellent? Si reſpondeant, à ſacerdotibus dari abſolutionem poſſe iis, qui non

a *Epiſt. 64. ad Aurel.*

ſolùm de ebrietatibus & luxurioſis conviviis non dolent; ſed etiam ſibi perſuadent illis flagitiis ac ſacrilegiis ſanctos Martyres coli, & defunctorum animabus requiem impetrari: poterunt ergo ſacerdotes ex judicio iſtorum quoſcumque ſuperſtitioſos atque ſacrilegos, quantumvis in crimine obduratos, quantumvis perſuaſos ſua ſcelera ad cultum Dei, ſanctorumque venerationem pertinere, à criminibus liberos & abſolutione ac communione corporis Domini dignos declarare, modò ſcandala, & à ſuis paſtoribus defectionem & ſchiſmata ad cætera ſua crimina, niſi à criminibus liberi & ſacrâ communione digni pronuntientur, adjecturi meritò credantur. Licebit itaque iſto in caſu impœnitentes pœnitentes dicere, atque adeo in adminiſtratione ſacramentorum mentiri, proteſtarique quòd eos à peccatis abſolvas, quos ſcis libidinibus fœdiſſimis, & errore obſtinatiſſimo ſuis peccatis eſſe devinctos, atque per ipſa ſacroſancta abſolutionis verba novo ſacrilegio contaminandos. Licebit ergo ſacerdoti, dum vice Chriſti, qui eſt veritas æterna, judicabit & ſententiam pronuntiabit, mentiri falſumque dicere teſtimonium, quòd per multa ſæcula in totâ Dei Eccleſiâ tale malum creditum fuit, ut non ſit malum, quia prohibitum, ſed ſit prohibitum, quia de naturâ ſuâ malum, & officio naturæ rationalis adverſum eſt. Licebit ergo ſacerdoti, ei, quem certiſſimè ſcit ſe non poſſe abſolvere, tamen dicere, ego te abſolvo à peccatis tuis, modò timeatur, ut ſcandalis Eccleſiam concutiat. Licebit ergo ſacerdoti mentiendo ſuam animam occidere, ne homines perditi & in criminibus obdurati ſchiſmata faciant. Ubi ergo illa celebratiſſima ſententia, *Melius eſt ut ſcandalum oriatur, quàm ut veritas deſeratur?* Ubi illa præcepta, [b] *Noli velle mentiri omne mendacium?* Ubi illud Apoſtoli, [c] *Nolite mentiri invicem?* Ubi illud ejuſdem, [d] *Loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo?*

Deinde non demeritum eſt ſacerdotis, ſed laus & commendatio, ſi ei deneget abſolutionem, quem veroſimile eſt

b *Eccli. 7. 14.* c *Coloſſ. 3. 9.* d *Epheſ. 4. 25.*

eſt non eſſe reverſurum, aut etiam ſcandala & ſchiſmata excitaturum. Nam ſi non revertatur, vel etiam deficiat, turbaſque commoveat, tunc oſtendit ſe non fuiſſe converſum, nec dignum, qui abſolveretur; adeóque ſacerdotem, qui eum noluit abſolvere, ſacrilegium caviſſe. Quem enim verè criminum pœnitet, is dilatus credit, ſuum dolorem percipiendæ abſolutioni non eſſe maturum, & vigiliis, orationibus, gemitibus ac jejuniis magìs eſſe inſtandum, „ [e] ut cùm ſecundò & tertiò, (loquor cum Ambroſio) di„lata fuerit ejus communio, credat remiſſiùs ſe ſupplicaſ„ſe, fletus augeat, miſerabilior poſteà revertatur, teneat „pedes (ſacerdotum & piorum) brachiis, oſculetur oſcu„lis, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipſo dicat Domi„nus Jeſus, remiſſa ſunt peccata ejus multa, quoniam di„lexit multùm. Qui aliter affecti ſunt, ex illis ſunt pſeudopœnitentibus, qui, uti ait idem Ambroſius, [f] *poſcunt pœnitentiam, ut ſtatim ſibi reddi communionem velint; hi non tam ſe ſolvere cupiunt, quàm ſacerdotes ligare: ſuam enim conſcientiam non exuunt, ſacerdotis induunt.* Elucet itaque ac commendatur ſacerdotis religioſus & prudens animus, dum illi deficiunt ac turbas cient, quos judicavit abſolutionis non eſſe capaces. Illorum enim defectio ac turbulentia contra eos ipſos pro ſacerdotibus teſtimonium præbet. Nulla eſt ergo ratio, ut ſacerdos eos abſolvat, quos videt eſſe adeò perverſos ac ſceleratos, ut ſcandala ſint concitaturi, niſi falſæ abſolutionis veneno, eorum truculenta & ferox conſcientia ſopiatur. Nequaquam ergo abſolvendi ſunt, dum tam mali creduntur, ut, niſi abſoluti pronuncientur, in ſchiſmata ſint abituri.

§. 2. Non ſequitur igitur, ſacerdotem abſolutionem iis, quos eâ indignos credit, impendere poſſe, quia corpus & ſanguinem Domini ſacerdotes in priſcâ Eccleſiâ, pacis causâ, cum illis communicarunt, quibuſcum Apoſtolus monet Chriſtianos, ut ne quidem panem ſumant. Etenim longè diſpar ratio diſtribuendi Euchariſtiam corporis Domini, & impartiendi abſolutionis gratiam. Nam ſacerdos di-

e *Lib.* 1. *de pœnit.c.*16. f *Ibid.*

diſtribuens Euchariſtiam non agit Judicem, qui diſcernat ac declaret illum, cui eam tribuit, eâ dignum indignumve eſſe. Verùm agit in diſtributione Euchariſtiæ tanquam publicus diſpenſator, cujus eſt officium, iis omnibus eam diſtribuere, qui baptiſmate initiati, fidem profitentes & adhærentes Eccleſiæ paſtoribus, & inter ejus domeſticos recenſiti ad Euchariſtiæ communionem publicum jus acceperunt; quo publicè deſtitui non poſſunt, niſi publico in judicio diſcuſſi & examinati, eo jure fuerint judicati excidiſſe. Sine ullâ autem judicii formâ jure communionis ipſos publicè deſtitueret ſacerdos, ſi eos ad ſacram menſam accedentes ab eâ repelleret. Graviter ergo contra ordinem juſtitiæ peccaret, ſi pro arbitrio ſuo, nullâ præcedente aut formâ judicii, aut criminis notoreitate, quos vellet, jure communionis deſtitueret. Oportet igitur ut diſpenſatores Myſteriorum Dei in ſacrificio & in menſâ corporis Domini, multos, quos eâ nôrunt eſſe indignos, tolerent, quemadmodum Salvator noſter Judam toleravit. g Multi, „ inquit Auguſtinus, tolerantur, ut Judas; multi neſciun- „ tur, donec veniat Dominus, qui illuminet abſcondita „ tenebrarum....Nos verò à communione prohibere quem- „ quam non poſſumus; quamvis hæc prohibitio nondum „ ſit mortalis, ſed medicinalis; niſi aut ſpontè confeſſum, „ aut in aliquo ſive ſæculari ſive eccleſiaſtico judicio nomi- „ natum atque convictum. Quis enim ſibi utrumque au- „ deat aſſumere, ut cuipiam ipſe ſit & accuſator & Judex? Aliâ verò ratione oportet, ut in adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ ſe gubernet ſacerdos. Illo enim in ſacramento fungitur officio Judicis, qui examine prævio diſcuſſis cauſis pro earum merito ſententiam debet proferre, illos à peccato ſolvens, quorum voluntatem ab eo ex fructibus operibuſque pœnitentiæ videt eſſe averſam; iſtos verò ſaluberrimis mediciſque pœnitentiæ vinculis aſtringens, quos judicat, ſi abſolutionis ſententiam pronunciaret, non eſſe donandos, niſi falsâ & irritâ pace dantibus periculosâ, accipientibus nihil profuturâ: Undè etiam in hoc ſacramento

g *Homil. 50. c. 4.*

to reum ligans, nullum ei jus tollit, ſed eum ligando ſatagit reddere dignum, qui jus percipiendi corpus & ſanguinem Chriſti recipiat, quo ſe ipſum mortaliter peccando reddit indignum. Et certè ad recuperandum jus communicandi corpori & ſanguini Salvatoris noſtri Jeſu Chriſtri, vix quicquam reperies, quod reum magìs juvet, quàm ſi humiliter acquieſcens judicio Sacerdotis ipſum ad aliquod tempus aſtringentis ſaluberrimis pœnitentiæ vinculis, ſe ipſum condemnet ad ſaluberrimas pœnitentiæ moras, ut ſuâ humilitate ac lacrymis ſe reddat idoneum, qui veram abſolutionem & cœleſtem ex corpore Chriſti refectionem miniſterio ſacerdotis accipiat. Atque hoc eſt, quod reos monet Auguſtinus, dum de pœnitentià mortalium peccatorum, quæ poſt ſuſceptum baptiſma fiunt, ità loquitur: „ [h] In hâc ergo pœnitentià majorem quiſque in ſe „ ſeveritatem debet exercere, ut à ſe ipſo judicatus non ju„ dicetur à Deo, ſicut idem Apoſtolus ait: [i] *Si enim nos* „ *judicaremus, à Domino non judicaremur*. Aſcendat ita„ que homo adverſùm ſe tribunal mentis ſuæ, ſi timet il„ lud, quòd oportet nos exhiberi ante tribunal Chriſti, ut „ illud recipiat unuſquiſque quod per corpus geſſit, ſive „ bonum, ſive malum; conſtituat ſe ante faciem ſuam, ne „ hoc ei poſtea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori, di„ cens: [k] *Arguam te, & ſtatuam te ante faciem tuam.* „ Atque ità conſtituto in corde judicio: adſit accuſatrix co„ gitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam „ ſanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Poſtre„ mò ab ipsà mente talis ſententia proferatur, ut ſe indi„ gnum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis „ Domini: ut qui ſeparari à regno cœlorum timet per ulti„ mam ſententiam ſummi Judicis, per Eccleſiaſticam di„ ſciplinam à ſacramento cœleſtis panis interim ſeparetur. „ Verſetur ante oculos imago futuri judicii, ut cùm alii ac„ cedunt ad altare Dei, quò ipſe non accedit, cogitet quàm „ ſit contremiſcenda illa pœna, quâ, percipientibus aliis „ vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam.

 Ad

h *Homil.* 50. *c.* 3. i 1 *Cor.* 11. 31. k *Pſal.* 49. 21.

„ Ad hoc enim altare, quod nunc in Eccleſiâ eſt in terrâ
„ poſitum, terrenis oculis expoſitum, ad Myſteriorum
„ divinorum ſignacula celebranda, multi etiam ſcelerati
„ poſſunt accedere: quoniam Deus commendat in hoc
„ tempore patientiam ſuam, ut in futuro exerat ſeveritatem
„ ſuam. Ad illud autem altare, quò Præcurſor pro nobis
„ introivit Jeſus, quò caput Eccleſiæ præceſſit, membris
„ cæteris ſecuturis; nullus eorum accedere poterit, de qui-
„ bus, ut jam commemoravi, dixit Apoſtolus: [l] *Quoniam
„ qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Solus enim
„ ſacerdos, ſed planè ibi totus aſſiſtet, adjuncto ſcilicet
„ corpore, cui caput eſt, quod jam aſcendit in cœlum. Ipſe
„ eſt, cui dixit Apoſtolus Petrus, [m] *Plebs ſancta, regale
„ ſacerdotium.* Quomodò ergo in interiora veli, & in il-
„ la inviſibilia ſanctorum introire audebit, aut poterit;
„ qui medicinam cœleſtis diſciplinæ contemnens noluit pau-
„ liſper à viſibilibus ſeparari? Qui enim noluit humiliari,
„ ut exaltaretur, cùm exaltari voluerit dejicietur; & in
„ æternum ſejungetur ab æternis ſanctis, quiſquis hoc tem-
„ pore per merita obedientiæ, & per ſatisfactionem pœ-
„ nitentiæ non ſibi providit locum in corpore ſacerdo-
„ tis.

Ex his manifeſtiſſimè patet cur ſacerdos poſſit corpus Chriſti dare indignis, abſolutionem verò iis, quos ad eam imparatos judicat, dare non poſſit. Patet etiam cur minimè liceat, ut concludas, indignis abſolutionem dari poſſe, quia indignis corpus Domini à ſacerdote ſubindè dari poteſt.

§. 3. Sed fortè arbitrabitur quiſpiam eos, qui comeſſationibus & ebrietatibus in locis ſacramentorum, ſive in memoriis Martyrum, tempore Auguſtini, ex antiquâ conſuetudine vacabant, non priùs ad ſacram menſam fuiſſe admiſſos, quàm ſe ipſos in pœnitentiæ tribunali apud ſacerdotes accuſaſſent.

Verùm iſtud ſibi nemo perſuadebit, ſi conſideret, iſtos epulones adeò ſuperſtitioſos fuiſſe, ut non ſolùm in luxu- rioſis

l *Gal.* 5. 21. m 1 *Petr.* 2.

rioſis ſuis conviviis & ebrietatibus nullum crimen agnoſcerent, verùm etiam ſibi ipſis perſuaderent, quòd ad cultum & venerationem Martyrum, & ad aliorum requiem defunctorum ſpectarent atque conferrent. [n] *Comeſſationes enim*, inquit Auguſtinus, de ſuperſtitiosâ iſtâ conſuetudine apud Aurelium conquerens, *& ebrietates ità conceſſæ & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatiſſimorum Martyrum, non ſolùm per dies ſolemnes.... ſed etiam quotidie celebrentur.* Undè etiam, cùm Auguſtinus elegantiſſimis & fortiſſimis ſermonibus iſtam conſuetudinem impugnaret, dicebant aliqui murmurantes contra Auguſtinum tanquam novatorem: [o] *Quare modò? non enim antea. Qui hæc non prohibuerunt, Chriſtiani non erant?* Deindè iſti vindices antiquæ conſuetudinis etiam ſe defendebant exemplo urbis Romæ, ubi in Baſilicâ Beati Apoſtoli Petri quotidianæ vinolentiæ exercebantur; tantùm abeſt, ut de iſtis vinolentiis luxurioſiſque conviviis ſe ipſos accuſarent. Undè etiam non eſt dubitandum, quin ſi ſeipſos iſtis de comeſſationibus, & luxurioſis ſuperſtitioſiſque conviviis in confeſſionis tribunali accuſaſſent, ad ſatisfacientes & emendantes pœnas, tamdiu ac ſe emendaſſent, antequam abſolverentur, condemnati fuiſſent.

§. 4. Non poſſum hîc non advertere, quamvis ſuprà idem argumentum tractaverimus; dum nobis antiqua, ſed prava conſuetudo opponetur, non recedendum eſſe à ſtudio prava corrigendi, ſicuti Auguſtinus non fiebat ſegnior in expugnatione luxurioſorum conviviorum, quamvis ei conſuetudo antiqua opponebatur. Cùm itaque conſuetudinis vindices ei dicerent: *Quare modò?* Ipſe eis dicebat: *Vel modò.* Et ſi conſuetudo, quæ vigebat in Baſilicâ beati Petri urbis Romæ, opponebatur, duo reſpondebat; primò Romanæ urbis Antiſtites ſuis legibus eam conſuetudinem ſæpè prohibuiſſe, *ſed quòd remotus ſit locus ab Epiſcopi converſatione*, qui fortè apud Lateranenſem Baſilicam longè ab æde Petri diſſitam reſidebat, „[p] & in tan-

n *Epiſt. 64. ad Aurelium.* o *Epiſt. 29. ad Alypium. edit. nova Pariſina.* p *Ubi ſupra.*

„ tâ civitate magna ſit carnalium multitudo, peregrinis præ-
„ ſertim, qui novi ſubindè veniunt, tantò violentiùs,
„ quantò inſcitiùs conſuetudinem illam retinentibus, tam
„ immanem peſtem nondum compeſci ſedarique potuiſſe.
Secundò hoc præclariſſimum argumentum contra invete-
ratam conſuetudinem ſubjungebat: dicens: „ Nos ſi Pe-
„ trum Apoſtolum honoraremus, debere præcepta ejus au-
„ dire, & multò devotiùs epiſtolam, in quâ voluntas ejus
„ apparet, quàm Baſilicam, in quâ non apparet, intueri.
Statimque, inquit, „ accepto codice, recitavi ubi ait:
„ [q] Chriſto enim paſſo per carnem, & vos eâdem cogitatio-
„ ne armamini: quia qui paſſus eſt in carne, deſiit à car-
„ ne, ut jam non hominum deſideriis, ſed voluntate Dei
„ reliquum tempus in carne vivat. Sufficit enim vobis præ-
„ teritum tempus voluntate hominum perfeciſſe, ambu-
„ lantes in libidinibus, deſideriis, ebrietate, comeſſatio-
„ nibus, & nefandis idolorum ſervitutibus. Hæc Augu-
ſtinus, ut ſuperſtitioſam vinolentiam conſuetudine muni-
tam expugnaret.

Porrò, ſi ſaluberrimis & ſæpè neceſſariis dilationibus, nonnulli opponant conſuetudinem, quæ à temerariis ignaviſque ſacerdotibus cœpit introduci, dicantque nobis: *Quare modò? non enim antea. qui hæc non prohibuerunt, Chriſtiani non fuerunt?* Reſpondeamus eis: *Vel modò; ſi non hactenus.* Si ad aliquarum Baſilicarum conſuetudines provocent; proferamus contra eos divina eloquia, ſanctorumque Patrum canones & decreta, quorum illa vetant juſtificari animas, [r] *quæ non vivunt*, iiſque annunciari viſionem pacis, quibus adhuc ſub libidinum jugo ſervientibus *non eſt pax* cum Domino; iſta verò prohibent, [s] eos à ſacerdotibus ſolvi, qui funibus peccatorum ſuorum ante Dei conſpectum tenentur aſtricti. Lanuginoſam cæcamque conſuetudinem obruamus antiquiore duodecim ſæculorum conſuetudine, quam introduxit non temeritas, quæ neſcit artem animabus medendi, nec ignavus timor, qui quærit hominibus placere, ſed luminoſiſſima charitas in Dei

q 1 *Petr.* 4. 1. r *Ezech.* 13. 16. s *Eligius hom.* 4.

Dei gloriam & ſalutem animarum ſemper intenta. Præconibus novæ conſuetudinis os occludamus exemplis & doctrinâ ſanctorum Thomæ de Villâ Novâ, Caroli Borromæi, Xaverii, Antonii Poſſevini, qui inſtructionem ſancti Caroli tanquam normam Confeſſariorum ſuæ Bibliothecæ inſeruit, Cardinalis Gropperi, Francisci Saleſii, Nicolai Aletenſis, & Franciſci Appamienſis, Cardinalis Grimaldi, Gilberti Tornacenſis, Guidonis Atrebatenſis, eorumque omnium Epiſcoporum & Doctorum auctoritate, qui librum de frequenti communione magnis laudibus extulerunt. Vindicibus mollioris & degeneris conſuetudinis opponatur auctoritas Epiſcoporum Galliæ, qui dum in ſuis Comitiis D. Borromæi regulas Confeſſariis præſcriptas laudaverunt, & ab omnibus in Galliâ Presbyteris ſervari voluerunt, quicquid illis adverſum eſt, improbaſſe cenſendi ſunt. Demùm opponatur illis auctoritas S. D. N. Innocentii XI. qui pravis propenſionibus & conſuetudinibus irretitos fruſtrà in confeſſionis Tribunali de vitâ emendandâ admonitos, niſi ex fructibus ſuam pœnitudinem teſtatam faciant, non cenſet abſolutione dignandos.

CAPUT XIV.

1. *Ex magnâ Dei miſericordiâ datus eſt Eccleſiæ D. Borromæus, qui docet non dandam abſolutionem ignorantibus neceſſaria ad ſalutem.* 2. *Neque iis, qui luxu veſtium debita contrahunt, & immodeſtiâ pudicitiam lædunt.* 3. *Iis, qui odia ponere aut ablata reſtituere nolunt.* 4. *Iis, qui verſantur in occaſione peccati proximâ.* 5. *Neque iis, qui ſe ſemper accuſant, & nunquam emendant.* 6. *Regulas à S. Carolo præſcriptas, ut juxta illas ſolvantur aut retineantur peccata, dum laudat Saleſius, ſequendas docet. Eaſdem regulas confirmavit, & ſequi juſſit Cardinalis Grimaldi.*

§. 1. Quia

§. 1. QUia autem divinæ cujuſdam prudentiæ eſt diſcernere quando citis & quando ſeris abſolutionibus locus eſt, & quis in univerſum ſit modus miniſtrandi pœnitentiæ ſacramentum: & quia S. Carolus ex magnâ Dei erga electos ſuos miſericordiâ videtur Eccleſiæ datus fuiſſe, non ſolùm ut ſuâ ſanctiſſimâ vitâ, ſuorumque fulgore miraculorum Catholicos in antiquâ fide confirmans, novatores confunderet; ſed etiam ut collapſam in adminiſtratione ſacramentorum diſciplinam reſtauraret, modumque quemdam poneret, qui à priſcorum Chriſtianorum moribus non degener, nec reparandis noſtris viribus incongruus foret; ea propter nihil poterit à Presbyteris fieri prudentiùs, quàm ut pœnitentiæ tribunalibus præſidentes, aſpiciant ſemper illa cœleſtis ſapientiæ lumina, illaſque defæcatiſſimæ prudentiæ regulas, quas præcedentis ſæculi alter Ambroſius, D. Borromæus in ſuâ Confeſſariorum inſtructione ipſis commendat, ut juxta eos lapſos erigant, ægros curent, rudes inſtruant, & confitentium crimina retineant vel remittant. Hæ autem regulæ, in quantùm jubent, ne ſacerdos quoſcumque abſolvat confitentes, ad ſex capita revocari poſſunt, quæ ſequenti ordine referemus.

I. Ne illi abſolvantur, qui neſciunt, quid credere & agere homo debeat, ut ſalvus fiat. [t] „Quoniam autem, „inquit Carolus, Chriſtianus omnis, ſi adultus eſt, ſub „pœnâ peccati mortalis ſcire debet articulos omnes Symbo„li Apoſtolorum, ſaltem quoad ſubſtantiam, inſuper & „præcepta Dei, ſanctæque Matris Eccleſiæ univerſa, quæ „ſub mortali obligant, & docentur communiter in ſcholis „doctrinæ Chriſtianæ; Si Confeſſarius pœnitentem reperiat iſtorum omnium ignarum, non abſolvat, quin pri„mo quoque tempore iis addiſcendis operam daturum ſe „promittat. Quanquam ſi aut à Confeſſario ſuo eodem „vel diverſo, vel ſuâ ipſe privatim conſcientiâ jam aliàs „monitus (quod diligentiſſimè exquiretur) eam adhibere „diligentiam neglexerit, quæ pro illius ingenii captu ad ea „diſcenda ſufficiens ſit; non priùs abſolvatur, quàm huic „obli-

t *Inſtruct. Paſtor. part. 2. cap. 12.*

„obligationi aliquâ ſaltem ex parte fecerit ſatìs. Si verò eâ
„de re nuſquam anteà monitus fuerit, poterit tum ei gra-
„tiam abſolutionis impertiri, eâ tamen præmiſsâ ſemper
„inſtructione, quam pœnitenti ſufficere cenſuerit, ut tan-
„to beneficio non ſit indignus.

In rubricis, ſive in inſtructionibus, quas idem ſanctus, à ſacerdotibus, qui audiendis confeſſionibus præfecti ſunt, voluit ſervari, monet, ut accedentibus ad confeſſionem rudibus, perquirant num fidei articulos cognoſcant, non ſolùm memoriter; ſed etiam intelligenter, [u] *ità ut explicitè eos & intelligenter ſciant, non autem quaſi recitantes tantùm.*

[x] In inſtructione verò idem ſanctus, ut oſtendat, quantoperè ad aſſecutionem juſtitiæ, ac remiſſionis peccatorum iſtam ſcientiam exiſtimaverit eſſe neceſſariam, mandat Confeſſariis, ut patres aut matres familiâs, qui familiares ſuos, ſive liberos, ſive ſervos, & ancillas eâ imbuere neglexerint, ſine abſolutione dimittant, *niſi fortè fidem faciat pœnitens, officio ſuo ſeriò deinceps facturum ſe ſatìs;* ſi verò hanc fidem fefellerunt, vult eos ſine abſolutione dimitti, quouſque ſua adimpleverint promiſſa.

§. 2. II. Ne eos abſolvant Confeſſarii, qui nimio veſtium ornatu debita contrahunt, quive earum luxu & immodeſtiâ pudicitiam lædunt, aliiſve, ne Deo ſerviant, obſtacula ponunt. Audiamus ſanctum hæc ſuis verbis exponentem. „Idem, inquit, etiam ſervetur (id eſt, denege-
„tur abſolutio) cum iis, qui immoderato corporis ornatu
„& faſtu mortaliter peccant. Deinde exponit ſanctus quando mortaliter peccatur. „Quoniam autem, inquit, hâc
„noſtrâ tempeſtate excrevit in immenſum, non ſine cul-
„pâ negligentiàque Confeſſariorum, qui ab hoc inconſi-
„derantiùs abſolvunt pœnitentes ſuos, fortaſſis & nullum
„eâ de re ſcrupulum ipſis movent; aliquos hìc caſus deſi-
„gnare placuit, in quibus mortaliter peccat, cui cordi eſt
„nimius ille luxus; ut juxta præſcriptas jam ſuprà regulas
„ſe gerant, ubi de illius abſolutione agetur. Quiſquis igi-
„tur

u *Actor. part. 2.* x *Inſtruct. Paſtor. part. 2. cap. 13.*

„ tur utitur hâc pompâ, ut alios ad peccatum mortale pel-
„ liciat, reus ipſe ſit mortalis peccati, aut ſi ex illius occa-
„ ſione vel violat ipſe, vel aliis etiam auctor eſt, & cauſa
„ cur violent Dei vel Eccleſiæ præcepta, puta, ſi feſto die
„ vel laboret, vel laborare alios compellat, vel ſacro aut
„ non interſit, aut impediat alios intereſſe. Si quæ uxor
„ aut maritum, aut quemlibet, cui domeſticæ familiariſ-
„ que rei cura commiſſa ſit, ad nimios ſumptus cogat,
„ quos ſciat aut certè probabiliter ſuſpicetur odia diſſenſio-
„ neſque domeſticas parere, maritum vel alios compellere
„ ad blaſphema verba, ad turpes & illicitos quæſtus, ad
„ reſecandas eleëmoſynas, quas alioqui erogare teneretur;
„ ad ea omittenda, quæ ex aliorum legatis facienda in ſe
„ receperat, fraudandos ære ſuo creditores, fruſtrandoſ-
„ que domeſticos, & alios operarios mercede laborum
„ ſuorum ad certum tempus præſtitutâ. Si ſuis eadem ſum-
„ ptibus inducat ad novum æs alienum contrahendum,
„ cui ſolvendo etiam per tempus par eſſe nequeat (quod
„ nuſquam contingit ſine gravi proximi detrimento) ſi im-
„ pediat, ne filiæ jam nubiles collocentur, undè ſæpe in
„ familiam magna labes redundat: denique ſi juſtâ de cau-
„ sâ timendum eſt, ne ex immodicis hujuſmodi ſumpti-
„ bus hæc, aliaque id genus innumera peccata oriantur,
„ jam dubium non eſt, quin mortaliter peccet, qui in his
„ caſibus ſumptus nimios facit. Quoniam fieri vix poteſt,
„ ut is, cujus expenſæ proprias facultates excedunt, aut
„ neſciat, aut non poſſit, vel non debeat ſcire, nimios
„ hos ſumptus ſimilibus peccatis locum dare; generatim &
„ univerſim hoc judicium fieri poteſt, hujuſmodi homi-
„ nes eſſe in ſtatu peccati mortalis, niſi, adhibito diligenti
„ cum pœnitente examine, Confeſſario conſtet de con-
„ trario ob peculiares quaſdam rationes. Reum etiam pec-
„ cati mortalis facit modus ſe ornandi, etiamſi non excedat
„ ſtatum & facultates perſonæ; nempe ſi laſciviam inſpiret
„ vel ex ſe, vel juxta communem hominum opinionem,
„ vel ſi videat, conjiciatve ſaltèm probabiliter ex occaſio-
„ ne illius, quòd inter honeſtos conditionis ſuæ viros ac

„ mu-

„mulieres nondum ſit uſitatus, non defuturos, qui amo-
„rem impudicum concipiant, conceptumque (niſi proti-
„nùs abjiciat) retineant mente, diutiùs contemnens, aut
„certè parvi faciens illorum hominum ſalutem, ſi eodem
„ornatu uti pergit, haud dubium, quin mortaliter pec-
„cet; ſicut etiam ſi veſtis inſtituta ſit ad obſcœnos vel af-
„fectus, vel motus exprimendos, aut ad illorum aliqua
„etiam præbenda indicia, ſive per diverſos illius colores,
„aut alio quolibet modo.

Hæc ſanctus de ornatu & luxu, ob quos abſolutio con-
fitentibus deneganda eſt. Hanc D. Caroli doctrinam con-
firmat S. D. N. Innocentius XI. uti patet ex epiſtolâ ſupe-
riùs relatâ. Et certè ad corrumpendam in viris caſtimo-
niam nihil efficacius, quàm ſi pectus fœminæ detectum ge-
rant; undè præclarè Chryſoſtomus ait: y *Nudæ figuræ dæ-
mon aſſidet.*

Idem ſanctus in eiſdem inſtructionibus jubet, ne vel
quidem audiantur earum fœminarum confeſſiones, quæ
immodeſto cultu ſe ipſas pœnitentiæ tribunalibus ſiſtere au-
dent. „Mulierum, inquit, earum confeſſiones non au-
„diantur, quæ ceruſſatæ veniunt, quæ fucis utuntur, quæ
„faciem ſtibio depingunt, quæ ex auribus monilia geſtant,
„quæ levibus & vanis ornamentis, quæ pannis aureis, aliiſve
„ſimilibus laſciviis promptæ ac comptæ accedunt. Et ut
„ſemel omnia dicam, quæ veſtes modeſtas non habent,
„nec ſimplici cultu incedunt, nec in capite velum aliquod
„gerunt, quod notabiliter non tranſpareat. Sic enim, gra-
viſſimè ait ſanctiſſimus & diſciplinæ tum Chriſtianæ, tum
Eccleſiaſticæ ſcientiſſimus Antiſtes, „hujus ſacramenti re-
„verentiam decet; & ità prorsùs cognitioni peccatorum,
„& de eiſdem dolori intimo conſentaneum eſt: cùm ſci-
„licet cogitare debeant, quòd ante judicium & tribunal
„Domini Dei ſui ſe ſiſtant, ac quaſi peccatrices miſeri-
„cordiam & veniam ſuppliciter de eiſdem imploraturæ ve-
„niant.

Ad hoc caput reduci etiam poteſt immodicus & maxi-
mè

y *Chryſoſt. in pſal.* 113.

mè impudicus ædium ornatus. Illæ enim, dum ſtromatibus, tabellis, & ſtatuis impudicis excultæ ſunt, magnam caſtitati labem inferunt. „Facilè, inquit graviſſimè ſexta „Synodus œcumenica, ſenſus corporei, quæ ſua ſunt *in* „animam derivant. Picturas igitur oculorum præſtigiatri-„ces, ſive in tabulis ſive aliàs propoſitas, & mentis corru-„ptrices, & ſufflammationum ad turpes voluptates incita-„trices, ſancimus, ut nullatenùs in poſterum *pingantur*; „qui autem hoc fecerit, excommunicetur. Hæc *illa Synodus* canone centeſimo. Ex quo diſcimus, quàm *illi* ſint ad percipiendum abſolutionis beneficium imparati, qui iſtuſmodi picturis ſuos parietes obtegunt.

§. 3. III. Ut Confeſſarius „videat diligenter, ne „quem abſolvat, qui odium inimicitiamve ponere nolit. Hâc in re D. Carolo conſentiunt omnes etiam illi Theologi, quorum propoſitum fuiſſe videtur, non ut corruptos mores ad Evangelii ſacroſanctam regulam dirigerent; ſed ut rectiſſimam Evangelii regulam ad corruptos mores *inflecterent*. Notiſſima enim omnibus illa Salvatoris ſententia, [z] *Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

IV. Ne quis abſolvatur, qui proximum vel in famâ, vel in rebus læſit, niſi eas vel reſtituerit, vel reſtituere ſit paratus. „Neque, inquit, quemquam reſtitutioni aut ſa-„tisfactioni obnoxiùm abſolvat, niſi debita reſtitutio aut „ſatisfactio priùs intercedat. Hæc regula præcipuè locum habet, dum fama proximo reſtituenda. Nam famæ reſtitutio plerumque ſtatim fieri poteſt. Si verò agatur de reſtitutione rei alienæ, non etiam eſt abſolutionis ſententia ſuper eum pronuncianda, antequam reſtituerit actu, vel per ſe, vel per alios; præſertim ſi, quod reſtituendum eſt, ſit magni momenti, & maximè ſi antea reſtitutionem promittens fidem fefellerit. Quòd ſi ſtatim reſtitutio præſtari nequeat, petenda ab eo, cui debetur, vel debiti relaxatio, vel ſolutionis dilatio. [a] „Quando quis, inquit S. Thomas, „non poteſt ſtatim reſtituere, ipſa impotentia abſolvit eum ab

z *Matth.* 6. 14. a 2. 2. *Q.* 62. *a.* 8. *ad* 3.

„ ab inſtanti reſtitutione faciendâ, ſicut etiam totaliter à re-
„ ſtitutione abſolvitur, ſi omninò ſit impotens. Debet ta-
„ men remiſſionem vel dilationem petere ab eo, cui de-
„ bet, aut per ſe aut per alium. Et hoc quidem ſufficit, ſi res eſt acquiſita abſque conſcientiâ criminis. Si verò cum conſcientiâ criminis ſublata fuerit aut detenta, injungenda eſt parſimonia victus & labor, ut comparet undè damnum reſarciat. [a] *Qui furabatur*, inquit Apoſtolus, *jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat necesſitatem patienti.* Interim tamen, ſi verè contritus eſt, poterit abſolvi.

§. 4. V. Ne illi abſolvantur, qui in occaſionibus criminum proximis verſantur. Evidenter enim apparet ab illis peccatum minimè odio haberi, qui ejus illecebras non refugiunt. „ [b] Non ſatis, inquit Bernardus, cecidiſſe pi-
„ get hominem, ut videtur, qui adhuc manere diſponit
„ in lubrico; aut erraſſe, qui ducem non quærit. Unde ait idem ſanctus, quòd „ ſit veræ compunctionis indicium,
„ opportunitatis ſuga, ſubtractio occaſionis.

[c] Quoniam autem plurimùm intereſt, (loquor cum D. Borromæo) „ ut Confeſſarii hâc de re planè edocti ſint,
„ hæc fuſiùs (cum eodem ſancto) explicabimus. Vocatur
„ ergo peccati mortalis occaſio, quicquid illius cauſa eſſe
„ poteſt, ſive ad id inducat per ſe, aut etiam ex conſue-
„ tudine pœnitentis, quem habitâ ratione antè actæ vitæ
„ prudenter judicat Confeſſarius ad peccatum reverſurum,
„ quamdiu in eâdem occaſione verſabitur. Inter occaſiones
„ primi generis, ſive quæ ex ſe naturâque ſuâ ſemper, aut
„ ferè ſemper ad peccatum inducunt, hæc meritò cenſeri
„ poſſunt; aleatorium omnem ludum profiteri, verbi gra-
„ tiâ, chartarum & teſſerarum, aleatores domi ſuæ recipe-
„ re, & fovere; cum eo, vel cum eâ habitare, vel in ſuâ
„ habere poteſtate, quicum ſoleas Deum offendere, ſive
„ aliam quamlibet ob cauſam perſeverare in eâdem conver-

 „ ſa-

a *Epheſ.* 4. 28. b *Serm.* 1. *de reſurrect.* c *Inſtruction. Paſtor. p.* 2. *cap.* 16.

„ ſatione, colloquiis, aſpectibus mutuis, ſimilibuſque aliis
„ incentivis libidinis. Quarè ſi pœnitens in harum omnium
„ aliquâ præſente verſetur, puta, retineat eam apud ſe per-
„ ſonam, quâ ſolet abuti ad peccatum, non debet Con-
„ feſſarius priùs abſolutionem impartiri, quàm ab eâ reapſe
„ & de facto ſeſe ſeparaverit. Quod autem alias ſpectat, ut
„ aleam, converſationem, mutuos aſpectus, nutus impu-
„ dicos, aliaque libidinis incentiva, ad abſolutionem per-
„ cipiendam ſufficit, ſi ab iis in poſterum abſtinere, ſed
„ verè ſinceréque promittant, niſi tamen ſi quis, datis
„ jam aliàs iiſdem promiſſis, ea ſugere neglexerit, quo in
„ caſu differendam abſolutionem cenſemus, donec aliqua
„ ejus emendatio appareat.

„ d Occaſiones peccati mortalis ſecundi generis ſunt, quæ
„ non inducunt per ſe homines ad peccatum, ſed per acci-
„ dens tantùm habitâ ratione perſonarum; quales ſunt res
„ licitæ quidem ex ſe, in quibus tamen, ſi diutiùs aliquis
„ perſeveraverit, veroſimile ſit ad eadem, quæ commiſit,
„ peccata rediturum: talia pleriſque ſunt hodie ſæculi no-
„ ſtri vitio, bellum, mercatura, Magiſtratus, Advoca-
„ ti Procuratoriſque Profeſſio, & ſimilia exercitia, in qui-
„ bus, qui ſæpius mortaliter peccaverit blaſphemiis, fur-
„ tis, calumniis, odiis, fraudibus, perjuriis, cùm no-
„ verit in eodem verſari ſe diſcrimine, ſi perſeveret; nec
„ ulla ratio ſuadeat adversùs peccatum firmiorem fore, quàm
„ antea, præſumere debet ad eadem crimina eſſe reverſu-
„ rum. Quarè qui ſic affecti ſunt, aut profeſſioni ſuæ re-
„ nunciare tenentur, ut ſentit Beatus Auguſtinus, aut eam
„ certè exercere cum conſilio pii cujuſdam prudentiſque
„ ſacerdotis, qui eum non abſolvat, cùm probabiliter vi-
„ det, ad eadem peccata reverſurum, ſi iiſdem in occaſio-
„ nibus permaneat, ſed certum conſtituat tempus, ut ex-
„ periatur num verè correctioni ſtudeat. Hoc autem eò
„ diligentiùs obſervandum eſt, quòd incuriâ Confeſſario-
„ rum in artes pleraſque & profeſſiones irrepſerint vitia in-
„ numera graviſſimaque peccata, ſine quibus jam videtur
„ ne

d *Ibid. c.* 18.

„ne innocentiſſimas quidem artes poſſe exerceri. Cùm in-
„ſtituuntur Magiſtratus, ea ſolemni ſæpè ſacramento pro-
„mittuntur, quæ nunquam ſervantur. Apud juriſconſul-
„tos, Advocatos, & Procuratores favorem prava litigan-
„tium intentio, defenſionemque injuſtitia reperit. Milites
„publicè favent duello, odiis, homicidiis, aleæ, blaſ-
„phemiis, rapinis & impudicitiis. Mercatores uſuras pa-
„làm exercent, pro ſinceris fucatas merces plerumque pro-
„ponunt, pretiis longè juſto majoribus omnia vendunt.
„Frequentia ſunt apud eos perjuria; fraudeſque in ſolven-
„dis peagiis & vectigalibus, aliaque innumera. Artifices
„totis diebus feſtis operi ſuo incumbunt, adeò ut plerique
„jam Deum non colant, nec ſacris unquam concionibus
„interſint, familiæque inſpirent eundem utriuſque contem-
„ptum. Undè fit, ut eorum plurimi vitam omnem in pec-
„catis mortalibus traducant, adeóque ſint prorsùs incapa-
„ces abſolutionis. Ante omnia autem danda eſt opera ut
„abſtrahantur ab occaſionibus, quæ improbitatem hanc
„aluerint, reddanturque fortiores, quàm anteà.
„ Oportebit eum ſeveriorem eſſe rigidioremque circa eas
„actiones & exercitia, quæ reipublicæ inutilia ſunt, aut
„minimè neceſſaria, quæ licet ex ſe naturâque ſuâ certò
„homines non inducant in peccatum mortale, dant tamen
„propenſionem aliquam ad malum, & ſæpiſſimè pertra-
„hunt ad diverſa peccata. Hujuſmodi ſunt, choreis in-
„tereſſe, cum blaſphemis verſari ſæpiùs, aut rixæ deditis,
„popinas frequentare, indulgere otio, & id genus alia,
„quæ conſuetudinem afferunt peccandi mortaliter, tùm
„abſolutionem non debet impartiri, quin his omnibus re-
„nunciet pœnitens, ſpondeatque deinceps ea cavere dili-
„genter. Si tamen ſpem aliquam de ſuo pœnitente Confeſ-
„ſarius concipit, ſemel iterumque poterit abſolutionem
„indulgere, eâ tamen ſemper lege, ut ſi in iis diutiùs im-
„moretur, eam poſteà differat, donec certis & eviden-
„tibus indiciis conſtet, illum ab his occaſionibus penitùs
„eſſe ſegregatum.

Ab hâc Smi. Antiſtitis doctrinâ non ſinat ſe Confeſſarius

 abdu-

abduci falſâ miſericordiâ erga iſtos, qui dicunt, ſi hanc domum, ſi hoc officium deſeram, deeſt undè vivam. Nam contra iſtiuſmodi excuſationes in peccatis audiendus Dominus, qui ait: [e] *Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Neque attendendi, qui dicunt: Si hujus vel iſtius conſortio deſtituar, vel inops, vel miſer vivam; Nam Dominus dicit: [f] *Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.* Neque magna ratio habenda illorum, qui ut in occaſionibus peccatorum proximis ſordeſcant, lamentando dicunt; ſi hoc aut iſtud fecero, veniam in ſuſpicionem criminis: Nam Salvator noſter damnat eos, qui [g] dilexerunt gloriam hominum magìs, quàm gloriam Dei. Nulla eſt ergo peccandi neceſſitas, ,, quia una eſt, ſicuti præclarè Tertullianus ait, ,, non peccandi neceſſitas.

§. 5. VI. Ut illorum ſacerdos retineat peccata, qui ſe ſemper in confeſſione accuſant, & nunquam emendant. ,, [h] Eos, inquit, nempe Confeſſarios, monitos volumus, ,, differendam eſſe abſolutionem, donec aliqua correctio ,, appareat, iis pœnitentibus, quos veroſimile eſt ad eadem ,, peccata ſemper redituros, quicquid contrà affirment. ,, Cujuſmodi ſunt præſertim juvenes, otio ut plurimum de- ,, diti, qui majorem vitæ ſuæ partem conſumunt in ludis, ,, comeſſationibus, ebrietatibus, & impudicitiis, blaſphe- ,, mi, detractores, turpiloquio addicti, innumeriſque ,, id genus vitiis; qui ſemel tantùm quotannis ſub finem ,, quadrageſimæ ſeſe ſacerdoti ſiſtunt ad confeſſionem, ſicut ,, & univerſim omnes, qui per plures annos in iiſdem pec- ,, catis perſeverant abjecto omni correctionis ſtudio.

En quot confitentium generibus S. Borromæus abſolutionem differendam cenſet, idque jure meritiſſimo: nam illi, qui ſe ſæpe in tribunali pœnitentiæ accuſant nec emendant, ſine vero dolore ſeſe accuſare cenſendi ſunt. Hoc judi-

di-

e *Matth.* 6. 33. f *Matth.* 5. 29. g *Joan.* 12. 43. h *Inſtruct. Paſt. part.* 2. *cap.* 15.

dicium de iſtis hominibus tulit Auguſtinus, dum pro concione dixit: „ [i] Multi aſſiduè ſe dicunt eſſe peccatores, & „ tamen adhuc illos delectat peccare. Profeſſio eſt; non „ emendatio. Accuſatur anima; non ſanatur. Pronuncia-„ tur offenſa, non tollitur. Hoc ſancti Auguſtini de iſtiuſmodi confeſſionibus judicium. Si nunc aliter Confeſſarii judicent, non hoc illis revelavit Pater cœleſtis, ſed caro & ſanguis, quæ non ſapiunt quæ Dei ſunt, nec quærentes quæ ſunt Jeſu Chriſti, ſuadent Confeſſariis dulcia properatæ abſolutionis & communionis venena confitentibus propinare, ut illi infideli & cæca diſpenſatione, hi ſacrilegâ communione pereant in æternum. Hoc periculum ut Confeſſarii & pœnitentes evadant, ſequantur illa divinæ ſapientiæ lumina, quæ Pater æternus Eccleſiæ ſuæ revelavit, & quæ ſanctus Carolus tanto ſtudio præcedenti ſæculo prædicavit.

§. 6. Has Caroli regulas, dum laudat Saleſius, ſuas facit. Eas autem laudat, ac docet eſſe ſequendas, conſtitutionum Synodalium tit. 9. cap. 5. num. 3.

Has Caroli regulas ſecutus eſt Emmus Cardinalis Grimaldi Aquæ Sextiæ in Provinciâ Archiepiſcopus, quando juſſit, ut omnes, qui in ſuâ diæceſi confeſſionibus audiendis vacant, in caſibus ſequentibus abſolutionem aut negarent, aut differrent.

Si (pœnitens) quampiam inimicitiam gerit, & ex animo non ignoſcit, ſuâque ex parte detrectat facere, quod oportet, ut cum inimicis in gratiam redeat.

Quando pœnitens eſt in proximâ peccati mortalis occaſione, ſi queat illam deſerere, abſolvendus non eſt, donec eam deſeruerit: ſin autem deſerere nequeat, ſuſpendenda eſt abſolutio, donec ſint emendationis ſigna & argumentum credendi, quòd impoſterum à lapſu in peccatum ſeſe abſtinebit, ſecundùm ſalutares, quas Confeſſarius illi præſcribet, medelas.

Neque impertienda eſt abſolutio iis, qui peccandi occaſionem aliis præbent, niſi eam tollant, medeanturque, quan-

i *Serm. 7. de tempore.*

quantùm ab ipſis dependet, malo, cui locum dederunt. Hujuſmodi ſunt:

1. Illi, qui tenent congregationes, in quibus impia perpetrantur, blaſphemiæ, exceſſus, nimiæ libertates, aut alia crimina.

2. Illi, qui habent picturas & effigies laſcivas, quæque ad peccatum inducere queunt; item & illi, qui eas conficiunt, aut divendunt.

3. Illi, qui componunt, imprimunt, aut divendunt pravos libros, aut ſcripta, quæ continent quæpiam contra fidem, aut impudica contra probos mores.

4. Mulieres item & filiæ, quæ pectore nudato incedunt, dum ſufficienter monitæ fuerunt de malitiâ, quæ in immodeſto illo ſe veſtiendi modo comperitur: nihilo magìs danda eſt illis S. Synaxis, dum ad eam ità accedunt.

5. Illi qui artem aliquam profitentur, aut opificium, quæ exercere ſine offensâ Dei ſibi moraliter impoſſibile eſſe experientiâ edocentur, niſi promittant deſerere.

6. Differenda eſt abſolutio iis, qui ſunt intricati conſuetudini cujuſdam peccati mortalis, donec emendationis ſigna in iis videantur.

7. Neque abſolvendi ſunt, qui ignorant potiſſima fidei noſtræ myſteria, &c.

8. Illos quoque, qui laborant ignorantiâ eorum, quæ neceſſaria ſunt, quæque pro ſtatu ſuo & conditione ſcire tenentur, oportet non abſolvere; item & illos, qui hâc in parte notabiliter deficiunt. De quibus, hoc eſt, peculiari obligatione conditionis & ſtatus uniuſcujuſque, interrogandi ſunt ſedulò pœnitentes à confeſſariis; atque eam ob cauſam oportet hos ipſos probè inſtructos eſſe.

9. Neganda eſt abſolutio peccatoribus publicis, ac iis, qui dederunt publicè ſcandalum, donec etiam publicè ſatisfecerint, & quoad potuerint ſcandalum ſuſtulerint.

10. Eccleſiaſtici, qui ſacris ordinibus initiati, aut beneficiati non geſtant habitum & tonſuram Eccleſiaſticam, aut quibus illegitimè de beneficio proviſum fuit, aut qui abſque cauſâ legitimâ non reſident, remittendi ſunt abſque abſolutione, &c....

Hæ regulæ, quas Confeſſariis præfixit Cardinalis Grimaldi, verè Eminentiſſimus, ſive vitam à faſtu alienam, ſive totius familiæ diſciplinam, ſive paſtoralem ſollicitudinem, aliaſque ſpectes virtutes, quibus oportet Eccleſiæ præſules eſſe illuſtres.

Hæ regulæ tantò magis obſervandæ, quòd eas non ipſe finxit, ſed à Carolo Borromæo, qui glorioſè cum Chriſto regnat in cœlis, eſt mutuatus: ſicut eas Carolus à ſanctis ipſum præcedentibus acceperat.

Has regulas, ſi ſequantur Confeſſarii, ſpiritum pœnitentiæ in Eccleſiâ nutrient, lapſos peccatorum ſervitute eripient, & ædificabunt Eccleſiam, quæ clavium regni cœlorum cuſtos & adminiſtra eſt, & ceſſabit uſus citarum & inutilium abſolutionum, quibus fidelium mores turpiſſimè corrumpuntur, & Eccleſiæ veneranda facies turpiter maculatur: „Nihil enim reperire eſt (cum beato Saleſio lo„quor) quod illam majori contemeret probro, & tantope„rè enervet illius diſciplinam, quodque peccatorem ini„quitatibus ſuis atque abominationibus æquè faciat indor„miſcere, quàm abſolutionis abuſus, quem admittunt „ſacerdotes, illam impertiendo pediſſequi & mancipii in„ſtar magìs, quàm judicis, remiſſo flagitioſoque compla„cendi animo, atque imprudenter ante ſerium examen, „num dignus ſit pœnitens, illam præcipitando.

CAPUT XV.

I. Inſtructio confeſſariorum juſſu tertii Concilii provincialis Mediolanenſis à ſancto Carolo compoſita, & à quarto Concilio provinciali ut ſervaretur iterum fuit commendata. 2. Ab Epiſcopis Galliæ adunatis in comitiis inſtructiones S. Caroli, ad omnes totius regni Epiſcopos fuerunt miſſæ, ut juxta illas ſacramentum pœnitentiæ adminiſtrari juberent. 3. Illas Carolus poſterioribus ſcriptis non emollivit, ſed confirma-

mavit, juſſitque, ut, quicquid in illis præcipitur, executioni fideliter mandetur. 4. *Ne quid inſtructionibus deeſſet, additamenta à Carolo ſcripta fuerunt, quibus jubet, ut illi, qui rarò confitentur, & qui criminum rei ſunt, non in fine, ſed in initio quadrageſimæ confiteantur.* 5. *A decimo ſæculo moris fuit in Latinâ Eccleſia, ut in die cinerum rei graviorum peccatorum confitentes peterent actionem pœnitentiæ, abſolvendi hebdomada ſancta.* 6. *Ab illis, qui tempore paſchali confitentur, antequam abſolvantur, & ad communionem admittantur, exigi poteſt, ut primò ſatisfaciant.* 7. *Carolo adverſantur qui aſſerunt confeſſarium debere fidem pœnitenti adhibere, dum ſe dicit percipiendæ abſolutioni eſſe idoneum.* 8. *Exponitur quando confitenti in pœnitentiæ tribunali habenda fides.* 9. *Iſtud etiam docetur verbis Contenſonii.*

§. I. AUctoritatem harum regularum nonnulli ut elevarent, auſi fuerunt aſſerere, eas à Carolo adhuc ætate & ſapientiâ immaturo compoſitas, ab eodem cùm major ætas & ſapientia ipſi acceſſiſſent, fuiſſe correctas. Verùm qui hæc dicunt, iſtos æmulantur, qui Carolum, cùm inter mortales mortalis viveret, maledicâ linguâ, & ſtylo amarulento perſequentes, decreta Conciliorum ab ipſo celebratorum UT DURA, ET INIQUA, ET NOVA calumniabantur. Hæc calumnia minùs execranda erat, cùm Carolus adhuc carnem gereret peccati, cùm ejus decreta necdum judicio Apoſtolicæ Sedis probata erant, & cùm necdum Carolus ſanctorum faſtis adſcriptus eſſet. Verùm hæc in Caroli inſtructiones effutire, poſtquam illæ Apoſtolicæ Sedis judicio, ac totius orbis conſenſu comprobatæ

batæ fuerunt, & poſtquam ipſe in cœlis cum Chriſto glorioſiſſimè regnat; quid hoc aliud, quàm in cœlum os ponere, & quàm in terrâ impudentiâ linguæ, & ſtyli furore ſævire in famam & venerationem ſanctiſſimi Antiſtitis? Sed has calumnias ordine refutemus.

Inſtructiones compoſitæ fuerunt à Carolo, poſtquam ſub avunculo ſuo Pio quarto, ſummâ cum ſapientiæ & ſanctitatis laude rexiſſet Eccleſiam, poſtquam Cleri & populi Mediolanenſis mores in omnia flagitia effuſos frœno caſtiſſimæ diſciplinæ cohibuiſſet; poſtquam variis in conciliis tam provincialibus, quàm diœceſanis cœleſtem, quâ plenus erat, prudentiam oſtendiſſet; poſtquam duodecim, & ampliùs, annos cum totius mundi admiratione Mediolanenſem adminiſtraſſet Eccleſiam; demùm poſtquam Deus variis ipſum miraculis & prodigiis nobilitaſſet.

Nec ſolùm compoſitæ fuerunt ex unius Caroli arbitrio, verùm ex decreto tertii Concilii Provincialis ab eodem ſancto & compoſitæ & editæ fuerunt, quod ipſemet teſtatur in Concilio quartò Provinciali ità loquens: „Inſtru-„ctiones ad ſacramentorum & pœnitentiæ & ſacræ com-„munionis adminiſtrandorum uſum cultumque pertinen-„tes à nobis Concilii Provincialis tertii decreto confectas „atque editas in ſuâ quiſque urbe, diœceſique Epiſcopus „ſervari omni diligentiâ curet.

Oportet itaque maximam fuiſſe ejus hominis temeritatem, qui auſus fuit ſcribere, inſtructiones à Carolo compoſitas editaſque fuiſſe in primo ſuo Provinciali Concilio. Si, qui hæc ſcripſit, Caroli inſtructiones legiſſet, in ipſis inſtructionibus inveniſſet, unde de mendacio ineruditionis ſuæ erubeſcere fuiſſet coactus. Nàm ipſe ſanctus in illis citat & laudat non ſolùm primum verùm etiam tertium Concilium Provinciale. „[k] Auvertiſca di non aſſolvere pu-„blici ò ſcandaloſi peccatori, ſenza ingionger loro publica „ſatisfactione, è penitenza proportionata al ſuo errore; ac-„cioche con la correctione loro ſodisfaccino allo ſcandalo „dato, in conformità del Concilio di Trento, è di quel-

k *Act. part. 2. inſtruct. Confeſſ.*

„ lo che s'è ordinato ſopra di queſto nel primo e terzo no-
„ ſtro Concilio provinciale. Ante hæc verba idem ſanctus in eiſdem inſtructionibus itidem laudaverat ſua concilia provincialia, & ſpeciatim tertium. Quomodo autem tertium provinciale Concilium laudare potuiſſet, niſi inſtructiones illud ſubſecutæ fuiſſent?

Porrò ſicuti quartum Concilium, in quo obſervatio inſtructionis oppidò commendatur, poſtquam infeſtis aliquorum Purpuratorum Patrum judiciis diſcuſſum & examinatum fuerat, nihilominùs tamen à Romanâ Sede laudatum & probatum fuit, vincente malevolorum conatus ſcientiâ ſanctorum, quâ Carolus elucebat; ità dici poteſt inſtructiones decreto iſtius Concilii confirmatas obſervarique juſſas etiam à Romanâ Sede eo cum Concilio approbatas fuiſſe.

§. 2. Cùm Comitia Epiſcoporum *Galliæ*, quæ annis 1655. 1656. 1657. in urbe Pariſinâ adunata fuerunt, doctrinæ corruptelis, quibus plurimorum Caſuiſtarum libros infectos dolebant, & inſcitiæ, quâ Confeſſarios in diſcernendâ criminum gravitate, iſtique facilitati, quâ ipſos in illis relaxandis, ad maximam animarum perniciem uti ſciebant, reſiſtendum eſſe judicaſſent, nihil crediderunt à ſe conſultiùs fieri poſſe, quàm ſi Beatiſſimi Caroli inſtructiones ex Italâ in Gallicam linguam tranſlatas, & malæ Caſuiſtarum doctrinæ, & pernicioſæ Confeſſariorum indulgentiæ opponerent. Eas itaque Cleri ſumptibus imprimi, & impreſſas ad omnes Galliæ Epiſcopos dirigi jubent, ut omnes Confeſſarii ex illis diſcerent, „ quâ ratione in ſui offi-
„ cii adminiſtratione ſe gerere debeant. Cùm autem eas ad omnes totius regni Epiſcopos deſtinarent, ut in illorum diœceſibus publicarentur, hæc, ex quibus ipſorum de illis exiſtimatio elucet, inter cætera ſcribunt. „ Nulli dubi-
„ tamus, quin gratum ſitis habituri, quòd veſtris in ma-
„ nibus poſuerimus dogmata adeò ſancta, adeoque neceſſa-
„ ria hiſce temporibus, quæ finis & fæx ſæculorum dici
„ merentur. Quando autem veſtrâ auctoritate in veſtris
„ diœceſibus publicabuntur, iſtâ virtute & gratiâ pollebunt,

„ qui-

„ quibus opus eſt eis, ut medicis & ægris utiles evadant.
„ Vos itaque obteſtamur, ut in hac occaſione poteſtatem,
„ quâ vos Deus inſtruxit, exeratis, tum ad cohibenda illa
„ criminum diluvia, quibus divina ira, ne Galliæ parcat,
„ laceſſitur; tum ad reſtaurandam in fidelium mentibus ca-
„ ſtiſſimam Evangelii doctrinam, cui ab aliquo tempore
„ tanta labes illata fuit. Hæc in Comitiis adunati Gallia-
rum Epiſcopi, ut oſtendant Inſtructiones D. Caroli cœ-
leſti ſapientiâ contra inſcitiam Confeſſariorum, & divinâ
puritate ad pellendas Caſuiſtarum corruptelas, & neceſſariâ
pollere virtute ad ſanandum quicquid in populi moribus
corruptum, & à ſanctiſſimâ Evangelii doctrinâ degener
ac ſpurium eſt. Hæc cogitent atque recogitent, qui tam
irreligioſi ac temerarii fuerunt, ut accuſaverint, tanquam
immaturum juvenilis ingenii fœtum, à majori ætate cor-
rigendum, inſtructiones ſanctiſſimi Antiſtitis, tametſi ab
eo, non vigeſimum ſeptimum, ſed trigeſimum quintum
ætatis annum agente, jamque cœleſtibus luminibus ad pro-
digium illuſtrato conceptas, tametſi ex decreto Concilii ter-
tii provincialis ab eo compoſitas, atque à Sede Romanâ
laudatas, tametſi à Comitiis Epiſcopalibus celebratas tan-
quam præſtantiſſimum & præſentaneum remedium, quod
Confeſſariorum inſcitiæ, & crudeli in peccatores indulgen-
tiæ, ac perverſis populi moribus opponi mereatur.

§. 3. Deinde tametſi inſtructiones à Carolo adhuc juve-
ne compoſitæ fuiſſent, inde nemo confecerit, eas partum
eſſe crudi & intemperantis Zeli: etenim quo major fiebat
ætate, eò ſeveriorem diſciplinam introducere ſatagebat.
Undè in ultimâ Synodo diœceſanâ, „[1] Deploravit incre-
„ puitque ſegnitiem ſuam, irritos conatus, & ſtatum, in
„ quo relicturus Eccleſiam hanc ipſe eſſet. Quæ cùm dice-
„ ret, retulit veteris Hieroſolymitani templi exemplum,
„ cujus fabrica dum inſtauraretur, juvenes quidem gaudio
„ exiliebant, ſed ſeniores alii, qui viderant antiquæ molis
„ majeſtatem, illacrymabantur. Ad eum nempe modum,
„ ajebat in Synodo Clerum ſuum alloquens etiam ipſos for-
„ taſſe

1 *Riepamont. lib. 6. vitæ S. Caroli.*

„ taſſe lætari nonnullâ imagine diſciplinæ, quæ tot labori-
„ bus, & curis, & parendi invicem ſtudio effecta & con-
„ ſtituta videretur; ſed ſi primævæ Eccleſiæ ſanctimoniam,
„ puroſque animos, queis ætas illa numen coluiſſet, ocu-
„ lis ſubjeciſſent, ex comparatione intellecturos, quàm ad-
„ huc multa deeſſent ſibi, & unà cum miſero Clero Epiſco-
„ pum infelicem poſſe commoveri, ne temperaret à lacry-
„ mis.

Hæc Carolus in ultimâ Synodo, ut omnes cogantur agnoſcere ipſum in ætate magis adultâ non mitigaſſe, quæ juvenis decreta condi ſerat, ſed coram Deo cogitaſſe adhuc ſeveriora eis addenda eſſe.

Quàm autem ab omni ſpecie veri alienum ſit, quod quidam ſcribere auſus fuit; nempe Carolum aliis, quas de pœnitentiâ edidit, inſtructionibus rigorem priorem temperaſſe, hîc manifeſtari non erit inutile.

Scripſit Italâ linguâ Carolus quaſdam inſtructiones, quæ voluit ut ſervarentur à Regularibus, quibus in ejus diœceſi, ut confeſſiones audirent, facultas conceſſa erat. Verùm nihil in illis reperitur, quod generales inſtructiones, omnibus, qui ſub illius curâ ſacramentum pœnitentiæ adminiſtrabant, ab eo præfixas non potiùs confirmet, quàm enervet, aut emolliat.

„ Statuit enim, ne Regulares iis impertiantur abſolutio-
„ nem, qui reſtitutionibus, ſolvendiſque piis legatis ob-
„ noxii ſunt, niſi priùs iſti officio faciant ſatìs, ſi, cùm
„ poſſent, illud neglexerunt, & in præcedenti confeſſione,
„ tametſi alteri ſacerdoti factâ, de eo adimplendo moniti
„ fuerunt: hoc tamen, inquit, non ſervandum ergà illos,
„ qui periculosè ægrotant.

„ 2. Jubet, ut nec concubinariis, nec uſurariis publicis,
„ poſtquam ſemel eos ad communionem admiſerunt, ſi ni-
„ hilominùs in ſuis exitioſis affectibus perſeverent, iterùm
„ ad communionem admittant, niſi reapsè emendationem
„ oſtenderint.

„ 3. Ait monendos eſſe Confeſſarios Regulares, ne illos
„ abſolvant, qui falſum coram judicibus jurantes, aut bo-

„ nis,

„ nis, aut famæ proximi damnum intulerunt, niſi priùs
„ quâcumque poſſibili ratione illud reparaverint.
„ 4. Ait oportere, ut conſcientias confitentium diligen-
„ ter examinent, ut cognoſcant an non uſurarios aliosque
„ illicitos contractus inierint; quod ſi illos invenerint reos,
„ nullatenus eos abſolvant, niſi prævié juxta canones ſa-
„ tisfecerint.
„ 5. Mandat, ut diligentem operam ponant in eradican-
„ dis è confitentium cordibus iis peccatis, quæ ex habitu,
„ ſive inolitâ propenſione animi perpetrantur; qualia ſunt
„ inimicitiæ, obſtinatio litigantium in judicio, cavilli ad-
„ vocatorum, vendere aut operari diebus feſtis; qualia ſunt
„ muſicis inſtrumentis, ut inde lucra quærantur, in cho-
„ reis per dies feſtos ludere; chartis, aut aleationi, aliiſque
„ ludis vacare, minio faciem pingere, criſpare crines, alia-
„ que ſibi luxus & vanitatis ornamenta adaptare: atque
„ hæc, inquit, minimè in viduis puelliſque innuptis ferri
„ debent; ſicuti nec lectio librorum, qui ad laſciviam ex-
„ citant, aut in indice librorum prohibitorum proſcripti
„ ſunt.
„ 6. Præcipit, ut ſciant canones pœnitentiales, moneant-
„ que pœnitentes, quas pœnas juxta diſciplinam priſcæ
„ Eccleſiæ ſubire ipſi deberent, ut cognoſcentes quantâ er-
„ ga ſe indulgentiâ nunc agatur, tantò magis crimina, qui-
„ bus eluendis à priſcâ Eccleſiâ tam graves pœnæ ſtatutæ
„ fuerunt, exhorreſcant ac deteſtentur.

Quid quæſo in hiſce inſtructionibus, quod prioribus & generalibus D. Caroli inſtructionibus adverſetur? Quid, quod diſſolvat juſtam earum temperiem? Quid, quod eas non corroboret atque confirmet? Cùm veritatis itaque, & D. Caroli injuriâ dicitur, quòd poſterioribus inſtructionibus priorum temperaverit ſeveritatem.

Tempore Jubilæi, annoque ſancto edidit quædam monita ab iis ſervanda, qui eo tempore pœnitentiæ tribunalibus præſiderent. Illa verò monita hâc ratione orditur.
„ Cùm annis ſuperioribus Inſtructiones ediderimus ab iis
„ ſervandas, qui in hâc civitate & diœceſi confeſſiones ex-

„ ci-

„ cipiunt, & cùm illa complectantur plurima maximi mo-
„ menti documenta, quæ ſpectant ad rectam ſacramenti
„ pœnitentiæ adminiſtrationem, ſupervacaneum foret, ea
„ hîc iis præſcribere, quos ſelegimus, ut confeſſiones ex-
„ cipiant hoc ſacro tempore, quo S. D. N. hanc urbem at-
„ que diœceſim Jubilæo donavit. Nihilominùs tamen iis
„ omnibus mandamus, ut eas inſtructiones diligenter ite-
„ rum atque iterum legant, & quicquid in illis præcipitur,
„ executioni fideliùs mandent, quàm nonnulli hactenus fe-
„ cêre. Debent itaque eas ſuæ memoriæ admodùm habere
„ præſentes, magnâque ſollicitudine, quæ ſtatuunt, exe-
„ qui; præſertim ea, quæ iſtis articulis continentur, ubi
„ agitur De internâ & externâ pœnitentium præparatione.

„ De illis, qui non curant ut ſuæ proles ac familiares ſciant
„ ea, quæ ad fidem ſalvantem placitoſque Deo mores ne-
„ ceſſaria ſunt.

„ De Patribus familias, qui ſuæ familiæ non intendunt,
„ neque rectè conſulunt.

„ De ſuperbis virorum ac mulierum pompis, atque or-
„ natu.

„ De illis, qui ex animi propenſione ſive habitu peccant,
„ qui licèt annis ſingulis ſua peccata confiteantur nulla, ta-
„ men veræ converſionis & emendationis ſigna edunt.

„ De neceſſitate ſubducendi ſeſe è peccati occaſionibus.

„ De neceſſitate reſtituendi aliena, debitaque ſolvendi,
„ piaque præſtandi legata, ac reparandi læſam proximi fa-
„ mam, antequam quis abſolutione donetur.

„ De ſatisfactionibus & pœnitentiis publicis.

„ De inducendis pœnitentibus ad generalem confeſſio-
„ nem, frequentemque confeſſionem ac communionem.

„ De præbendo pœnitentibus neceſſaria conſilia & adju-
„ menta, ut in viâ ſalutis ambulare & perſeverare faciliùs
„ queant.

„ De iſtis aliiſque omnibus, in quibus ſæpè ignoranter
„ peccatur, uti cùm aſſervantur libri, & picturæ, ac ſta-
„ tuæ laſcivæ, cùm domus & loca ludis adaptata retinen-
„ tur, cùm illa malæ vitæ hominibus elocantur, cùm po-

„ pi-

„ pinæ tenentur, in quibus compotationes, aleationes in-
„ ſtituuntur, & in quibus perditi pudoris mulieres com-
„ morari, & ſaltationes ac choreæ, aliæque vetitæ actio-
„ nes diebus feſtis agi ſinuntur.

„ De mercaturâ & negotiatione, ac præſertim de cam-
„ biis, aliiſque omnibus tam ſollicitè ac diligenter confiten-
„ tes interrogent atque diſcutiant, ut reverà è tenebris ac
„ dæmonum ſervitute liberentur, nec ipſi cum confiten-
„ tibus pereant in æternum.

Hæc Carolus iſtis in monitis, ex quibus luce meridianâ clarius evadit ſanctiſſimum Antiſtitem inſtructiones in uſum Confeſſariorum à ſe compoſitas non retractaſſe, ſed ut ſervarentur, vehementer commendaſſe, eoſque ne minimam quidem veritatis rationem habuiſſe, qui non fuerunt reveriti aſſerere, ſanctiſſimum ac divinæ prudentiæ Præſulem correxiſſe, quæ præ Zelo magìs fervido, quàm oculato in ſuis generalibus inſtructionibus ſervari mandaverat.

§. 4. Sanctiſſimus Antiſtes, ne quicquam ſuis generalibus Confeſſariorum Inſtructionibus deeſſet, appendices, ſive additamenta quædam compoſuit, in quibus continentur aliqua monita à Parochis urbis Mediolanenſis ſpeciatim obſervanda: verùm iſtis in additamentis nil continetur, quod Inſtructionibus vel minimùm adverſetur. Docet iſtis in appendicibus, non in ſeptimanâ ſanctâ, ſed potiùs in quadrageſimæ initio pœnitentiæ tribunal adeundum eſſe. „Difficilè, inquit, admodùm eſt, ut is benè confi-
„ teatur, qui cùm rarò confiteatur, expectat tamen uſ-
„ que ad iſtos ultimos ſeptimanæ ſanctæ dies, quibus omnes
„ parochi & confeſſarii magìs, quàm ullo alio anni tem-
„ pore, impediti occupatique ſunt officiis divinis, admi-
„ niſtratione aliorum ſacramentorum, functionibus Eccle-
„ ſiaſticis, & audiendis tantorum hominum Confeſſioni-
„ bus; atque circa illud tempus ad confeſſionis tribunalia
„ confluere videntur adeò, ut nec ſuo muneri ſatisfacere,
„ nec conſcientiarum latebras excutere, nec aliis confiten-
„ tium neceſſitatibus rectè conſulere queant. Omni itaque
„ eis diligentiâ curandum erit, ut ſui Parochiani omnes an-

„ te

„ te Dominicam palmarum ſua peccata confeſſi ſeptimanam
„ ſanctam, in quâ ſacerdotes non confeſſionibus audiendis;
„ ſed ſolis reconciliationibus vacare oportet, ſanctè tranſi-
„ gere queant.

Deinde docet, quâ ratione Parochi eum morem introducere poterunt; nempè privatim & publicè per ſe ipſos, & per Prædicatores in Dominicâ ſeptuageſimæ duabuſque primis quadrageſimæ Dominicis monendo & exhortando populum, ut ante Dominicam palmarum ſua velint peccata confiteri. Hæc ſanctioris diſciplinæ monita inſtructiones non corrigunt, ſed perficiunt; non emendant, ſed conſummant. Ubi ergo invenient obtrectatores D. Caroli, quòd ſuas Inſtructiones tanquam crudæ ætatis & immaturæ ſapientiæ fructum caſtigaverit, quòd illarum inflexerit rigorem, emolliverit duritiem?

Deinde adverti velim, S. Carolum non ſolis Parochis, quemadmodum aliqui reclamantibus ejus verbis audent aſſerere, ſed univerſis ſuæ diœceſeos ſacerdotibus mandaſſe, ut in ſeptimanâ ſanctâ non audiendis confeſſionibus, ſed ſolùm reconciliationibus operam darent. „ [m] Nella quale
„ (ſettimana ſanta) li ſacerdoti non habbino da occuparſi
„ in queſto, ſe non per le reconciliationi. Ubi ergo ſanctus inter Parochos alioſque ſacerdotes non diſtinguit, etiam nos diſtinguere non debemus.

§. 5. Ut autem hæc ſaluberrima ſancti Caroli diſciplina magìs æſtimetur, non poſſum hîc non referre à decimo ſæculo in Eccleſiâ Latinâ moris fuiſſe, ut in die cinerum graviorum peccatorum rei confitentes, actionem pœnitentiæ poſtularent. Hujus diſciplinæ locuples teſtis ſanctus Burchardus Wormatienſis Epiſcopus, qui claruit ſub initium undecimi ſæculi. Etenim decretalium lib. 19. cap. 1. ex pœnitentiali Romano hæc verba refert. „ Hebdomadâ priori
„ ante jejunium Quadrageſimæ presbyteri plebium convo-
„ cent ad ſe populum, & diſcordantes canonicâ auctoritate
„ reconcilient, & omnia jurgia ſedent, & tunc primùm
„ confitentibus pœnitentiam dent; ità ut antequam caput
„ je-

m *Act. parte. 2. Inſtruct. Conf.*

„ jejunii veniat, omnes confeſſi pœnitentiam acceptam ha-
„ beant, &c. Capite autem ſecundo ejuſdem libri id ipſum clariùs tradit, dicens: Presbyteri admonere debent ple-
„ bem ſibi ſubjectam, ut omnis, qui ſe ſentit mortifero
„ peccati vulnere ſauciatum, feriâ quartâ ante quadrageſi-
„ mam cum omni feſtinatione recurrat ad vivificatricem ma-
„ trem Eccleſiam; ubi, quod malè commiſit, cum omni
„ humilitate & contritione cordis ſimpliciter confeſſus, ac-
„ cipiat remedia pœnitentiæ ſecundùm modum canonicis
„ auctoritatibus præfixum. Idem mos viguit ſæculo duodecimo, ſicut teſtatur Petrus Bleſenſis, ejus ævi magnum decus. Nam ſermone, quem habuit in die cinerum, ità loquitur. „ In principio jejunii debet quiſque criminalia
„ peccata purè & humiliter confiteri; in fine venialia,
„ quæ contraxit.

Tempore ſancti Thomæ, qui ſæculi decimi tertii clariſſimum ſidus fuit, eadem conſuetudo perſeveravit; uti is ſanctus indicat, dum in opuſculo de S. Sacramento ità loquitur: „ n Statuti ſunt ante Paſcha 40. dies pœnitentiæ, ut
„ his peractis in jejuniis & orationibus & continentiâ &
„ bonis operibus, tunc poſſint communicare pœnitentes
„ cum aliis bonis Chriſtianis. Supponit enim his verbis ſanctus Thomas, pœnitentes, editâ in capite quadrageſimæ criminum confeſſione, accepiſſe actionem pœnitentiæ, quâ ſe per totam quadrageſimam expurgantes in die cœnæ Domini mererentur abſolvi.

In ſacris ritibus ac precibus, quibus cineres fidelium capitibus imponuntur, hujus etiam moris veſtigia hærent impreſſa. Teſtatur quoque Bellarminus Societatis Jeſu & purpuratorum Patrum magnum decus, Tridentinos Patres, cùm approbarent, ut fideles in quadrageſimâ ſuorum peccatorum exomologeſim facerent, intendiſſe ut id fieret, *non in fine, ut abuſus irrepſit, ſed initio hujus temporis, ut olim rectè conſtitutum fuerat*. Fideles itaque priſco Eccleſiæ mori, & intentioni Tridentinorum Patrum religioſiùs reſpondebunt, ſi in capite jejunii crimina con-

n *Cap. 16.* o *Bellarm. in notis ad Decreta Concilii Trident.*

ſitentes actionem pœnitentiæ petant, & poſt quadrageſimæ tempus in vigiliis, jejuniis & orationibus decurſum in ſeptimanâ ſanctâ Deo reconcilientur, in Paſchate Agni, qui tollit peccata mundi, carne reficiendi. Undè non poſſum non vehementer cooperarios & conſervos meos obſecrare, atque hortari, ut hunc ſaluberrimum morem inſtaurare ſatagant, certi, ſtabiles converſiones indè ſecuturas, excluſis illis inconſtantibus, quæ cum Paſchali octavâ, vel etiam citiùs evaneſcunt. Ut hôc in ſtudio præeuntem habent Carolum, ità eundem habebunt in cœlis faventem, ſuiſque ipſos precibus adjuvantem. Hic verò mos ipſos novo onere non gravabit, verùm novo ſolatio ſublevabit; dum illas curas & anxietates, quas ipſos in confeſſionibus criminum audiendis, & in criminibus dijudicandis curandiſque pati neceſſe eſt; transferet à pœnosâ hebdomadâ, in quâ divinorum officiorum longior ſeries, functionumque Eccleſiaſticarum major numerus, in liberiora tempora, & reorum cauſis audiendis inſtruendiſque magis apta, ut in anniverſariâ paſſionis Dominicæ ſeptimanâ de ſolâ reconciliatione peccatorum, & pœnarum remiſſione ipſos liceat gaudere, iſtiuſque Patris perſonam exhibere, qui piis lætiſque lacrymis prodigo pœnitenti obviabat, citò ei & honorem ſtolæ primæ, & cœleſtis ſuæ menſæ dapes redditurus.

§. 6. Si qui tamen ut Paſchalis victimæ ex lege Lateranenſis Concilii participes fiant, ſua crimina non velint, niſi vel in ſeptimanâ ſanctâ, vel in hebdomadâ Paſchali confiteri, indè tamen ſacerdoti non fit licitum, ut eos abſolvat, quorum pœnitentia adhuc immatura eſſe cognoſcitur, vel quia nullam operam dederunt, ut ſe ab occaſionibus peccatorum proximis expedirent, vel quia nullis pœnitentiæ fructibus probare poſſunt ſe eſſe converſos, vitamque mutaſſe, vel quia ablata reſtituere, & quæ debent, ſolvere cùm poſſent, non ſategerunt, quamvis aliàs in pœnitentiæ tribunali Confeſſariis promiſerint ſe iſtis officiis quàmprimùm facturos ſatìs. Unde etiam tertii Lateranenſis Concilii celeberrimus Canon, *Omnis utriuſque ſexus*,

ità præcipit Paſchalem omnibus communionem, ut ob cauſam rationabilem, ex judicio proprii ſacerdotis, abſtinere ab eá poſſint; ac ſæpè debeant. Nulla autem ſacerdoti cauſâ rationabilior pœnitentibus indicendi dilationem communionis, quàm pœnitentiæ immaturitas, & in illecebroſis concupiſcentiarum vinculis captiva voluntas. Ubi enim necdum voluntas à libidinum dominatu expedita eſt, ibi *reverenter*, quod præcipit canon, corpus Domini ſumi non poteſt. Quare ſicuti Judæis, quibus legalis obſtabat impuritas, ne agnum ederent Paſchalem, qui noſtri agni tantùmmodò typus erat, ad alium menſem, ut ſe purificarent, expectandum erat, ità Chriſtianis ad diviniſſimum Paſchatis epulum imparatis, ſumendum aliquod tempus ad vincendas libidines, quibuſcum illud reverenter manducare non poſſunt.

§. 7. Sed ad Carolum redeamus, & dicamus Inſtructiones ab ipſo eſſe compoſitas non ætatis ejus anno 27. ſed potiùs trigeſimo quinto vel ſexto; eaſque non fuiſſe ab eo correctas poſterioribus decretis, ſed decreto Concilii quarti Provincialis confirmatas, &, ut omni diligentiâ obſervarentur, fuiſſe laudatas: neque etiam eas aliis Caroli de pœnitentiâ ſcriptis fuiſſe aut antiquatas, aut emendatas, aut mitigatas; ſed confirmatas, auctas atque perfectas: ut oporteat illos eſſe inſigniter falſos, qui laudatiſſimis ſanctiſſimi Antiſtitis Inſtructionibus obtrectare haud ſunt reveriti.

Patet etiam eos ſanctiſſimo Antiſtiti hoſtiliter adverſari, qui non verentur aſſerere, Confeſſarium debere fidem pœnitenti adhibere, dum ſe dicit percipiendæ abſolutioni eſſe idoneum, tametſi anteà ſæpè falſus fuerit, Confeſſario promittens ſe ablata reſtituturum, iniquè retenta ſoluturum, occaſiones peccatorum deſerturum, & vitam in melius commutaturum: cùm Carolus in laudatis inſtructionibus diſertiſſimè jubeat, ne iſtiuſmodi confitentibus credant, & ne iis abſolutionem impertiantur, antequam reapſe ſatisfecerint, illecebroſis criminum occaſionibus renunciaverint, vitamque & mores reverà emendaverint; ità ut ex

 di-

dignis pœnitentiæ operibus prudenter credi poſſint eſſe converſi, & flagitioſam facinoroſamque excluſiſſe voluntatem. Quis autem dicet eorum pollicitationibus prudenter credi poſſe, qui cùm anteà ſæpè in promiſſis vani fuerint, nullum novum ſuæ ſinceritatis indicium proferunt? Quis ſibi, niſi falli velit, perſuadebit iſtum ſuorum criminum ex animo pœnitere, qui poſt uſurpatum pœnitentiæ ſacramentum mox illa repetit, tametſi nullâ vi ad illa coactus, nullis inſolitis noviſque ad illa attractus illecebris? Extra Confeſſionis tribunalia, qui ſemel malus, ſemper præſumitur eſſe malus, quicquid dicat, quicquid promittat, niſi operibus comprobaverit ſe eſſe mutatum; & in confeſſionis tribunali, ubi vice Chriſti, qui eſt prudentia & ſapientia æterna, ſacerdos præſidet, non ſemel malum, ſed ſæpè malum, ſæpè fictum, ſæpè falſum, nihilominus ſincerum & verum debebit æſtimare, tametſi nulla proferat ſuæ ſinceritatis & veracitatis argumenta, quibus anteà non fefellerit. Quis hoc credet, niſi qui credit, voluiſſe Chriſtum, ut ſui in pœnitentiæ tribunalibus Vicarii omnibus prudentiæ luminibus renuncient, leveſque corde citò ſine judicio omnibus credant? Niſi qui credit noluiſſe Chriſtum, ut diſcernant tanquam Judices ſenſibus perfecti, ſed ut contra divinum mandatum pueri ſenſibus effecti, id verum arbitrentur, quod rationi ac prudentiæ de falſitate ſuſpectiſſimum eſt? Niſi qui credit, voluiſſe Chriſtum, ut illi, quos voluit eſſe lucem mundi, ab ipſis tenebris, hoc eſt, obſcuratis & excæcatis peccatorum mentibus lumen mutuentur? Niſi qui credit, voluiſſe Chriſtum, ut animarum Medici in arte medicandi minùs ſapiant, quàm ægroti? Niſi qui credit, voluiſſe Chriſtum, ut Paſtores in pœnitentiæ tribunalibus ducantur ab ovibus, non ſanis illis quidem, ſed à ſcabioſis, ſed à ſeductis atque infectis? Demùm, niſi qui credit, Chriſtum voluiſſe, artem artium, regimen animarum, quòd in adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ maximè conſiſtit, dependere non à cœleſtibus divinæ prudentiæ luminibus, non à ſcripturarum oraculis, non à ſanctorum Patrum doctri-

nâ, non à ſacris Conciliorum decretis; ſed à fallacibus reorum verbis, ſed à temerariis illorum promiſſis, ſed à cæcis illorum judiciis, qui non in divinæ juſtitiæ, ſed in mendaci ſtaterâ conſuetudinis & moris humani crimina ponderant, atque dijudicant?

Quia ſciebant ſancti Patres, quàm abſurdum foret, ſi oporteret Medicum medendi ordinem diſcere ab ægroto, Paſtorem ovi morbidæ morem gerere, & judicem reo ſubjacere; hinc lapſis ad abſolutionem feſtinantibus non obſecuti ſunt, ſed (ut ſuprà vidimus) fortiſſimè reſtiterunt, prædicantes, alto vulneri diligentem & longam medicinam neceſſariam eſſe; Dominum non citò iis placari, qui ipſum aut verbis, aut factis abnegarunt, ei patrimonia prætulerunt, ejus templum ſacrilegâ contagione polluerunt; citis abſolutionibus non pacem animabus concedi, ſed tolli; non communionem tribui, ſed ſalutem impediri; præproperè & feſtinanter abſolventes, ut peccatoribus ad communionem anhelantibus obtemperent, hoc eis eſſe quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, quod navigiis ſæva tempeſtas; quódque ibi nulla ſit ſpes obtinendæ ſalutis, ubi ipſe medicus indulget periculis; quòd ibi ruinæ animarum non reparentur, ſed majores parentur, ubi, quod lapſi importunè petunt, hoc eis ſacerdotes importunè impertiuntur. Hinc docuerunt, (uti ſupra retulimus) lapſis ægrorum more ſibi noxia cupientibus non concedenda, ſed à ſacerdotibus velut animarum medicis reſiſtendum, animoſque lapſorum ab ipſis fovendos, & ad maturitatis ſuæ tempus eſſe nutriendos, & quàm ingens peccatum commiſerint, inſtruendos; patientiam in morbis curandis maximè neceſſariam eſſe, nec ſperandam ab ægris eſſe ſanitatem, niſi tolerantiâ ſuperaverint dolores. *Infidelis enim*, inquiunt, *cicatrix, quam citò feſtinans medicus induxerit.* Minimè ergò crediderunt Patres, oportere ſacerdotem reo morem gerere, eive credere, dum medicinæ & ligaturæ impatiens, tanquam ſanatus ſolvi & paſci deſiderat.

§. 8. Sed petes, quid igitur fiet de iſto Caſuiſtarum

axiomate, Pœnitenti in conſcientiæ tribunali, tam pro ſe, quàm contra ſe alleganti credendum eſt? Repono, pœnitenti eâdem ferè ratione credendum, dum de ſuis peccatis loquitur, ſicuti medicus credit ægro, dum morbi & vulnerum cauſas recenſet, dum exponit ubi maximè dolet: verùm ſicut imprudentiſſimus is medicus foret, qui ægroto crederet, dum ille ei rationem medendi præſcriberet, dum ei dictaret quando ſumenda potio, quando vena aperienda, quando ſudor æſtu & calore excludendus; ità ineptiſſimus is foret ſacerdos, qui animarum vulnera ac morbos ex ſpiritualiter ægrotantium judicio crederet eſſe curandos, præſertim cùm hoc inter ægros corpore & ægros mente diſcrimen intercedat, quòd morbi corporis plerumque rationem ac judicium integra relinquant; morbi verò mentis, hoc eſt, peccata ipſam plerumque rationem excæcent; quia ſpargit Deus lege infatigabili, (ſicuti loquitur Auguſtinus) pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates; & quia ei *quandoque*, (uti loquitur Gregorius Magnus) p *& lumen rationis clauditur, qui pravo uſu ex iniquitatis ſuæ multitudine gravatur.*

Certè nulli minùs idonei, ut de peccatorum magnitudine & curandi difficultate rectè judicent, quàm qui poſt iteratas abſolutiones eadem iterum atque iterum perpetrarunt. Etenim iſti putant plerumque ea tantò faciliùs ſanari, quantò ea frequentiùs committentes, nacti ſunt ſacerdotes, à quibus indiſcretâ facilitate, & nimiâ feſtinatione ſolvuntur; cùm è contrà peccata, animarum vulnera, tantò difficiliùs curentur, quantò frequentiùs fuerint commiſſa, præſertim poſt uſurpata pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramenta. Docet hoc Auguſtinus, dum ait: „ q Ipſis „ vulneribus vel fracturis corporum, infirmitates cogno„ ſcere poſſumus animarum. Si enim alicui pes frangatur „ aut manus, cum labore ſolet ad priſtinum officium re„ vocari. Si verò ſecundò, tertiò, & adhuc frequentiùs „ in eodem loco membra ipſa frangantur, poteſt intellige„ re charitas veſtra, cum quantis doloribus vulnera curan-

da

p *Gregor. l. 7. c. 13. Moral.* q *Aug. Serm. 58. de temp.*

„ da ſint; & tamen poſt longas & multas tribulationes vix
„ erit antequam ad priſtinum ſtatum membra ipſa valeant
„ revocari. Similis ratio in animarum fracturis ſeu vulne-
„ ribus eſſe credenda eſt. Si ſemel aliquis vel ſecundò pec-
„ caverit, & ſine aliquâ diſſimulatione ad pœnitentiæ me-
„ dicamenta confugerit, priſtinam incolumitatem, ſine ali-
„ quâ morâ, & forſan ſine fœditate recipiet; ſi verò pec-
„ cata peccatis addi cœperint, & animarum vulnera, ma-
„ gìs tegendo, vel defendendo putreſcere, quàm confi-
„ tendo & pœnitendo curari; timendum eſt, ne in illo
„ impleatur illud, quod ait Apoſtolus: [r] *An ignoras, quia*
„ *benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſe-*
„ *cundùm duritiem cordis tui, & cor impœnitens, the-*
„ *ſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judi-*
„ *cii Dei*.

Deindè credendum in tribunali pœnitentiæ reis, ſicuti in judiciis publicis creditur reo, ac teſtibus, dum ille ſuum delictum confitetur, iſti apud judicem ea deponunt, quæ facta norunt. Verùm ſicuti in judiciis publicis non diſcit Judex ſive à reo, ſive à teſtibus, quibus pœnis & quanto tempore crimina caſtiganda ſint, ſed eam notitiam deſumit à legibus; ità in pœnitentiæ tribunali ſacer Judex reo credit, dum declarat, quæ crimina commiſit, quibus in circumſtantiis ea patravit, vel non patravit: verùm minime illum ei credere oportet, dum judicem vult docere, quantis pœnis & quanto tempore ſua crimina caſtiganda & curanda ſint. Etenim nulli ad iſtiuſmodi minùs comparati ſunt, quàm illi, qui longâ conſuetudine peccatis impliciti vixerunt: nam conſuetudo peccandi facit, ut ea vel levia, vel nulla putent, quamvis in judicio Dei & graviſſima & maxima ſint. [s] Omne enim peccatum (ut veriſſimè ab Auguſtino dictum eſt) conſuetudine vileſcit, & fit homini quaſi nullum ſit.

Pariter nec peccatori fides habenda, dum ſuum de peccatis dolorem, & ad ſatisfaciendum promptitudinem, non ex fructibus pœnitentiæ, vitæque emendatione, ſed ver-

 bis

r *Rom.* 2. 4. s *Aug. hom.* 28. *inter* 50.

bis fallacibus ſtudet probare. Tum enim oportet, ut dicat Judex: „ [t] Non audio, quid (reus) ſonet; ſed video, „ quid vivat. Opera loquuntur, & verba requirimus? Exigat ergo ſacerdos fructus emendationis, nec credat fallaci doloris ſigno, nec promiſſioni emendationis, cui noſcitur ſponſor ſæpiùs defuiſſe.

§. 9. Libenter hîc refero, quæ Contenſonius magnæ doctrinæ & pietatis religioſus, qui dicitur in odore ſanctitatis mortuus eſſe, repoſuit ad hæc verba: *Pœnitenti ſicut contra ſe, ità & pro ſe credendum eſt.* „ [u] Reſpondeo, „ inquit, quòd licèt in enumerandis anteactæ vitæ pecca- „ tis, in enarrandis ſcelerum numero, ſpecie & circum- „ ſtantiis peccatori credendum ſit, quippe qui ſolus malè „ geſta ſua dignoſcere poteſt: attamen quantùm attinet ad „ cordis converſionem, cùm multoties verba fefellerunt, „ non ſatìs tutò illi creditur, undè prudenter ex factis pro- „ batio exigitur. Tum quia voluntas ſincera non ità certò „ verbis, ac operibus ſe prodit & indicat. Tum quia de „ diſpoſitione ad veniam recipiendam idoneâ æſtimare non „ ad reum pertinet, ſed ad judicem à Deo conſtitutum; „ non ad diſcipulum, ſed ad doctorem & rectorem anima- „ rum; non ad ægrum, ſed ad medicum. Tum quia tot „ ſunt in animis noſtris receſſus, tot latebræ, tot ſæpè, „ præſertim poſt iterata flagitia, nebulæ & offuſæ tenebræ, „ ut ſe ipſum peccator dignoſcere non poſſit; quia ut fre- „ quenter in Theologiæ iſtius decurſu ex Gregorio recan- „ tavimus, nec iterare tam utile documentum piget; *Sæ- „ pè ſibi de ſe mens ipſa mentitur, fitque ut aliud in intimis „ intentio ſupprimat, aliud tractantis animo ſuperficies co- „ gitationis oſtendat. Et fingit ſe de bono opere amare, quod „ non amat; de mundi autem gloriâ non amare, quod a- „ mat.* Cujus ſignum eſt, quod in præcedentibus confeſ- „ ſionibus emendationem promittebat, & vero ſe propo- „ ſito affici putabat; & tamen mentiebatur iniquitas ſibi, „ nec reapſe mutatus erat, qui eadem peccata, eoſdem ini-

„ qui-

t *Aug. tract. 3. in Epiſtolam. Joan.* u *Contenſon. tom. 9. diſſert. de ſacram. pœnit. c. 2.*

„ quitatis fructus edidit juxta commune Philoſophorum „ axioma, *idem manens idem, facit idem.* Idem ergo in- „ tùs in corde manſit, qui eadem foris protulit; & qui ſe „ ipſum toties decepit, ſe ipſum decipere moraliter pru- „ denterque cenſetur, niſi certiora argumenta producat. „ Hujus fallacis diſpoſitionis illuſtre exemplum in Antiocho „ ſacræ litteræ repræſentant. Hic namque poſt flagitia à „ Deo percuſſus, ſcelerumque antè patratorum horrore, „ & miſerabilis ſtatûs imagine permotus, & peccatorum „ granditatem agnovit, & confeſſus eſt, & dolorem ex- „ preſſit, & ſatisfactionem, nimirùm Judæorum reſtitu- „ tionem, urbis ſanctæ libertatem, templi cultum, ſacri- „ ficiorum apparatum, veræ religionis per totum, quàm „ latè patet, orbem propagationem ſpopondit, & veniam „ tot verbis amarorem intrinſecum ſignificantibus, tot con- „ verſionis indiciis, tot ſplendidis pollicitationibus, qui- „ bus pares non videmus in noſtris relabentibus, non pro- „ meruit. Quia nimirùm tunc verba ſine factis, lacrymu- „ læ etiam, quibus interdum ad horam colliqueſcunt pec- „ catores, ad explorandam veram converſionem non ſuffi- „ ciunt; ſed ad decipiendum & peccatorem & miniſtros „ valent. Ergo & peccatori & ſacerdoti videndum, vigi- „ landum, orandum: videndum num vitæ Chriſtianæ æqua- „ bilitate ſit in pietate ſtabilis, in opere efficax; vigilandum „ ut novæ vitæ firmitate contra hoſtis communis & amoris „ proprii inſidias muniatur; orandum ut continentem in „ Dei famulatu animum retineat; & interim abſolutionis „ ſententia meritò pœnitentibus ejuſmodi ſæpiùs relabenti- „ bus ſuſpendenda eſt, quoad ſacerdos intimos ac recon- „ ditos pœnitentis motus pro ſuâ prudentiâ quibuſdam di- „ gnis pœnitentiæ fructibus probatos habeat.

Hæc pius ille Theologus, cum eorum approbatione Doctorum, qui familiam ſancti Dominici ſuâ doctrinâ ac pietate inſigniter illuſtrant. Licet itaque hîc concludere, nihil eſſe, quod inſtructionibus D. Borromæi meritò opponatur; imò nihil ad reſtaurandam in Eccleſiâ vitæ diſciplinam, & ad caſtigandos Chriſtianorum mores conſultius

 eſſe,

eſſe, quàm, ut illi, quibus clavium commiſſa poteſtas, juxta poſitas à Carolo leges, reos criminum ligent atque ſolvant. Hoc ſi faciant, tunc de illis non queretur Deus, quòd contritionem populi ſui curent cum ignominiâ; verùm è contra ipſos laudabit, quòd directi divinitùs fuerint in pœnitentiam gentis, & tulerint abominationes impietatis.

CAPUT XVI.

1. Regulæ à S. Carolo poſitæ diligentiùs ſervandæ, dum criminoſi ſacerdotes confitentur: illorum enim & difficilis, & rara converſio. 2. Non credendum ſacerdotibus, dum ſe pœnitere aſſerunt, niſi ex fructibus ſuam pœnitentiam oſtenderint; & maximè reprehendendi Confeſſarii, qui illos citò ſolvunt. 3. Sancti Patres cenſuerunt Diaconos & Sacerdotes in ſordes impudicitiæ lapſos ſine ſpe recuperandæ dignitatis gradu movendos eſſe. 4. Emericus de Bonis dicit, eſſe ſcelus dictu horrendum, ſi quis ſumat corpus Domini, dum adhuc recens eſt à fornicatione, aliiſque carnis ſpurcitiis. 5. Huic doctrinæ Emerici de Bonis nihil adverſum docetur à Concilio Tridentino. 6. Circa ſacerdotes aliorum criminum reos id retinendum, quod tradit S. Saleſius & Thomas de Villâ novâ.

§. 1. NEmini dubium eſſe poteſt, quin regulæ à ſanctis Carolo, Thomâ de Villâ novâ, Saleſio, & à Cardinale Grimaldi iis fixæ, qui pœnitentiæ tribunalibus præſident, nunquam religioſiùs & exactiùs ſervandæ ſint, quàm cùm criminoſi ſacrorum miniſtri, præſertim ſacerdotes ſeſe ſacris judicibus judicandos repræſentant. Etenim ſi neganda abſolutio iis, qui in peccati occaſione proximâ

ximâ commorantur, præſertim neganda ſacerdoti, cui viciniæ peccatorum illecebræ: nam neminem decet ab iis eſſe remotiorem eo, qui obſervatur ab omnibus tanquam forma, quam imitentur; quemque decet ſuæ vitæ puritate ſacramentis, quæ miniſtrat, honorem; verbo, quod prædicat, obedientiam; ſacrificio, quod offert, adorationem conciliare.

Si neganda abſolutio iis, qui ablata non reſtituunt, præcipuè neganda ſacerdoti, qui illata proximo damna non reſarcit, aut rei alienæ iniquus detentor eſt: Nam ſacerdotem oportet ità eſſe animo compoſitum, ut non ſolùm nemini quicquam debeat, ſed ut pro grege ſibi credito animam ponere, ejuſque ſaluti, quæ poſſidet, lubenter impendere, imò ſe ipſum ſuperimpendere cum Apoſtolo ſit paratus.

Si differenda abſolutio iis, quos longa peccandi conſuetudo tenet devinctos, ut morâ temporis converſio adoleſcat, ejuſque ſinceritas cognoſci poſſit; maximè differenda ſacerdoti, cui libido & conſuetudo peccandi diu fuit dominata: nulla enim varias ob cauſas & tardior & rarior, quàm converſio ſacerdotum. Antonius Godeau Vencienſis in Galliâ Epiſcopus, integritate vitæ à faſtu & ambitione alienæ, nec non eruditionis & eloquentiæ laude clariſſimus, poſtquam retuliſſet duos Epiſcopos ob flagitia ordine motos, ſed pœnis nihilò meliores effectos, in ſordibus perſeveraſſe, ait ipſos ſuis exemplis confirmaſſe veritatem hujus terribilis effati, *raro ad pœnitentiam flecti ſacerdotes, qui Deum obliti, ſeſe flagitiis dediderunt.*

Id autem fit variis ex cauſis. Primò quidem quòd ſacerdotes inter eas functiones peccent, quæ magìs cœleſtes, quàm terrenæ cùm ſint, ipſos à peccatis maximè dehortantur, & ut Deo ſuo ſint omninò ſancti, monere non ceſſant. Atque hinc ſancti Patres æſtimarunt ſacerdotes non tam cum hominibus peccare, quàm cum Angelis, qui in cœlo peccaverunt, & quibus datus non fuit pœnitentiæ locus. „ [y] In „ Cle-

x *Dans ſon Hiſtoire Eccleſiaſtique, en l'an de J. C. 579.* y *Serm. in Ecce nos reliquimus omnia.*

„ Clero; inquit ſanctus Bernardus, tanquam in cœlo ge-
„ rens iniqua, quid niſi de miniſterio judicetur? Cœleſte
„ tenet officium: Angelus Domini exercituum factus eſt:
„ tanquam Angelus aut eligitur aut reprobatur: inventa
„ quippe in angelis pravitas & diſtrictiùs judicetur neceſſe
„ eſt, & inexorabiliùs, quàm humana. Quò ſublimior ita-
que ſacerdotalis dignitas, quò ejus functiones ab omni-
bus terrenis magìs remotæ, eò lapſus indè gravior, eò rui-
na major, & quò ruina major, eò operoſior & infrequen-
tior reparatio. Neque enim vulgaris, ſed horribilis ille ca-
ſus eſt, quo ſacerdos evectus ad dignitatem Angelicâ ma-
jorem ruit in abyſſum eo inferiorem, in quo jacent Tur-
cæ ac infideles.

2. Nulli magìs à Deo deſeruntur, quàm ſacerdotes, qui ipſum deſerunt, ut ſe criminibus addicant. Nam tametſi ipſis pœnitentibus ignoſcat Deus, ipſos tamen raro ſubit verus pœnitendi affectus. „ [z] Quid enim, inquit præclarè
„ Halierius, non eſſent indurato ad pœnitentiam corde,
„ qui adeò ad peccata ruentes præfractæ fuerunt audaciæ,
„ & induratæ mentis, ut divinis monitis, quæ quotidie
„ legunt audiuntque, aures obturarent, frequentioribus
„ divinis vocibus cor occluderent, gratiæ ſacerdotii effica-
„ ciſſimæ reſiſterent, nec divinorum myſteriorum, quæ
„ quotidiè pertractant, nec dignitatis eximiæ, quam ha-
„ bent, veneratione continerentur, nec pudore, nec in-
„ famiâ, nec populorum ſcandalo à peccando deterreren-
„ tur. Ut tam effrænis in peccata voluntas corrigatur, magnâ gratiâ opus eſt, quam pauci ſtudent emereri, atque hinc fit, ut è pollutis crimine ſacerdotibus pauci ſint, qui veram ac conſtantem pœnitentiam agant. Ante multa ſæcula iſtud animadvertit auctor operis imperfecti in Matthæum. „ [a] Quis aliquando, inquit ille, vidit Clericum
„ citò pœnitentiam agentem: ſed etſi deprehenſus humi-
„ liaverit ſe, non ideò dolet, quia peccavit, ſed quia con-
„ funditur, quia perdidit gloriam ſuam. Agunt ergo pœni-

z *De ſacris ordinationibus part.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 2. §. 2. *num.* 8.
a *Homil.* 40.

nitentiam cum Saule & Antiocho, non ex amore juſtitiæ adipiſcendæ, ſed ex cupiditate gloriæ & utilitatis retinendæ.

3. Minùs abundant Clericis in crimina prolabentibus illa auxilia, quibus monachi & laici, dum peccant adjuvantur. Cùm ſacerdotum ſit pro populo, ne peccet, orare; & ubi peccaverit, ut citò reſurgat, gratiam poſcere, laiciſque ne errent, veritatis lumen oſtendere, & ubi erraverint, monendo ab errore revocare: qui pro lapſis ſacerdotibus oret, nullus ſpeciatim ordo conſtitutus eſt; ipſoſque peccantes tantò difficilius eſt ſale ſaluberrimarum admonitionum aſpergere, & errantibus lumen veritatis ingerere, quantò magis ſibi perſuadent, ſe eſſe magiſtros inſipientium, duceſque ac lumen eorum, qui in tenebris diverſantur. Hinc illud Salvatoris ad ſacerdotes: [b] *Vos eſtis ſal terræ, quòd ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*. Hinc illud Hieronymi: „ [c] Monachus (adde „ laicus) ſi ceciderit orabit pro eo ſacerdos; pro ſacerdotis „ lapſu quis rogaturus eſt? Rogat pro laicis ſacerdos, quia ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.

Idem docet ſanctus Gregorius exponens illa verba Heli ad filios ſuos: „ [d] *Si peccaverit vir in virum placari et po-* „ *teſt Deus; ſi autem in Deum peccaverit, quis orabit pro* „ *eo?* Quia, inquit, peccata ſubditi populi, quæ ad ſa„ cerdotes reſpiciunt, ipſorum ſacerdotum precibus delen„ tur: cùm ſacerdos in culpam labitur ſuperior perſona non „ eſt, cujus precibus expietur; quod & ipſa veritas per ſe „ inſinuat dicens: *Si ſal evanuerit, in quo ſalietur?* Di„ cat ergo, quis orabit pro eo? Quaſi dicat, quis ei in„ terceſſor remanet, cùm ille ſe tranſgrediendo præcipitat, „ qui ad intercedendum pro aliis ordinatus eſt? Quo pro„ fectò culpæ magnitudo monſtratur: *quia plerique eorum* „ *in impœnitentis cordis caliginem projiciuntur, & nulla ho-* „ *minis adhortatione reſipiſcunt.*

Quan-

b *Matth.* 5. 13. c *Epiſt.* 1. *ad Heliodor.* d *In cap.* 3. *lib.* 1. *Reg.*

Quantum ergo periculum eſt, ne, poſtquam peccaverit, ille pereat, cui cavere incumbit, ne alii pereant: cùm nullius ſit cavere, inquit Halierius ſupra laudatus, ne ipſe pereat? Deinde, quantum etiam periculum, ne ipſe totus infatuetur, & ad nihilum valeat ultrà, niſi ut conculcetur ab hominibus, cui nullum ſal, à quo condiatur creatum eſt. „ f Putaſne, Deus quaſi crudelis, inquit auctor operis in „ Matthæum imperfecti, pœnitentiam denegavit dicens: *Si* „ *ſal infatuatum fuerit, in quo condietur?* Sed quaſi natu„ ralem rem conſiderans, quia non eſt, qui doceat illum er„ rantem qui errantes corrigebat. Quod autem iſtiuſmodi polluti ſacerdotes reperiant ſacerdotes, à quibus citò ſolvun„ tur, iſtud arbitror proficiſci ex iſtâ Dei irâ graviſſimâ, quâ, quemadmodum ait Gregorius, *in impœnitentis cordis caliginem projiciuntur.*

§. 2. Vera itaque pœnitentia rarò invenitur in ſacerdotibus lapſis: imprudenter ergo illis creditur, quando dicunt, ſe ex animo pœnitere, niſi ex fructibus dignis pœnitentiæ ſinceritatem ſuæ converſionis teſtatam fecerint, niſi per notabile temporis ſpatium ab omni crimine ſe ipſos continuerint, niſi à peccatorum illecebris receſſerint, niſi jejunando carnem ſpiritui ſubjecerint, niſi orando ſpiritum Deo ſubdiderint, niſi eleëmoſynis peccata redemerint, niſi lectionibus ſacris mentem à terrenis & obſcœnis imaginibus expurgaverint.

Si veriſſimè ſcriptum à ſanctò Thomâ de Villâ novâ. „ g O peccator, ſi verè ploras, veni foras; fuge concupi„ ſcentiam, dimitte laſciviam, expelle mulierculam, ſolve „ catenam; aliàs non credo verbis, non credo lacrymis. Fu„ niculus triplex malæ inclinationis, pravæ conſuetudinis, „ violentæ occaſionis difficilè rumpitur. Miraculum grande „ eſt, ut habens juxta ſe mulierem, non tangat eam; & „ utique qui tangit picem, inquinabitur ab eâ. In ſinu tuo „ carbones foves, & tuum non comburetur veſtimentum? „ Etiamſi millies juraveris, etiamſi obteſtando promiſeris, „ nun-

f *Ubi ſupra.* g *Sermone, quem habuit feriâ 6. poſt Dom. 4. Quadrag.*

„ nunquam tibi credam. Si, inquam, hæc piè & ſapienter à ſancto Thomâ de Villâ novâ ſcripta ſint, ne ſacri judices lapſis, qui necdum concubinas domo ejecerint, unquam credant, quantumvis ſe dicant pœnitere, quantumvis lacrymis ſuum aſtruant dolorem; profectò iſtud ſanctiſſimi viri monitum maximè obſervandum, quando illi ſacerdotes, quos funiculus triplex malæ inclinationis, pravæ conſuetudinis, violentæ occaſionis conſtringit, ſua crimina, ac præſertim impudicitiæ confitentur. Nullos enim illa flagitia arctiùs implicant, quàm ſacrorum miniſtros, qui cùm illa committere nequeant ſine ſuâ infamiâ, ſine populi ſcandalo, ſine diviniſſimi ordinis ignominiâ, ſine cœleſtium ſacramentorum, quorum miniſtri ſunt, enormi injuriâ, ſine fidei, quam Chriſto ſpoponderunt, ſacrilegâ violatione, ſine contaminatione corporis ejus, quod de Spiritu ſancto conceptum ab Angelis adoratur, à dæmonibus formidatur, in illa ferri non poſſunt niſi abjecto omni metu eorum malorum, quæ à Deo irato & ab offenſis hominibus imminere poſſunt. Toto in flagitia ruat impetu quodammodò neceſſe eſt, quem ab illis nec officii religio, nec profeſſionis ſanctitas, nec ſolemnis Chriſti ſponſio, nec univerſi populi ſalus, nec pudor, nec verecundia retardarunt.

Eſt igitur omninò neceſſe, ut ſacri Judices ſacerdotibus, quos fœdæ libidinis vincula conſtringunt, non citò abſolutionis manum imponant, ne communicent peccatis alienis; nec priùs eos liberos pronuncient, niſi cum illis ſervitutem peccati ſubire velint, quàm eos viderint à corde ſuo excluſiſſe libidines, à ſenſibus illecebras ejeciſſe, & à ſe ipſis removiſſe molem pravæ conſuetudinis, quâ, ne ſurgerent, graviſſimè premebantur.

Nullos juſtiùs, quam illos, qui fœdos ſacrorum miniſtros citò abſolvunt, objurgaverit his verbis Beatus Thomas de Villâ novâ: „ O medice, cur fœtentem ſolvis? Cur „ indigno veniam promittis? Cur, cui abſolutionis bene„ ficium exhibeas, non diſcernis? Duas tibi claves Domi„ nus dedit, unam diſcernendi, alteram judicandi, abſol-

„ ven-

„vendi ſcilicet & ligandi; & tu ſine diſcretionis examine „neminem ligas, omnes abſolvis: unâ tantùm clave, ne- „que integrâ quidem uteris, ſed dimidiatâ. *Heu, heu ven-* „*trem meum doleo, ventrem meum doleo*. In domo Dei „horrendum vidi, Paſtores Domini ſui oves jugulantes, „medicos populi ſui ægrotos occidentes, judices turpibus „blandientes, cenſores flagitia palpantes, cæcos gregem „Domini dirigentes. An non horrendum hoc? Hi ſunt; (pergit idem ſanctus, cujus verba, quia parùm nota, & hoc tempore maximè neceſſaria, hic fuſiùs exſcribemus) „Prophetæ mendaces, in quos Dominus per Prophetam „invehitur, dicens: [h] *Eò quòd deceperint populum meum,* „*dicentes, Pax, pax; & non eſt pax: & ipſe ædificabat* „*parietem, ipſi autem liniebant eum luto abſque paleis.* Et „infra: *Væ, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito ma-* „*nus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad* „*capiendas animas: & cùm caperent animas populi mei, vi-* „*vificabant animas eorum: & violabant me ad populum* „*meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut* „*interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivifica-* „*rent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo cre-* „*denti mendaciis.* Et per alium Prophetam apertius: [i] *A* „*minore uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent: A Pro-* „*pheta uſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum: & cu-* „*rabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicen-* „*tes, pax, pax: & non erat pax. Confuſi ſunt, quia* „*abominationem fecerunt: quin potius confuſione non ſunt* „*confuſi, & erubeſcere neſcierunt.* O miſeri animarum non „curatores, ſed interfectores, non conſultores, ſed dece- „ptores, quid reſpondebitis Domino pro grege, quem „veſtris blanditiis decepiſtis, veſtris conſiliis jugulaſtis? „Quid Eccleſiam Domini hodie perdit, niſi confeſſario- „rum & paſtorum blandiens adulatio, deliniens demul- „cenſque aſſentatio? Væ miſeris! non ægritudinem, ſed „contritionem ac confuſionem peccatorum curant, quam „augere debuiſſent, promittentes pacem, quibus non eſt „pax;

h *Ezech.* 13. i *Hierem.* 6.

„ pax; & veniam, quibus æterna damnatio parata eſt. Par-
„ vum eſt, inquiunt, nimirùm humanum eſt peccare. Quis
„ eſt homo, qui non peccat? Facilis eſt venia: ne triſte-
„ ris, ne doleas: confeſſus es, abſolutus es, ſufficit tibi ad
„ ſalutem: vive lætus, Domini ſacramenta ſuſcepiſti, ſine
„ dubio ſalvaberis. Sic animas mortuas & ſecuras à ſuis pe-
„ dibus mittunt, tantò miſeriores, quantò ſecuriores; vul-
„ nera liniunt, vermem conſcientiæ extinguunt, ſtimulum
„ peccati auferunt, & ſecuros peccatores ad inferna demit-
„ tunt; qui ſi timorem populo incuterent, forſitan illum à
„ vitiis revocaſſent. Cui comparabimus adulatores iſtos, aut
„ cui aſſimilabimus eos? Similes ſunt profectò hominibus,
„ qui à ripâ pereuntibus in flumine manum porrigunt, &
„ violentiâ fluminis ipſi cum aliis demerguntur. Undè aptiſ-
„ ſimè ſequitur in Prophetâ: *Quamobrem cadent inter ruen-*
„ *tes in tempore viſitationis ſuæ.* Corruent, dicit Dominus;
„ pondere namque peccatorum aſſentatores ſuos poſt ſe
„ peccatores in præcipitia rapiunt, & ſecum eos ad inferna
„ deducunt. Hæc contra quoſdam Confeſſarios noſtri tem-
„ poris piè impios, & impiè pios dicta ſint, qui ne pœni-
„ tentem aliquantiſper contriſtent, illum in ſuâ nequitiâ ma-
„ nere permittunt.

Hæc ille ſanctus, ut doceat iſtos, qui priùs criminoſos ſolvunt, quàm cognoſcantur à Domino vivificati, ac è peccatorum ſepulchro remotâ pravæ conſuetudinis mole educti, illecebroſiſque libidinum vinculis eſſe ſoluti; non habendos animarum curatores, ſed interfectores, non conſultores, ſed deceptores, non judices, ſed adulatores, piè impios, & impiè pios.

Et quamvis beatus Thomas hæc prædicaverit ſine diſcrimine contra omnes ſacerdotes, qui negligentes clavem diſcretionis, ſolâ utuntur clave poteſtatis, atque eâ non integrâ, ſed dimidiatâ, hoc eſt, ad dimittenda, & non ad retinenda peccata; ejus tamen verba, vel potiùs fulgura, vehementiùs illos percellunt, qui Eccleſiaſticos impuritatibus deditos ante tempus probationis, ante pœnitentiæ maturitatem, ante emendationis examen, non verentur ab-

ſolvere. Nam ſacerdotum ſcortationes ad offenſam Dei graviſſimæ, ad ſcandalum hominum efficaciſſimæ, & ad curationem longè difficillimæ ſunt. Et quamvis nolim, ut Clericus dicat cum Cain: *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear*: „[k]auſim tamen dicere, inquit Halie„rius non ſemel allegatus, majorem eſſe debere Clerici in„tegritatem, quàm ut eam poſt commiſſum crimen in to„tum reparandam eſſe confidam, majoremque peccantis Cle„rici & pervicaciorem iniquitatem eſſe, quàm ut commu„niter ab eo non ficta reſipiſcentia ſperetur.

Tales ergo non citò abſolvendi, ſed diù probandi, ut dignoſci poſſit, an ſincerè pœniteant, utrùm confiteantur peccata ſua, non ut ea deponant & expugnent, ſed ut ſceleratæ conſcientiæ furias leniùs ferant, ſed ut abſolutionis medicamine, velut opio, cruciatum reæ mentis conſopiant; ſed ut ipſi deſcendentes in profundum, eos, qui improvidè ipſis adjutricem manum extendunt, ſecum ne ſoli pereant, rapiant in abyſſum; ſed ut fiduciâ obtentæ abſolutionis excæcati non advertant, quàm execrabile & horrendum ſit, ut necdum reconciliati reconciliationis alienæ negotia, quaſi homines, qui juſtitiam fecerint, apprehendant, ut filii iræ ſe miniſtros gratiæ profiteantur, pacificorum gradum & honorem uſurpent, Mediatores ſe pacis obtrudant, & Deum aliis placare præſumant, qui ipſi ambulantes in carne Deo placere non poſſunt.

§. 3. Sancti Patres, qui divinâ illuſtrati prudentiâ dijudicarunt quid à ſacrorum miniſtris in ſordes impudicitiæ prolapſis expectandum ſit; quid ipſis, ut ſanentur, maximè expediat, & quid Eccleſiæ ne illam commaculent, ſit conſultum; arbitrati ſunt lapſos in fornicationem Eccleſiaſticos, ſine ſpe recuperandæ dignitatis ità gradu eſſe ſubmovendos, ut perfuncti pœnitentiæ operibus cum laicis quidem communicent, cum myſtis verò rem ſacram faciant nunquam.

„Teſtatur illud, (inquit elegantiſſimus & Eccleſiaſticæ „traditionis callentiſſimus ſcriptor) prioribus ſæculis Baſi„lius

k *Ubi ſupra.*

„lius Ep. Canonicâ 1. can. 3. dum *diaconos poſt diaconatum* „*fornicatos à diaconatu haud dubiè ejectos docet, eâque ra-* „*tione poſt perfectam ſuæ curationis demonſtrationem, com-* „*munioni laicæ faciliùs reſtitutos, ne bis in idipſum vindica-* „*retur; & quia nunquam in eum ex quo œciderant locum* „*reſtituebantur.*

„ Teſtatur de ſequentibus ſæculis Concilium Aurelianen- „ſe 2. anno 533. can. 8. *Si quis diaconus in captivitate reda-* „*ctus uxori fuerit copulatus; reverſus, ab officii omninò* „*miniſterio removendus eſt. Cui ſufficere debet pro actus ſui* „*levitate impletâ pœnitentiâ pro ſatisfactione communio.*

„ Teſtatur Joannes 2. Pontifex Romanus ſic ſcribens E- „piſt. 1. ad Cæſarium Arelatenſem in causâ Contumelioſi „ Regienſis Epiſcopi in fornicationem lapſi. *Dolemus de* „*amiſſione Pontificis; rigorem tamen canonum ſervare ne-* „*ceſſe eſt; atque ideò prædictum ab Epiſcopatus ordine no-* „*ſtra ſuſpendit auctoritas. Neque enim fas eſt pollutum cri-* „*minibus, ſacris miniſteriis deſervire. Sed te ordinante in* „*monaſterio dirigatur, ubi delictorum memor, in pœniten-* „*tiâ lacrymas effundere non omittat, ut ab eo, qui omni-* „*bus miſeretur, Domino noſtro Jeſu Chriſto, miſericor-* „*diam valeat promereri.*

„ Teſtatur Cæſarius Arelatenſis in eâdem Contumelioſi „causâ; qui poſt accuratum variorum canonum ſyllabum „ à Joanne Papâ ad ſe miſſum, quibus demonſtratur, ex „ ipsâ illorum inſcriptione, *Clericos poſt crimina capitalia* „*non poſſe ad honorem priſtinum reparari: Ecce,* inquit, „ *manifeſtiſſimè conſtat, quia ſecundùm quod & tituli à ſan-* „*cto Joanne Papâ tranſmiſſi, & trecentorum octodecim E-* „*piſcoporum ſententia, ſed & canones Gallicani continere* „*videntur, clerici in adulterio deprehenſi, aut ipſi confeſ-* „*ſi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non poſſunt:* „*ideò aut plenâ voluntate præceptis illorum conſentiant; aut* „*ſi non fecerint, omnibus ſe contrarios & inimicos eſſe agno-* „*ſcant. Quæ eſt iſta juſtitiæ inimica benignitas, palpare cri-* „*minoſos, & vulnera eorum uſque ad diem judicii incu-* „*rata ſervare?*

„ Idipſum teſtatur non exiguo poſt tempore Gregorius „ Magnus, plurimis iiſque luculentiſſimis epiſtolarum ſuarum locis. Lib. 3. epiſt. 26. *Pervenit ad nos*, inquit, *quoſdam de ſacris Ordinibus lapſos, vel poſt pœnitentiam, vel ante ad officii ſui miniſterium revocari: quod omninò prohibemus, & in hâc re ſacratiſſimi quoque canones contradicunt. Qui igitur poſt acceptum ſacrum Ordinem lapſus in peccatum carnis fuerit, ſacro Ordine ità careat, ut ad miniſterium ulteriùs non accedat.* Lib. 4. epiſt. 16. *Ad fraternitatis tuæ conſulta reſpondentes ſtatuimus diaconum & Abbatem de Portu veneris, quem indicas cecidiſſe, ad ſacrum Ordinem non debere vel poſſe ullo modo revocari. Subdiaconi quoque, quos ſimilis culpa conſtringit, ab officio ſuò irrevocabiliter depoſiti, inter laicos communionem accipiant.* Et epiſt. ſeq. *Si lapſis ad ſuum Ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur diſciplinæ, dum pro reverſionis ſpe pravæ actionis deſideria quis concipere non formidat. Fraternitas ſiquidem veſtra nos conſulit, ſi Amandinus ex Presbytero & Abbate, qui à ſuo eſt deceſſore culpâ exigente depoſitus, in eo quo fuerat ordine conſtitutus, debeat revocari. Quod tamen nec licet, nec fieri poſſe aliquâ ratione decernimus. Ejus tamen ſi converſio fortè meruerit, ſacro per omnia ſicuti eſt privatus officio, in monaſterio eum ante alios, ut prævideritis, Monachos ordinate. Illud igitur præ omnibus ſtudete, ut lapſos in ſacrum Ordinem nullius vobis ſupplicatio aliquo modo revocare ſuadeat, ne ejuſmodi non ſtatuta, ſed temporaliter eis dilata credatur eſſe vindicta.* „ Idem de tribus diaconis in peccatum lapſis eâdem epiſtolâ ſtatuit. Et lib. 6. epiſt. 39. *Poſtquam ergo quemquam criminaliter abſcedentem, in locum de quo lapſus eſt, nulla permittit ratio revocari, fraternitas veſtra in loco lapſi debet Epiſcopum ordinare.* Idemque decernit de Presbytero lib. 7. epiſt. 25.

Clariſſimus Vencienſis Epiſcopus, quem ſupra citavimus, cùm retuliſſet epiſtolam Gregorii Magni ad Januarium Calaritanum in Sardiniâ Epiſcopum, ait, eâ in epiſto-

ſtolâ contineri rem notatu dignam; nempe jubere Gregorium, ut quidam Archidiaconus, qui poſt ordinationem ſuam libidini carnis ſuccubuerat, altaribus deinceps non ſerviret. Is enim ſalutaris diſciplinæ rigor etiam eo tempore, quo flacceſcere incipiebat, religiosè ſervabatur. „Verùm noſtro ſæculo (inquit magnus ille Epiſcopus) ne„ quidem umbra ejus ſupereſt, caſuiſtis auſis docere, per„ mitti poſſe, ut ſacerdos, qui nocte præcedente quâvis „ impudicitiâ ſe polluerat, nihilominùs ſacris operetur. Si „ iſta doctrina componi poteſt cum diſciplinâ in Eccleſiâ „ multis ſæculis ſervatâ, & cum puritate victimæ corporis „ Domini, componi quoque poteſt lux cum tenebris, & „ Chriſtus cum Belial. Hæc clariſſimus ille Epiſcopus in ſuâ „ Eccleſiaſticâ hiſtoriâ ad annum Jeſu Chriſti 594.

Eſt quidem verum, poſt decimum ſæculum, cùm inter ſuppoſitas Romanis Pontificibus epiſtolas aſſutum Gregorii Magni ad Secundinum epiſtolæ ſpurium additamentum, ſicuti & epiſtola ad Maſſanum, quæ ſancto Iſidoro Hiſpali Epiſcopo falſiſſimè tribuitur, celebrarentur, & ob illuſtrium auctoritatem ſanctorum, ſub quorum glorioſiſſimo nomine circumferebantur, in honore haberentur, priſcæ diſciplinæ non parùm fuiſſe detractum. Verùm quantumvis illi deceſſerit, nunquam tamen ſancti Patres, nunquam graves Eccleſiæ ſcriptores licitum putaverunt, ut lapſi in carnis propudia ſacerdotes ante actam pœnitentiam, eamque ſuis ſceleribus condignam, altaribus reſtituerentur.

Sanctus Anſelmus, licet ementitis Gregorii Magni & ſancti Iſidori litteris crediderit, ſacrorum miniſtros, qui venereis voluptatibus ceſſerunt, ſi ipſorum flagitia clam forent, ſuis honoribus poſſe reſtitui; attamen tunc demùm illos ſuis honoribus uti poſſe exiſtimat, ſi per ſacrificium ſpiritûs contribulati, cordiſque contriti Deum placantes, ad virtutum profectum ſtudiosè contenderint: ſi pro illis ſupplicet humilitas, ſuggerat contritio, intercedat vitæ mutatio. Quod quia probari nonniſi tempore poteſt, ideò illis neceſſarium cenſet, ſi non in perpetuum, ſaltem ad tempus à ſacris abſtinere.

§. 4. Si Emericus de Bonis nobilis & pius ſcriptor è Societate Jeſu cenſeat eſſe *ſcelus horrendum dictu*, *& Angelis ipſis deteſtabile*, *quodve valeat ſoli tenebras offundere*, *terram tremefacere*, *& elementa permiſcere*, ſi quis laicus eodem, vel poſtero, vel tertio aut quarto die à ſumptâ Euchariſtiâ ad ſuas ſordes revertatur; aut illam is ſumere audeat, qui pridiè, nudiùs tertiùs, vel quartùs antè peccaverat; nónne idem ſcelus in ſacerdotibus deteſtabilius & horribilius erit, ſi recentes à propudiis atque flagitiis non ſolùm Euchariſtiam ſumere, ſed etiam conſecrare, ſed etiam mediatoris officium aſſumere audeant? Elanguerit canonum rigor, antiquata ſit priſca diſciplina; non teneamur ſequi quod Patres ſuis ſcriptis & moribus commendarunt; inſitus animis Chriſtianis reverentiæ & adorationis ſenſus, quo corpus Domini colendum eſt, nunquam ità langueſcet, ut probare poſſit, quòd homines adhuc libidinum calore fumantes atque fœtentes ſacris operentur, eamque carnem conſecrent, tractent, pro aliis offerant, aliis colendam exponant, manducandam præſentent, & ipſi eam ſumant, atque in ſua viſcera adhuc fœdis æſtibus ferventia vel tepentia demittant, quam carnem virgineus Mariæ uterus non potuit concipere, niſi Spiritus ſanctus uberiùs in illam deſcenderet, & virtus Altiſſimi ſanctiſſimæ Virgini, ut adhuc purior evaderet, mirabiliùs obumbraret.

Sacerdotibus ergo in carnis propudia lapſis manus ſolvens non citò imponenda, nec priùs ſinendum, ut ſacris miniſtrent, licèt ipſorum propudia manſerint occulta, niſi priùs diuturno lacrymarum fonte impurum extinxerint ardorem, niſi priùs dignis pœnitentiæ fructibus ſe emendatos oſtenderint, niſi priùs pro ipſis ſupplicet humilitas loci ſuperioris refuga, niſi pro ipſis intercedat contritio, non ſacerdotii commoda aut honorem quærens, ſed Dei juſtitiam amare & placare contendens, niſi pro ipſis deprecetur vitæ mutatio voluptatibus infeſta, & caſtis de æternâ puritate deliciis intenta.

§. 5. Nemo hîc objiciat, non videri, quòd Concilium

Tri-

Tridentinum exiſtimet, adeò difficilem fore ſacerdotum converſionem, quódque cenſeat adeò horrendum eſſe crimen, ſi ſacerdos à ſcortatione recens ſacris operetur: plura enim non videtur ad flagitioſi ſacerdotis reconciliationem poſtulare, quàm ne ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſsâ ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedat; aſſeritque Concilium iſtud à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, perpetuò ſervandum eſſe, modò non deſit illis copia Confeſſoris. [1] *Quod ſi*, (inquit) *neceſſitate urgente ſacerdos abſque præviâ confeſſione celebraverit, quàm primùm confiteatur.* Nihil hîc Concilium de difficultatibus atque moleſtiis, quas nos recenſuimus, ut ſacerdos ſcortator cum Deo redeat in gratiam.

Repono, hæc ſanciviſſe Concilium, ut confeſſionis neceſſitatem contra eos aſſerat, qui præcedenti ſæculo ſibi ipſis perſuadebant, non eſſe neceſſe, ut, qui confeſſiones exciperet, licèt criminum reus ipſe eas ederet. Hoc autem Concilium ſtatuit non eâ intentione, ut definiat ſolâ confeſſione criminis contineri eam, quæ ad Euchariſtiam aut ſumendam aut offerendam poſtulatur, præparationem; ſed ut doceat, eam inter cætera requiri, quæ lapſos percipiendæ Euchariſtiæ idoneos reddunt.

Secundò repono, Concilium velle, ut, ubi eſt conſcientia cujuſcumque mortalis peccati, etiam ſolâ cogitatione admiſſi, ſumptionem Euchariſtiæ confeſſio præcedat, non verò declarare, quòd, ubi enormi crimine ſacerdotis conſcientia polluta eſt, non major pœnitentis animi apparatus requiratur, quàm ſi unicâ & ſolâ cogitatione, aut in vindictæ cupidinem, aut in turpitudinis conſenſum voluntas abrepta fuiſſet. Quis enim neſcit ad expiandum ſcelus vel flagitium opere perpetratum, quàm ad purgandum unicum mentis aſſenſum plura requiri?

Repono tertiò, Concilium, dum ait: *Quod ſi neceſſitate urgente ſacerdos abſque confeſſione celebraverit, quàm-pri-*

1 *Seſſ.* 13. *de Euchariſt. c.* 7.

primùm confiteatur, duo curare; unum, ne animabus in remotioribus Parochiis, ubi unus & ſolus reſidet, ob ejus crimen remedia deſint ſalutis; alterum, ne is ſacerdos ob neceſſitatem operandi ſacris in aliorum gratiam ſe ab officio confitendi eximium arbitretur. Ne enim neceſſaria animabus deſint ſalutis præſidia, ſinit Concilium, ut ſacerdos, qui ſibi mortalis peccati conſcius eſt, quique ſibi ob caſum repentinum ſubſtituere alium non poteſt, quique copiam confeſſoris non habet, elicitâ cordis contritione, ut animarum ſerviat ſaluti, celebret non confeſſus. Ne verò is ſacerdos ſe à confitendi neceſſitate eximium credat, expreſſè mandat, ut quamprimùm confiteatur, auditurus à ſacro judice, quid ipſum ad eluendum crimen facere oporteat. Et valdè notandum, à Concilio non urgeri, ut confeſſus abſolvatur, ſed ſolùm urgeri, ut reus confiteatur, relicto in judicis arbitrio, ut cum reo agat, quemadmodum ſacræ leges, doctrina Patrum, & cœleſtis medicinæ regulæ cum lapſis ſacerdotibus jubent eſſe agendum. Nihil eſt ergo in Concilio Tridentino, quod doctrinæ hactenus à nobis expoſitæ vel tantillùm adverſetur, vel faveat citis abſolutionibus, quibus nonnulli flagitioſis turpibuſque ſacerdotibus adulantur. Servandum ergo circa illos vel maximè, quod circa alios flagitioſos beatus Saleſius præcipit eſſe ſervandum, dum ità ſcribit; „ [m] Concubinarii, adulteri, ebrioſi „ abſolvi non debent, niſi ſummum concipiant, & faciant propoſitum non ſolùm peccata ſua relinquendi, verùm etiam occaſiones eorumdem: concubinarii quidem „ ac adulteri ſuas focarias ac pellices, quas à ſe removere & „ ablegare debent; ebrioſi verò cauponas, blaſphemi luſum; quod intellige de iis, qui quendam horum peccatorum admittendorum uſum ac conſuetudinem jam aſſumpſere: itáque ſæpiùs in illa recidunt.

§. 6. Quod attinet Eccleſiaſticos, qui malis artibus aut viis ſua beneficia adepti ſunt, aut qui plura incompatibilia ſacerdotia ſine diſpenſatione legitimâ, hoc eſt, utili, aut neceſſariâ Eccleſiæ, poſſident, aut qui ſine ſufficienti & legitimâ

m *Inſtruct. Confeſſar. cap. 5.*

timâ causâ in Eccleſiâ ſuâ non reſident, aut quibus ſolemne eſt, horas Canonicas non recitare, nec ſacerdotum ritu veſtiri; de his omnibus definit ſanctus Franciſcus Saleſius animarum rector mitiſſimus [n], quòd nequaquam debeant abſolvi, niſi remedium ſe adhibituros, & omnes defectus emendaturos promittant. Si autem iſtud jam ſæpè promiſerint, nec opere adimpleverint, nihil iſtiuſmodi promiſſis fidendum, ſed ſervanda regula, quam ſanctus Thomas de Villâ novâ confeſſoribus præfixit in hunc modum locutus: „ [o] Illum autem, qui à Domino vivificatus, deſiderio ſalutis à vitiorum ſepulchro foras egreditur, vos ò ſacerdotes ſolvite, & ſinite abire. Cavete, ne eum in ſepulchro ſolvatis, priùs exeat, ut ſolvatur. *Numquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, aut veritatem tuam in perditione? Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?* Non ſuſcitat à ſepulchro medicus, ſed Deus: ſed quem ſuſcitat Deus, hunc ſolvit medicus. Priùs ergo vadat, & concubinam à domo pellat, pecuniam alienam reſtituat, contractus uſurarios rumpat, famam proximi læſam, prout poteſt, reſarciat, mercenariorum labores, & pauperum debita ſolvat, offenſo fratri reconcilietur, & veniam petat, & tunc ad Confeſſarium redeat, & abſolvatur. Hic rectus eſt ordo, hic in Lazari ſuſcitatione à Domino ſervatus eſt, hunc ordinem ne tranſgrediaris.

Eandem legem Confeſſoribus præſcripſit ſanctus Franciſcus Saleſius, ità ſcribens: „ [p] Quandoquidem complures confeſſarii ſeſe faciles exhibent, ut impendant abſolutionem ad eam, quam faciunt pœnitentes, pollicitationem ſe emendandi, occaſionem proximam deſerendi, &c. diligens examen inſtituendum eſt, an idem in anteactis confeſſionibus jam tum promiſerint; ſiquidem id polliciti fuerint, nec tamen ſteterint verbo, non eſt quòd Confeſſarius fidem habeat, ſed abſolutionem dif-

n *Ibid.* o *Serm. in feriâ 6. poſt Dom. 4. Quadrag.* p *In Conſtitut. & inſtruct. Synodalibus Tit. 9. cap. 5.*

„ ferat, donec ſint ab occaſione ſejuncti, & quidem do-
„ nec aliquo tempore illam non repetentes vixerint.

Hæc ſanctiſſimorum Antiſtitum præclara monita ſervabit ſacerdos, qui animarum ſaluti conſultum volet; & præſertim illa ſervabit, dum confitens ſacerdos eſt, cujus promiſſis in confeſſionis tribunali tantò minùs fidendum, quantò ipſe in flagitia & facinora prolapſus, plures, quibus ſe Deo obſtrinxit, promiſſiones violavit, & abrupit.

CAPUT XVII.

1. *De peccatis venialibus non loquuntur ſancti Patres, dum ajunt:* Irriſor, & non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet; *ſed de mortalibus.* 2. *Docetur, cur ex verâ de venialibus pœnitentiâ non ſequatur ab illis continentia.* 3. *Leviores culpæ, quæ in actis externis conſiſtunt, & quæ plenâ voluntate perpetrantur, dum verè habentur exoſæ, emendantur.* 4. *Qui ſine timore ruunt in peccata, quæ exiſtimantur non eſſe mortalia, in ſtatu periculoſo ſunt, in quo iis expedit abſolutionem differri.* 5. *Quid ex frequenti venialium confeſſione fœminis cavendum.*

§. 1. QUæ huc uſque tractavimus, oſtendunt quidem eos, quos criminum conſuetudo implicitos tenet, non eſſe abſolutione donandos, præſertim poſtquam pœnitentiæ ſacramentum ſæpiùs violarunt, niſi priùs ex fructibus pœnitentiæ ſe eâ dignos eſſe probaverint. Hujus doctrinæ aſſertionem repetivimus ex effato celeberrimo SS. Patrum tradentium, eum irriſorem, & non pœnitentem eſſe, qui adhuc agit, quod pœnitet; ſive falſam eſſe pœnitentiam, quando aliquis poſt abſolutionem in eadem, vel majora vel etiam paulò minora peccata relabitur.

Hoc SS. Patrum dogma, quamvis ſit certiſſimæ veritatis, dum de criminibus intelligitur, attamen non ſine enormi errore ad peccata venialia, extendi poteſt. Illorum enim aliqua, poſtquam ſacramento pœnitentiæ legitimè expiata fuerunt, ſæpè recurrunt, & plerumque eos quotidiè maculant, qui quotidie ſeſe pœnitentiæ lacrymis coram Deo emundant. Sancti quotidiè deteſtantur motus iræ, cogitationes impuras, riſum immodicum, delectationes in cibo quæſitas, motiones animi nunc plùs æquo timidas, nunc plùs juſto audaces. Ingemiſcunt crebrò ob mentis, dum Deus alloquendus aut audiendus eſt, evagationes, ob ſtuporem cordis, quo minùs ſapiunt, quæ Dei ſunt, dum interim ſenſus carnis illorum ad percipiendas corporis voluptates acutus & expeditus eſt.

Ipſi Apoſtoli, arietes Dominici gregis, de his peccatis animitùs quotidiè dolebant, & tamen ab illis ſe ipſos non omninò continebant: Undè quotidie eis uſurpanda erat hæc oratio: [q] *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, ut illâ veluti peniculo ſe ipſos per ſingulos dies emacularent.

Agunt ergo ſancti, quod nolunt, malum; & non perficiunt, quod volunt, bonum; verè pœnitent, & nihilominùs pœnitenda iterùm committunt. Hinc à Joanne ſcriptum, quòd nos ſemper tanquam reos peccatis obnoxios agnoſcere & accuſare debemus. [r] *Si dixerimus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*

His autem quotidianis peccatis, quotidiana à Domino parata pœnitentiæ medela. [s] *Si confiteamur*, inquit dilectus Apoſtolus, *peccata noſtra; fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Liquet igitur poſſe eſſe veriſſimam de peccatis venialibus pœnitentiam, tametſi eam conſtans ab illis abſtinentia haud ſubſequatur.

§. 2. Undè colligitur inter pœnitentiam de peccatis venia-

q *Matth.* 6. 12. r 1. *Epiſt.* 1. 8. s 1 *Joan.* 1. 9.

nialibus & pœnitentiam de mortalibus iſtud diſcrimen intercedere, quòd illam, tametſi veriſſimam, ſæpiſſimè non ſubſequi, hanc verò, dum vera eſt, ſubſequi continentia plerumque ſoleat.

Ratio tanti diſcriminis in eo poſita, quòd ſtatus filiorum Dei in hoc mundo ſit ſtatus victricis pugnæ. Quia ſunt filii Dei, vincunt mortalia crimina, Deo *ipſis in luctâ* ſpiritûs tantum ſuæ juſtitiæ amorem inſpirante, ut eam omnibus anteponant. Non vincunt verò omnia venialia delicta, quia quamvis non dominetur in eis concupiſcentia, attamen habitans & pugnans in eis, facilè ab incautis & in alia intentis nonnullum mali cogitatûs, conſenſûſve, vel dicti aut facti rudimentum ſuffuratur. „[t] Quoniam *tentatio eſt* „*vita humana ſuper terram*, etiamſi à criminibus longè „ſimus, non tamen (inquit Auguſtinus) deeſt, ubi deſi-„deriis peccati vel facto, vel dicto, vel cogitatu obedia-„mus, quando adversùs majora vigilantibus, *quædam in-*„cautis minuta ſubrepunt. Chriſtianus ergo longè eſt à criminibus, quia eſt ſub gratiâ, quæ non ſinit peccatum dominari; non verò longè eſt à minutis peccatis, quia *tentatio eſt vita humana ſuper terram*, & quia non habitat in carne ejus bonum. Itaque [u] *ſine capitalibus criminibus, dante & auxiliante Deo, omnimodis poſſumus & debemus eſſe*. Sine venialibus verò eſſe non poſſumus; quia concupiſcentia in hâc vitâ vinci poteſt, expugnari non poteſt; Deo expugnationem ejus daturo in præmium illis, qui poſtquam certaverunt bonum certamen fidei, apprehendent vitam æternam, in quâ vocati ſunt.

§. 3. Porrò licèt generatim loquendo veriſſimum ſit, Chriſtianos de venialibus peccatis & ſæpè dolere, & poſt dolorem eadem ſæpè committere; attamen iſtud non de omni leviorum culparum genere intelligendum eſt. Sunt enim quædam leviores culpæ, à quibus facilis eſt abſtinentia, modò vera de illis contritio elicita ſit.

Quod ut meliùs intelligatur, notari velim, eſſe venialia peccata, in quibus vel ex ignorantiâ, vel ex inadvertentiâ, vel

t *Serm. 3. in pſal.* 118. u *Aug. ſerm. 56. de temp.*

vel ex infirmitate labimur, voluntate haud plenè deliberatâ; & in his quamvis ſit vehemens pœnitentia, non eſt tamen tantum in carne mortali ſtudium virtutis, ut ab illis ſeſe omninò voluntas cohibeat; ſunt autem alia venialia peccata, quæ, cùm in externis actibus collocata ſint, vix unquam perpetrantur, quin plenâ voluntate perpetrentur. Hujuſmodi ſunt viſitationes & congreſſus, in quibus vanis colloquiis, luſu chartarum, &c. animus diſtrahitur, & à Deo avocatur, non ut contemplatione rerum cœleſtium, vel procuratione neceſſarii officii feſſus aliquâ relaxatione reficiatur, quatenùs majori devotione & alacritate ſua ſtudia, & munia repetere valeat; ſed ut tædium ex otio evitet, tempuſque, quod inertibus grave & longum eſt, fallat.

Hujuſmodi ſunt diuturnæ fœminarum moræ ante ſpecula, ut illis intendentes, ſatisfaciant vanitati, quâ ſibi ipſis & aliis ſuâ ſpecie placere volunt. Hujuſmodi ſunt diuturni in menſis accubitus contra dictamen rationis jubentis, ut cibos tanquam medicamenta feſtinantes ex ſolâ neceſſitate ſumamus, non verò tanquam delicias, in quibus diu hærere, & quaſi habitare carnales deſiderant.

Hæ autem culpæ, dum contrito corde in confeſſionis tribunali deteguntur, exinde plerumque evitantur: hæc enim non ſubrepunt invitis, ſed concupiſcentibus accedunt, vel potiùs quæruntur ab illis. Undè animus, modò velit, ſibi ab illis temperare facilè poteſt; imò niſi ſe ab illis pœnitens cohibeat, judicabit prudens animarum medicus & ſacer judex, ibi non eſſe verum de iſtis culpis dolorem, ubi ex dolore nulla emendatio proficiſcitur.

Ne ergo iſtiuſmodi peccatores ex ipſis juſtitiæ vaſis, non juſtitiæ puritatem, ſed deterioris culpæ contagia deſumant, pii animarum medici officium eſt, eis abſolutionem differre, tum ut ipſos periculo abutendi ſacramentis pœnitentiæ & corporis Domini eximat, tum ut addat eis ſtimulum ſe ipſos ab operibus inutilibus coercendi.

Hoc tantò animabus ſalubriùs illi judicabunt, qui norunt magnoperè timendum eſſe, ne illi divino careant amore;

re, qui noſcuntur vix aliis, quàm vanis & inutilibus actionibus diſtineri. Si Evangelium conſulimus, diſcemus non ſolùm facinoroſos & flagitioſos, ſed etiam inertes æternis ſuppliciis addici: [x] *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium.* Non huic dilapidatio talenti à Domino crediti, non luxuriæ & comeſſationes, non injuriæ proximo illatæ vitio dantur, ſed ſolùm deputatur ad culpam, quòd talentum Domini ſui nummulariis non crediderit, ut eam cum uſuris reciperet. [y] Fatuis Virginibus non perpetratio criminum, ſed ſolus defectus olei divini amoris exitium attulit. Qui ſacramentis veluti telis ſe Deo pulchros & acceptos reddere volunt, & interim non vacant niſi operibus inutilibus ad ſalutem, illis interitum minatur Iſaias, dum ità loquitur: [z] *Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.*

Vaſa electionis ſunt vaſa bonis operibus intenta, otioſa autem conteruntur à Domino. [a] *Contrivi Moab ſicut vas inutile, ait Dominus.* Et meritò: nam quemadmodùm dixit: [b] *Declina a malo*, ità quoque dixit, *Fac bonum*, ut ad ſalutem minimè ſufficiat mala non facere, niſi etiam bonis operibus, ſine quibus cœleſtis amor conſervari non poteſt, Deo ſerviamus.

§. 4. Deindè oportet, ut miſericors medicus animarum inquirat à pœnitentibus ſuis, qui non ſolent niſi veniales culpas confiteri, utrùm non ſint ita affecti, ut præcipites in illa ruant, quia ſibi ipſis perſuadent æternis illa ſuppliciis minimè puniri. Qui enim ità animo conſtituti ſunt, illi non videntur amare virtutem, ſed duntaxat timere ſupplicia; nec Deum colere ut Patrem, quem nolunt offendere, ſed ſolùm vereri uti judicem, à quo timent damnari. Probus enim filius non ſolùm ſollicitè cavet, ne illa committat, quibus ſcit ſe à patre exhæredandum, ſed etiam ſtudium adhibet ne illa perpetret, quibus ſuum ſcit patrem offen-

x *Matth. 25. 30.* y *Matth. 25.* z *Iſaiæ 59. 6.* a *Jerem. 48. 38.* b *Pſal. 36. 27.*

offendi, tametſi non adeò, ut filium propterea ab hæreditate dejectum velit.

Ardens amor corporis non ſolùm lethalia, ſed etiam minuta ejus vulnera ſtudiosè ſatagit evitare. Vehemens deſiderium ſalutis animæ, quæ in obſervantiâ mandatorum conſiſtit, non ſolùm mortales plagas, ſed etiam leves averſatur, quamvis majores magìs, quàm minores, dictante æternâ ſapientiâ, mentium luce, majora crimina magìs, quàm minora deteſtanda eſſe. Et quemadmodum is, [c] *qui ſpernit modica*, rei familiaris detrimenta, *paulatim* in ærumnoſam *decidit* egeſtatem: ità quiſquis in parvis non timet Deum offendere, ex iis audaciam ſumet, ut nec in majoribus ejus offenſam revereatur.

Hæc Auguſtinus præ oculis habebat, quando gregem ſibi creditum à minutis peccatis deterrens, ità alloquitur: „[d] Noli deſpicere peccata tua, quia parva ſunt. Nam & „pluviarum guttæ parvæ ſunt, ſed flumina implent, & „moles trahunt, & arbores cum ſuis radicibus tollunt. Tu „qui dicis, quia parvum peccatum eſt, velim ſcire quo„ties tale peccatum admittis, ſi tot parvulas plagas in cor„pore, & tot maculas aut ſciſſuras in veſtibus tuis fieri ve„lis? Cùm ergo nec in corpore tuo plagas, nec in veſte „ſciſſuras, vel maculas fieri acquieſcis, quâ conſcientiâ tot „facere in animâ tuâ non metuis? Ac ſic, quicumque „hoc fecerit, plùs amat veſtem ac carnem ſuam, quàm „animam. Ubi autem majus ſtudium, ut carnis vel etiam veſtis, quàm animæ integritas & puritas aut obtineatur aut conſervetur, ibi divinus amor, quo ſine nec venialia peccata remitti poſſunt, ità intepuiſſe vel etiam defeciſſe videtur, ut ex abſolutione arctior captivitas timenda in peccatis, quàm libertas à peccatis ſperanda ſit. Jubet ergo lex charitatis, quæ cupit proximo placere in bonum ad ædificationem, ut iſtiuſmodi ægris medicamentum abſolutionis, dum non profuturum, ſed obfuturum meritò judicatur, non ſtatim propinetur, ſed tantiſper differatur, quò ad illud utiliter ſumendum præparentur.

§. 5. Plu-

c *Eccli.* 19. 1. d *Serm.* 244.

§. 5. Plura hâc de re ſcribenda forent, niſi libro præcedenti cætera huc ſpectantia legi poſſent. Antequam tamen hoc caput concludam, exiſtimo hîc latino ſermone referenda eſſe, quæ Joannes Avila vitæ ſpiritualis magnus magiſter ad inſtructionem virginum & devotarum fœminarum, quæ ad expianda venialia delicta confeſſarios ſuos frequenter adeunt, hiſpanicè ſcripta reliquit. Ille enim vir ſanctus, cùm animadvertiſſet ex frequentibus fœminarum confeſſionibus, & occaſione confeſſionum ſermocinationibus cum confeſſariis & directoribus ſæpè naſci carnales & impuros affectus, quibus animæ fœdantur, hujus periculi & confeſſarios & pœnitentes ità monet: „ [e] Fuge, inquit „ inſtruens piam & illuſtrem virginem, viris familiaris eſſe. „ Nunquam ſola ſis cum ullo illorum, niſi cum confeſſa„ rio tuo; neque diutiùs apud illum commorêris, quam „ poſtulat confeſſio. Et hæc nullis ſuperfluis verbis protra„ henda eſt, ne multiloquio & ipſa pecces, & peccandi oc„ caſionem confeſſario præbeas. Hoc tantò ſtudioſiùs cu„ randum eſt, quò confeſſio ordinata eſt, ut tollat, & „ non ingerat peccata. Nihil enim magìs perverſum, quàm „ eo uti ad augendos animarum morbos, quo illos curari „ oportet.

„ Sponſæ Chriſti, præſertim juveni, magnâ diligentiâ „ & prudentiâ in eligendo confeſſario opus eſt. Neceſſe ut „ is ſit vitæ irreprehenſibilis, & famæ illibatæ, atque æta„ tis maturæ. Hic ubi fuerit repertus atque electus, tum „ obſervandæ animi affectiones, ne circa hunc ferè eâ ra„ tione occupentur, quâ animus matrum familiâs circa ma„ ritum prolesque ſuas cogitando, amando, & ſatagendo „ occupatur. Locus, quem in corde uxoris maritus occu„ pat, in corde virginis non confeſſario, ſed Chriſto, qui „ unus virginum ſponſus eſt, totus dandus eſt. Non cogi„ tandum de confeſſario, niſi ut, quod ipſe docet, vir„ go opere exerceat. Dum Dei, qui ſolus ſpes & conſola„ tio noſtra eſt, voluntas ſinit, ut confeſſarii præſentiâ vir„ go deſtituatur, id æquo ei animo ferendum eſt.

„ Si

[e] *Cap. 8. ſuper Audi filia.*

„ Si autem, qualem deſcripſimus, confeſſarium virgo „ aut fœmina Deo devota reperire non poteſt, ſatius ei „ fuerit, ut ſacrorum librorum lectione & meditatione con- „ tenta, non niſi ter aut quater in anno peccata confitea- „ tur, ſumatque ſacramentum corporis Domini; quàm ut „ frequenti confeſſione de incontinentiâ aut inordinatis af- „ fectibus ſuſpecta fiat. Et licèt inquietorum affectuum ſi- „ bi conſcia virgo non foret, tamen ne aliis ſcandalo ſit, „ etiam ab illis congreſſibus & ſermocinationibus cavere de- „ bet, quæ aliis malè ſuſpicandi materiem ſufficere nata „ ſunt.

Hæc Avila, qui præcedenti ſæculo ab arte animas in ſalutis viâ dirigendi, clarum nomen apud Deum & homines fuit promeritus. Et licèt in noſtro Belgio, ſæpe occurrant neceſſitates, quæ poſtulant, ut Devotæ Deo Virgines Confeſſarios tametſi non causâ confitendi, conveniant: ex tanti tamen viri monito diſcendum virginibus, ne causâ fallendi tempus eos adeant; diſcendumque ipſis ſacerdotibus, quanta cum cautela eas audire & alloqui, ipſos oporteat; ne quis impurus affectus in illarum cordibus, quæ veluti Sancta Sanctorum uni ſummo Pontifici Chriſto Domino patêre debent, exoriatur. Summoperè itaque & Virginibus & Sacerdotibus curandum, ut ſint Sancti corpore & ſpiritu.

CAPUT XVIII.

1. *Salubriori clavium uſui objiciuntur exempla Prophetarum & Apoſtolorum ſacramenta cum malis communicantium: item doctrina priſca Eccleſiæ contra Donatiſtas: demùm ipſum ſacramentorum officium in eo poſitum, ut fideles ſibi invicem connectant.* 2. *Reſpondetur, recto uſui clavium non officere exempla aut Prophetarum aut Apoſtolorum.* 3. *Nihil etiam ei officere, quod contra Donatiſtas docuit Eccleſia.*

 4. *ſicuti*

4. ſicuti nec obſtat, quod ſacramenta ſunt vincula, quibus mali cum bonis connectuntur Non probat Eccleſia, quòd mali ſacramenta inhonorent. 5. Non deſerenda diſciplina utilis, quia ea malis moleſta eſt. Exponitur, quo ſenſu ſacramenta dicantur vincula unitatis. 6. Non decet ſacerdotem loqui placentia, ut malos habeat amicos. Boni Parochi integras parochias ſæpe convertunt, ut verum non ſit, ubique malos numero bonis ſuperiores eſſe, & bonos Parochos ſemper vivere in diſcordiâ & contentione. 7. Corrupti mores dirigendi ad rectitudinem Evangelii. Diſciplina, quam commendavimus, vera, quia difficilior, quàm ut ab ignaris & ignavis adminiſtrari rectè poſſit.

§. 1. SIcuti in ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio non defuerunt, qui volentes placere in carne, ſive carnalibus Judaicæ legis ritibus ac ceremoniis, alios volebant circumcidi, [a] *tantùm ut crucis Chriſti perſecutionem* non paterentur; neque enim qui circumcidebantur, legem cuſtodiebant; ſed volebant eos circumcidi, ut in carne ipſorum gloriarentur, tanquam inſignitâ ab illis circumciſionis ſigillo:Ità non deſunt nunc, qui contendunt, criminum reos, tametſi impœnitentes, ſacramentali abſolutione donandos eſſe, non quòd credant eis fructum ex illâ proventurum, ſed tantùm ut ipſi crucis Chriſti perſecutionem non patiantur, & ſimul ipſis liceat in carne, ſive in multitudine carnalium aſſeclarum gloriari, rati ex ſolitudine contemptum & pauperiem enaſci. [b] *In paucitate enim plebis ignominia principis.*

Ne autem hæc renitente Scripturâ, & Eccleſiaſticâ traditione aſſerere videantur, exempla proferunt tum Prophetarum, tum Apoſtolorum, qui cum peſſimis hominibus

a *Gal.* 6. 12. b *Proverb.* 14. 28.

bus ſacramenta communicarunt; allegant quoque doctrinam Auguſtini contra Donatiſtas, docentis bonos & malos iiſdem uti ſacramentis, horum malitiâ non inficiente illorum bonitatem. His addunt ſacramenta inſtituta eſſe, ut ſint vincula Chriſtianæ unitatis, non verò incitamenta contentionum atque pugnarum. Fore autem ſacramentum pœnitentiæ ſeminarium diſſenſionis ac æmulationis, quibus oves contra paſtores, & ſubditi contra præpoſitos inſurgunt, ſi illis volentibus abſolvi, eos nihilominùs ipſi ſine abſolutione dimittant. Has diſſenſiones quotidiè videri, ſubditis præpoſitos ſuos non ſequentibus, ſed deſerentibus, dum illi eos citiùs ſolvere nolunt, quàm dignis pœnitentiæ fructibus, ſeſe eſſe converſos, & abſolutione dignos probaverint: atque hinc fieri ut criminoſi pejores evadant, quærentes [c] *magiſtros prurientes auribus, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus,* [d] *& faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*, à quibus aut honorem, aut quæſtum percipiant. Hæc illi, uti putant, prudenter: ſed, quemadmodum vereor, prudentiâ carnis, quæ, teſte Apoſtolo, [e] *mors eſt.*

§. 2. Verum quidem eſt, nec Prophetas tempore veteris legis, nec Apoſtolos tempore manifeſtatæ gratiæ, deſeruiſſe aut templa, aut ſacrificia, aut ſacramenta, quia ea à malis frequentabantur: non enim fas eſt, ut oves ſua vellera exuant atque abjiciant, vel quia deſtitutæ ſcientiâ, quæ fictos à ſinceris diſtinguit, nequeunt impedire ne lupi ea uſurpantes ſe ipſos induant; vel quia non tantâ inſtructæ ſunt poteſtate, ut lupos ovinis pellibus indutos, tametſi cognitos ſalvis ovibus expellere valeant. Sed nunquam invenietur, Prophetas aut Apoſtolos tanquam judices definiviſſe, quòd lupi ovium velleribus digni ſint: nunquam invenietur, eos tanquam medicos ordinaſſe, ut mortaliter ægri alimentis ſanorum, quibus ipſos ſciebant non reficiendos, ſed occidendos eſſe, utantur: nunquam invenietur, eos tanquam conſiliarios præbuiſſe conſilia, quæ ſciebant perniciem allatura. Hoc eſt, nunquam occurret

c 2 *Tim.* 4. 3. d *Ezech.* 13. 18. e *Rom.* 8. 6.

lex, nunquam exemplum, quo probetur, à Prophetis vel ab Apoſtolis eos ſacramentis dignos judicatos fuiſſe, quos meritò credebant iis indignos eſſe; vel ea alimenta ægris præſcripta fuiſſe, quibus ſciebant eos non ſaluti, ſed morti æternæ fore mancipandos. Nunquam etiam invenietur, quòd vel Prophetæ vel Apoſtoli conſulti, reſponderint volentibus ex illorum arbitrio ſacramenta ſumere, quòd ea ſumere ipſis liceret & expediret, quando ſibi ipſis perſuadebant, quòd ea ad ſuum judicium ac damnationem ſumerent atque perciperent.

Is qui ſacerdoti ſua crimina confitetur, eum adit tanquam judicem, à quo audiat, quid ſit commeritus; tanquam medicum, à quo diſcat, quid ſuæ valetudini proſit; tanquam Conſiliarium, ex quo cognoſcat, quid bono ſuo expediat. Oportet ergo ut ſacerdos ex juſtitiæ, medicinæ, & prudentiæ legibus reſponſa promat. Aliter ſi agat, deeſt officio, quod ei incumbit.

Quòd ſi confitens ſua crimina ſacerdoti non eâ mente exponat, ut judicio, arti, atque conſilio ejus ſeſe ſubjiciat, ſed ipſum adeat, ut cum ejus approbatione atque conſenſu ſacramenta, ad quæ minimè paratus eſt, ſumere poſſit, tum ex illis eſt, qui ſuam conſcientiam (quemadmodùm ferè ait Ambroſius) confitendo non exuere, ſed ſacerdotis volunt induere, ſive inficere: vel etiam ex illis, qui aquis hauſti atque abrepti, eos, qui ipſis manum protendunt, ſecum in perniciem trahunt, vel qui nolunt eſſe ſimpliciter mali, niſi etiam cum auctoramento religionis, & Chriſtorum Domini in crimina ruant. Quanta autem foret imprudentia, quanta ſocordia, quanta abjectio ejus ſacerdotis, qui illorum prolubiis morem gereret, à quibus nec tanquam judex, nec tanquam medicus, nec tanquam conſiliarius; ſed duntaxat tanquam vilis aſſentator reſpicitur? Sacerdos itaque ſuæ dignitatis ac officii memor, tales confitentes non palpabit impertiendo eis abſolutionem, quâ indigniſſimi ſunt; ſed ipſos arguet, ſed ipſos increpabit, ſed ipſos inſtruet, ſed ipſos hortabitur, ut [f] *reſipiſcant à dia-*

f *2 Tim. 2. 26.*

diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.

„[g] Vera regula exemplis Propheticis atque Apoſtolicis „probat, malos eſſe potiùs tolerandos, ne deſerantur bo- „ni, quàm bonos deſerendos, ut ſeparentur mali. Tan- „tùm ut ab imitatione, à conſenſione, à vitæ ac morum „ſimilitudine reprobi ſejungantur, ſimul creſcentes, ſi- „mul in tribulatione permixti, ſimul intra retia congre- „gati uſque ad tempus meſſis, ventilationis & littoris. Sed vera regula nullis exemplis Propheticis atque Apoſtolicis probat, quòd ſacerdos perindè eos, quos impœnitentes judicat, ac pœnitentes abſolvere, quòd iis in pœnitentiæ tribunali, dum ſe aſſerunt pœnitere, credere debeat, qui iſtud anteà ſæpè falsò aſſeruêre. Nihil eſt ergo in exemplis & factis Prophetarum aut Apoſtolorum, quo docemur, à ſacerdotibus reos criminum toties ſolvi debere, quoties ipſi ſe ipſos abſolutionis dono idoneos putabunt.

§. 3. Eſt quidem perpetua Auguſtini, vel potiùs Eccleſiæ Catholicæ contra Donatiſtas doctrina, in eâdem Eccleſiâ bonos & malos, ſicuti in eiſdem paſcuis oves & hœdos, in eâdem ſagenâ bonos & malos piſces, in eâdem areâ frumentum & paleas, pariter congregari, horum malitiâ iſtorum non inficiente bonitatem: „[h] Quia communio „malorum non maculat aliquem participatione ſacramento- „rum; ſed conſenſione factorum. Nam ſi in factis non „eis quiſque conſentiat, portat malus cauſam ſuam & per- „ſonam ſuam, nec præjudicat alteri, quem in conſenſio- „ne mali operis ſocium non habet criminis. Verùm nunquam & nuſquam Sancti Patres docuerunt, quòd advocatus ſacerdos ad animarum morbos curandos, tunc poſſit medicamenta abſolutionis adhibere, quando prudentia ac ratio judicat, ea ægro obſutura, & non potiùs illud debeat tempus expectare, quo profutura videntur. Nunquam & nuſquam docuerunt ſancti Patres, quòd ſacerdos graviſſimos animarum morbos multis annis inolitos, & per ſa-

 cra-

g *Aug. ep. 255. ad Macrobium cap. 6.* h *Epiſcopi de Concilio Zertenſi ad Donatiſt. epiſt. 152. inter epiſt. Auguſt.*

cramentorum uſum non curatos, ſed potiùs auctos cum prudentiâ æſtimare poſſit, tam citò plerumque ſanari, ac leves infirmitates, nec morâ radicatas, nec malignitate lethales. Nunquam & nuſquam Patres docuerunt, quòd ſacer judex reis, qui ſe ſemper accuſant, & nunquam emendant, credere debeat, dum ſe dolere dicunt, tametſi nullos dignos pœnitentiæ fructus proferant, tametſi nihil oſtendant niſi folia ſponſionum de vitâ emendandâ ſæpè anteà in ſacris tribunalibus editarum, & nunquam extra tribunalia ſervatarum.

Deindè, non eſt ibi ſolùm participatio ſacramentorum, ſed eſt etiam ibi conſenſio factorum, ubi ex conſenſione & auctoritate ſacerdotis ſacramentum pœnitentiæ & Euchariſtiæ ab illis accipitur, quos multò probabilius eſt, illud malè, quàm benè accepturos eſſe. Illud enim malum factum, quod in iſtiuſmodi ſacrilegâ abſolutione & ſumptione corporis Domini poſitum eſt, ſacerdotem reum facit; quia ex illius non ſolùm conſenſione, ſed etiam ex illius auctoritate perpetratur: cùm reis, corpore ſanis, tantas pœnitendi inducias præſcribere poſſit ac debeat, quantæ neceſſariæ ſunt, ut de eorum converſione prudens judicium queat formare. Liceat itaque concludere in doctrinâ Patrum, quâ docent, propter filios iniquitatis non eſſe deſerenda ſacramenta & paſcua unitatis, nihil eſſe, quod præcipiti & imprudenti judicio faveat, quo plures ſacerdotes criminoſos abſolvere noſcuntur.

§. 4. Porrò, quis dubitat ſacramenta eſſe vincula, quibus homines etiam mali cum bonis in eadem religionis ſocietate conjunguntur? ſed indè malè conficitur, ea perindè malis ac bonis tradenda eſſe. Ità miniſtri Eccleſiæ, à Chriſto inſtituti ſunt, ut quà prædicationis inſtantiâ, quà diſciplinæ ſeveritate ſtudeant, ne alios quàm dignos ſacramentis initient. Hinc ex priſcâ diſciplinâ nemo ætate adultus ad baptiſmum admitti poteſt, niſi catechumenatu exploratus ſpem præbeat, quòd Chriſtum imitando, ambulabit dignè Deo. Hinc Auguſtinus librum de fide & operibus conſcripſit, ut doceret, baptiſmi fonte non alios

abluen-

abluendos eſſe, quàm qui à criminibus recedere prompti erant. Hinc in priſcâ Eccleſiâ, juſſis è templo abire omnibus flagitioſis, & facinoroſis, ipſiſque catechumenis, ac pœnitentibus, ſoli ſancti ad communionem corporis Domini invitabantur. [k] Hinc ad abſolutionem ſacramentalem, teſte Origene, Eccleſia antiqua lapſos reſipiſcentes, haud ſecus quàm redivivos tandem poſt longiorem mentis approbationem, quàm cùm primùm ad religionem addiſcendam admitterentur, recipiebat. Sunt ergo ſacramenta à Deo inſtituta, ut non aliis, quàm dignis tradantur; eſtque officium illorum, qui ſunt diſpenſatores myſteriorum Dei, ut non aliis, quàm religiosè præparatis, ea præbere ſatagant.

Quòd autem ſacramenta ab indignis percipiantur, id non probat, ſed luget Eccleſia; & licèt illud toleret propter bonum unitatis, ne volens colligere zizania, eradicet ſimul & triticum, nihilominùs tamen illud reprehendit, propter bonum æquitatis, quæ oſtendit malos tantis ſacramentis indignos eſſe. Undè etiam malorum temeritatem, quâ ſacramentis, quibus percipiendis idonei non ſunt, audent communicare, Eccleſia reprehendere non ceſſat. Peſſimè ergo infertur ex eo, quòd ſacramentorum participatione mali in Eccleſiâ cum bonis colligantur, debere ſacerdotes imparatis & impœnitentibus, ne in ſchiſmata abeant, ne à paſtoribus recedant, & ne recedentes triticum ſecum trahant, abſolutionis beneficium impertiri; id enim non eſſet malos tolerare, ſed malorum ſacrilegiis conſentire; id eſſet, eos iſtis ſacramentis dignos pronuntiare, ad quæ inidonei eſſe noſcuntur.

§. 5. Sicuti non eſt negligenda veritatis prædicatio, & criminum redargutio, modò prævideantur eſſe, quibus ea provenient ad ſalutem, quanquam non deerunt obdurati, qui iis offenſi prædicatoribus detrahent, ut ab eis, quos poſſunt, avertant: ità ſacerdos non poteſt ab iſtâ ratione adminiſtrandi ſacramenta, quam Chriſtus inſtituit, deficere; quamvis obduratorum ac ſuperborum contra ſe odium ac perſecutionem inde prævideat naſcituram.

k *Contra Celſum. l. 3. pag.* 143.

Hæc fuit mens Cleri Romani. Hæc ſententia ſanctiſſimorum Confeſſorum Moyſis, Maximi, Nicoſtrati, Ruffini. Hæc doctrina glorioſiſſimi martyris Cypriani; quorum verba ſupra retulimus [l]. Horum inſtitutionem atque propoſitum ſequamur; [m] nec hoc curemus ſolùm, (loquor cum Chryſoſtomo) ut multi diſcipuli fiant, ſed „ magìs ut præclari & probi. Ubi hoc effectum fuerit, tunc „ & illud ſequetur. Nullus domum ſpatioſam primùm vult „ facere, ſed primùm validam & idoneam, & tunc ſpatioſam. Nullus mittit fundamenta, ut derideatur. Primùm hoc quæramus, & tum illud. Hoc ſi eſt, facilè „ & illud erit. Si illud autem non eſt, hoc etiamſi ſit, nulla utilitas. Nam ſi fuerint in Eccleſiâ clari, ſtatim erit „ etiam multitudo: hi autem non ſint, nunquam erit in „ Eccleſiâ honeſta multitudo.

Quòd ſi contingat, ut ſacerdos ſtudioſus ſalutis animarum deſeratur ab obſtinatis, illorum ſortem *dolebit*, & ſimul æmulabitur Salvatorem noſtrum, qui cùm multi diſcipulorum ejus abibant retrò, ut non ampliùs cum illo ambularent, dixit ad duodecim ſecum remanentes: [n] *Numquid & vos vultis abire?* Tum ut hâc eis libertate oblatâ ſignificaret, quòd diſcipulos haberet non ſui commodi aut honoris gratiâ, ſed duntaxat ipſorum ſalutis ergò; tum ut hâc ſui animi magnitudine ab omni propriæ utilitatis & honoris ſtudio alienâ, uniuſque Dei approbatione contentâ eos ad remanendum magìs incenderet. Si ſacerdos hanc liberam Chriſti charitatem imitetur, exiſtent plurimi, qui, refugientibus ab eo canibus, ad ſuum vomitum redire conſuetis, volentes cum eo manere dicent: [o] *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.*

Non ſunt igitur ſacramenta eo ſenſu dicenda ſigna unitatis, quaſi ſacerdos ſine reſpectu ad virtutes & vitia, ea perindè malis ac bonis præbere poſſit, ut malis perindè ac bonis ſit ſacramentis veluti amicitiæ ſymbolis ac confœderationibus fœderatus: verùm ſunt & dicuntur vincula unitatis,

l *Cap.* 1. §. 5. 6. m *Homil.* 24. *in acta Apoſt.* n *Joan.* 6. 68.
o *Ibid. v.* 69.

tatis, primò quidem, quòd ſine illis, ſicuti docet Auguſtinus, & ratio declarat, homines impoſſibile ſit in eâdem religionis ſocietate adunari. 2. Quòd ea ſuſcipientes, charitatis flammam in ſe ipſis excitare debeant, quâ Chriſto tanquam ſuo capiti, ſepoſitis terrenis affectibus, quibus creaturis agglutinamur, & proximis tanquam ſuis membris, diſſenſionibus rejectis, quibus ab illis dividimur, intimiùs uniantur. Et quia hæc charitatis erga Chriſtum & proximum affectio maximè excitanda, dum Euchariſtiæ communicamus, hinc Auguſtinus de illâ loquens exclamat: „[p] O ſacramentum pietatis! ò ſignum unitatis! ò „ vinculum charitatis! Hinc quoque docet Apoſtolus, quòd [q] *unus panis, unum corpus multi ſumus, qui de uno pane participamus.*

In ſacramento autem pœnitentiæ etiam hæc affectio charitatis excitanda; quia eſt ſacramentum noſtræ cum Deo reconciliationis, quod ſine dilectione, quâ Deus omnibus anteponitur, (ſicuti priori libro fusè oſtenſum eſt) fieri nequit. Neque etiam perficitur ea reconciliatio, quâ Deus nobis dimittit debita noſtra, niſi & nos ſincerâ dilectione debitoribus noſtris dimittamus.

In uſu aliorum ſacramentorum hæc duplex charitas etiam ſpeciali ratione excitanda & elicienda eſt, ut cuivis ad ea reflectenti advertere promptum eſt.

§. 6. Sed dices nunquam futurum, ut parochus juxta regulas ſupra ex ſancto Borromæo relatas, ſacramentum pœnitentiæ adminiſtrans cum populo ſuo pacem ſit habiturus, exiſtentibus ſemper in omni grege pluribus malis, qui iſtas regulas averſantur tanquam ſuis commodis & honori adverſas, quàm bonis, qui ſe illis libenter ſubjiciunt.

Verùm repono, primò quidem, ſacerdotes in Eccleſiâ poſitos eſſe, non ut loquantur placentia, & videant vana; ſed ut annuntient populo Dei ſcelera ſua, & domui Jacob peccata ſua. Quare eo in officio poſiti cum Jeremiâ religioſâ querimoniâ dicere poſſunt. [r] *Væ mihi mater mea: quarè genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in univer-*

 ver-

[p] *Tract.* 26. *in Joan.* [q] 1 *Cor.* 10. 17. [r] *Jerem.* 15. 10.

verſâ terra? Vix autem poſſibile, ut vir rixæ non ſit, Chriſti inſtar, in ſignum cui contradicatur: atque adeò mirum non eſſe, ſi boni paſtores cum hœdis ſui gregis pacem habere non poſſint. Imò boni paſtores non eſſent, ſi malis placerent. Hinc magnificè excellens Paſtor in ſuis epiſtolis ità loquitur: [s] *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.*

Repono ſecundò, probum paſtorem, ſi officio inſtet, ſi à regulis, quas præſcribit ars animabus medendi, non recedat, ſi ſpem ſuam in Domino figat, & ad eum in anguſtiis, Moyſis inſtar, confugiat, non poſt longa temporis ſpatia populum ſuum, tametſi laxiori diſciplinæ aſſuetum, ſibi morigerum habiturum. Nam licèt ſit fide & experientiâ certum, nunquam Eccleſiam univerſam ſine malis eſſe, ſæpè tamen fit, ut integræ parochiæ, quibus pius, prudens & doctus ſacerdos præeſt, divina mandata ſervent, in parocho ſuo Chriſtum audiant, colant & ſequantur. Exemplo eſt Jeroſolymitana in ſuo exordio Eccleſia, in quâ [t] *multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Exemplo eſt Eccleſia Theſſalonicenſis, in quâ Paulus plura laudat, & vix quicquam reprehendit; undè illos iſtis blandis verbis alloquitur: [u] *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſtis in adventu ejus? Vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium.*

Exemplo eſt Eccleſia Philippenſis, quos Paulus ſimili elogio honorat, quo Theſſalonicenſes condecorat: nam vocat illos [x] fratres ſuos chariſſimos & deſideratiſſimos, gaudium ſuum & coronam ſuam. Exemplo eſt illa civitas, quæ in vita S. Pachomii deſcribitur, ac ſi in omnium, qui in eâ erant, Chriſtianorum moribus præcepta Dei fulſiſſent, & ac ſi in omnium cordibus charitas Deum colens & proximo benefaciens principatum tenuiſſet. Exemplo ſunt integræ militum legiones, quæ ſub ſuis tribunis Victore atque Mauritio tantæ fuerunt ſanctitatis, ut martyrio dignæ extiterint. Exemplo ſunt plures religioſæ ſocietates, quæ ſub

s *Gal.* 1. 10. t *Act.* 4. 32. u 1 *Theſſ.* 2. 19. x *Philip.* 4. 1.

ſub Antoniis, Pachomiis in ſuis lauris, ſub ſancto Benedicto, ſub ſancto Brunone, ſub ſancto Bernardo, ſub ſanctâ Thereſiâ in ſuis cœnobiis, tanquam in imagine civitatis cœleſtis ità vixerunt, ut univerſæ non imaginem terreni; ſed cœleſtis hominis portaſſe noſcantur.

Fuère ergo, & ſunt etiam hodiè religioſæ congregationes numero non exiguæ, in quibus virtus ità eminet, ut mali in eis aut omninò non ſint, aut certè lateant.

Hujus laudis pars non modica etiam extra lauros & cœnobia reperitur. Non deſunt variis in provinciis, præſertim ruri, parochiæ, quæ à parochis ſuis ità plantatæ & rigatæ ſunt, ut, Deo dante incrementum, totæ videantur albæ eſſe ad meſſem; & non ſiccæ ad combuſtionem. Hæc Salvatoris noſtri benedictio plerumque comitatur ac confirmat piorum ſtudia ſacerdotum, à quibus pauperes & ruricolæ evangelizantur, ut vanam eſſe oporteat illorum perſuaſionem, qui arbitrantur in omnibus parochiis malos ſemper numero prævalere. Inſtet ergo bonus paſtor paſcendo & formando gregi, & confidat quòd Dominus ponet [y] *ſicut oves familias*: hoc eſt, reddet morigeras, reddet obſequentes; ut poſt nonnullos labores exantlatos, Deo ſuo cantare poſſit: [z] *Benedictus Dominus Deus meus, ... qui ſubdit populum meum ſub me.*

§. 7. Non putet ſacerdos, ut ad tantam perveniat felicitatem, neceſſe eſſe, ut Evangelii rectitudinem ad populi corruptos mores inflectat. Hæc enim perſuaſio non eſt ex Deo; ſed ex patre mendacii. Verùm annitatur curvos populi mores ad Evangelii rectitudinem erigere. Humiliet ſemetipſum, factus omnium ſervus, ut omnes ſalvos faciat: ſed non humiliet Evangelium; [a] *virtus enim Dei eſt.* Non ergo humiliatio, ſed exaltatio Evangelio competit.

Probus itaque ſacerdos & Evangelium annunciabit, & ſacramenta adminiſtrabit eâ ratione, quâ Chriſtus inſtituit, & quâ ſancti ejus inſtitutionem executi ſunt. Ab hâc viâ non ſe ſinet abduci perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed erit firmus in veritate ſenſus ſui, ne deceptus in ſtultitiam ſeducatur.

y *Pſal.* 106. 41. z *Pſal.* 143. a *Rom.* 1. 16.

Sed

Sed iterùm quis dicet; Dirigere animas, & diſpenſare ſacramentum pœnitentiæ juxta regulas à ſanctis Patribus inſtitutas, & à ſancto Carolo innovatas, rem eſſe admodùm arduam, quæ ſine magnâ prudentiâ, fortitudine animi, patientiâ atque conſtantiâ executioni mandari non poſſit, pleriſque peccatoribus duros pœnitentiæ labores averſantibus, & hâc opinione imbutis, ad ſalutem ſufficere mollem illam pœnitendi rationem, quam multi commendant. Paucos verò ſacerdotes inveniri, quibus eæ dotes adſint, quæ poſtulantur, ut juxta beati Borromæi regulas animæ curentur,

Ad hæc repono: Hâc objectione non impugnari pœnitendi diſciplinam à ſancto Carolo delineatam, ſed oppidò confirmari. Nam quòd requiratur oculata prudentia, patiens charitas, excelſus animus in medico animarum, ut eas juxta regulas à Deo traditas, & à ſanctis deſcriptas, ægras ſanare, & ſanas conſervare queat; illud *oſtendit* eas regulas veras eſſe & à Deo inſtitutas. Docet inſtrumentum vetus ad judicandum, de omni plebe eligendos eſſe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam [b]. Poſtulat novum teſtamentum, ut ad regendum Dei populum adhibeantur non alii, quàm irreprehenſibiles, quàm prudentes, quàm ſancti, quàm continentes, quàm ſobrii, quàm doctores, qui potentes ſint exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos, qui contradicunt arguere [c]. Teſtantur omnes ſancti, eſſe artem artium regimen animarum, [d] *nihilque in hâc vitâ, & maximè hoc tempore difficilius, laborioſius, ac periculoſius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo imperator noſter jubet.* Quòd igitur ad animas juxta rationem, quam expoſuimus, dirigendas atque curandas magnæ & divinæ animi dotes requirantur, illud probat, eam eſſe genuinam, Deoque probatam: & è contra eam eſſe ſpuriam, quam Caſuiſtæ deprædicant: ea enim à vilibus & abjectis ingeniis geri & exerce-

b *Exodi.* 18. 21. c 1 *Timoth.* 3. *Tit.* 1. d *Greg. Naz. in Apolog. Greg. Mag. reg. Paſtor. part.* 1. *c.* 1. *Auguſt. ep.* 148.

exerceri facilè poteſt. Certum enim, „[f] nihil eſſe in hâc „vitâ, & maximè hoc tempore faciliùs, & lætius, & ho„minibus acceptabilius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Dia„coni officio, ſi perfunctoriè & adulatoriè [juxta laxorum „Caſuiſtarum placita] res agatur: ſed certum quoque eſt, „nihil eſſe eâ ratione apud Deum miſerius, & triſtius, & „damnabilius.

Illa ergo animas curandi ratio, quæ à vilibus & terrenis hominibus iniri poteſt, non eſt illa ars artium, cui uterque Gregorius, Nazianzenus & Magnus, cui Chryſoſtomus & Auguſtinus ſe ipſos haud pares reputabant: ſed eſt potiùs iſtius divinæ & excelſæ artis degener ſimulatio, faſcinandis, & non curandis morbis appoſita.

Nec juvat adverſarios dicere, eſſe paucos animabus iſtâ ratione curandis pares: etenim, quòd pauci ſint, noſtra facit impietas, quæ cogit Dominum, ut auferat [g] *à Jeruſalem & à Judâ validum & fortem, omne robur panis & omne robur aquæ; fortem, & virum bellatorem, judicem, & prophetam, & ariolum, & ſenem; principem ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & conſiliarium, & ſapientem de architectis, & prudentem eloquii myſtici.* Quid ergo? Reſipiſcamus, & faciamus quod Chriſtus jubet, dum ait: [h] *Rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Rogemus ut impleat promiſſum ſuum, mittens nobis doctores juſtitiæ, nec ultrà faciat à nobis præceptores noſtros avolare [i]. Iſtiuſmodi ſupplicatione victus ſuſcitabit ſacerdotes fideles, qui juxta cor ejus, & animam ejus facient, & ambulabunt coram Chriſtianis ejus cunctis diebus.

f *Auguſt. Ibid.* g *Iſaia 3. 1.* h *Matth. 9. 38.* i *Iſai. 30. 20.*

CAPUT XIX.

Proponuntur decem induſtriæ, quibus diſciplina rectè adminiſtrandi ſacramentum pœnitentiæ iis in locis, in quibus neglecta fuit, introduci & firmari commodè poſſit.

UT in iis locis, in quibus indiſcreta ratio adminiſtrandi pœnitentiæ ſacramentum diù viguit, ſalubrior uſus, quem S. Borromæus ſuâ inſtructione deſcripſit, commodè introducatur, hocce capite referentur induſtriæ, quibus tantum bonum faciliùs poterit procurari.

In primis ad id utile videtur, ſæpè populo exponere neceſſitatem pœnitendi, quæ tanta eſt, ut nemo extra Eccleſiam poſitus, ſive hæreticus, ſive ſchiſmaticus, ſive Mahometanus, ſive Judæus, ſive gentilis ſit, membrum ejus fieri valeat, niſi eum pudeat errorum, & niſi ſuſpiret veritati, eique & fidem & mores ſuos conformare deſideret. Hinc Joannes Chriſti Præcurſor, hinc ipſe Chriſtus Dominus, hinc Petrus à pœnitentiæ prædicatione ſuam legationem inceperunt; ut eos, qui Salvatorem ſuum neſciebant, ad eum perducerent. Nemo etiam in Eccleſiâ conſtitutus, quantumvis juſtus in juſtitiâ valeat perſeverare, niſi quotidianâ pœnitentiâ exhauriat, quæ quotidiè obrepunt, parva delicta, quæ ſi collecta contra nos fuerint, ità nos gravabunt, & opprimènt, ſicut unum aliquod grande peccatum. „[k] Quid enim intereſt, (ait Au„guſtinus) ad naufragium, utrùm uno grandi fluctu navis „operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua per „ſentinam, & per negligentiam derelicta, atque contem„pta impleat navem, atque ſubmergat. Propter hæc jeju„nia, & eleëmoſynæ, & orationes invigilant, ut ea evacuent.

Nemo Catholicus reus peccatorum, quæ uno ictu occidunt animam, ad vitam juſtitiæ revocari poteſt, niſi vehementi dolore affectus faciat fructus dignos pœnitentiæ, ſe-

k *Aug. ep. 108. ad Seleucian.*

ſecedendo ab occaſionibus peccatorum, detrahendo ſomno, cibis, apparatui veſtium, ut orationibus, eleëmoſynis, aliiſque religioſis operibus magìs vacare, Deumque ſibi propitium reddere poſſit.

Secundò, inculcandum populo pœnitentiam non eſſe utilem, niſi ſit conſtans ac perſeverans: non enim aliis promiſſa ſalus, quàm uſque in finem perſeverantibus. [l] *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Nec ſolùm eos ſalute deſtitui, qui poſt actam pœnitentiam in crimina relabuntur: verùm etiam inſtar canum, qui ad vomitum ſuum revertentes ſine nauſeâ & ſtomacho videri non poſſunt, coram oculis Dei, ejuſque ſanctorum horribiles fieri. Imò vix ullum certius reprobationis ſignum eſſe, quàm ſacramenta ſumere non ad ſalutis, ſed ad vitiorum incrementa: ubi enim ipſa medicamenta morbos non tollunt, ſed nutriunt, ibi valetudo ferè deſperata, & mors certa. Conſuli hâc de re poteſt Recupitus, eruditus è Societate Jesû ſcriptor.

Tertiò, declarandum, omnes, qui ſanâ mente, corpore ægri ſunt, illam deſiderare medendi rationem, quâ valetudo ſtabilis, & non horaria aut diurna procuratur; & è contrà circumforaneos averſari, à quibus ſciunt non firmam pulſo morbo, morbique radicibus introduci, ſed ſolùm ad breve tempus morbi ſenſum tolli, vimque faſcinari, ut paulò poſt majori impetu redeat, ægrumque crudeliùs affligat, & vehementiùs opprimat: Ità omnes verè pœnitentes amare eam artem animas curandi, quæ ſpiritalium morborum ſublatis cauſis, vel certè victis, per eas cauſas, ex quibus bona animæ valetudo dimanat, durabilem parit ſanitatem: & fieri non poſſe niſi ex cæcitate & mentis inſaniâ, ut quis amet eam methodum curandi animas, quâ morbi impetus non niſi ad modicum temporis ſpatium ſufflaminatur, ut poſteà aſſumptis novis viribus eas magìs magíſque in crimina præcipites agat. Abſolutionibus feſtinatis, quæ non ſinunt, ut criminum reus per crebras

l *Matth.* 10. 22. m *De ſignis prædeſtinationis & reprobationis Tractatu* 1. *c.* 6.

bras orationes & gemitus, per ſeceſſum ab occaſionibus peccandi, per quæſita ex eleëmoſynis pauperum ſuffragia, per mortificationem ſenſuum, per jejunia & caſtigationem corporis, per benè agendi ſtudium aſſiduum vincat propenſionem & conſuetudinem peccandi; iſtis, inquam, abſolutionibus libidines ad diem aut alterum incantari, ut reus interea audeat ad cœleſtis agni nuptias accedere, manducare corpus & bibere ſanguinem Domini, non indutus veſte nuptiali, quæ in regnante Dei amore conſiſtit, ſed confeſſionis & fucatæ abſolutionis foliis ſolummodò coopertus. Ex quo fit, ut deindè ligatis manibus ac pedibus, ne bona operari, & in viâ mandatorum valeat ambulare, projiciatur in tenebras exteriores, à quibus exulat lux divinæ cognitionis ac charitatis, & in quibus perſtrepit ſtridor criminum in cœlum clamantium. Nihil enim ex doctrinâ ſanctorum Patrum certius eſt, quàm facilitate *veniæ* incentivum tribui delinquendi, eiſque ludum eſſe, peccando cadere in mortem, quibus perſuaſum eſt, illud cœleſte auxilium, quo ſufficiens, accedente abſolutione, ad juſtificationem de peccatis dolor in humanis cordibus efformatur, ſemper eſſe paratum, tametſi nec magnis gemitibus, nec diuturnis orationibus imploretur. Solos itaque illos animarum medicos dignos eſſe, ut amentur, qui eas mortaliter ægras non priùs ſanas pronunciant, quàm per orationum inſtantiam, per ſeceſſum à peccatis, & per bonorum operum ſtudium, ſe à Deo probaverint eſſe ſanatas, eaſque contra peccatorum mortem vires accepiſſe, ex quibus colligi poteſt, quòd per abſolutionem ſanis annumerari, ciboque fortium, corpore & ſanguine Domini, nutriri mereantur.

Et quia hæc ſemel pro concione dixiſſe non ſufficiet, probus animarum curio identidem ea repetet. Ne autem repetitione ejuſdem argumenti nauſeam auditoribus ingerat, ad eandem doctrinam inculcandam aliis atque aliis argumentis & ſimilitudinibus utetur.

Quartò, ne malæ conſuetudinis abrogatione (ut natum fieri) populus turbetur, malæ conſuetudini, quam rerum

ſa-

ſacrarum negligentia introduxit, opponet, & pro concione exponet priſcam Chriſtianorum conſuetudinem pœnitendi, quâ mortalium criminum reos plectendos & ſanandos credebant. Ut autem iſtud exequi poſſit, canones pœnitentiales addiſcere oportet; quod mediolanenſis Eccleſiæ Confeſſariis S. Carolus ſua in inſtructione oppidò commendavit. Referet etiam quomodò idem ſanctus per magnam Dei miſericordiam Eccleſiæ datus fuerit, ut ſuæ ſanctiſſimæ vitæ exemplo, prædicatione, & *Inſtructionibus*, quæ à Conciliis Provincialibus, à Sede Apoſtolicâ, à commendatione Eccleſiæ Gallicanæ approbatæ & confirmatæ fuerunt, priſcam pœnitendi diſciplinam inſtauraret, & divino quodam temperamento moribus ultimorum ſæculorum accommodaret.

Docebit inſuper, plus veritati, & ſanctorum auctoritati, quàm degeneri conſuetudini deferendum eſſe. Hinc docere Patres veritati non præſcribere neque conſuetudinem locorum, neque ſpatia temporum, neque patrocinia perſonarum. Neminem vel ergaſtulo, vel ſervili conditioni, vel tributis aſſuetum, libertatem & exemptionem, dum offertur, tanquam inſolitam reſpuere: ità neminem ſalutis ſuæ cupidum debere fugere, tametſi ſibi inſolitam eam medicandi animabus rationem, quâ à criminibus liberamur, ut adamatâ & glorioſâ ſervitute juſtitiæ ſerviamus: atque adeò eam methodum à nullo, qui ſit ſanæ mentis, odio poſſe haberi.

Quintò, ſæpè populum ad frequentem confeſſionem peccatorum ſuorum adhortabitur, explicando ejus neceſſitatem & utilitatem, quarum illa tanta eſt, ut nemo violati baptiſmi reus cum Deo in gratiam redire queat, niſi ſua crimina ſacerdoti ſit promptus confiteri: iſta verò tam copioſa eſt & locuples, ut „ [n] omnibus ferè piis (quemad„ modum ait Catechiſmus Romanus) perſuaſum ſit, quic„ quid hoc tempore ſanctitatis, pietatis & religionis in Ec„ cleſiâ ſummo Dei beneficio conſervatum eſt, id magnâ „ ex parte confeſſioni tribuendum eſſe, ut nulli mirandum „ ſit,

n *Parte. 2. de ſacram. pænit. num. 45.*

„ ſit, humani generis hoſtem, cùm fidem catholicam fun-
„ ditùs evertere cogitat, per miniſtros impietatis ſuæ &
„ ſatellites hanc veluti Chriſtianæ virtutis arcem totis viri-
„ bus oppugnare conatum eſſe.

Docebit etiam, ſacerdotem ità erga peccatores affectum eſſe debere, ac erat Chriſtus, dum veluti in totius mundi concione clamabat: [o] *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis; & ego reficiam vos.* Juſtum enim, ut in pectore ſacerdotis confeſſiones excipientis ſit illa benignitas: nam ſacerdos in tribunali confeſſionis ſuſtinet perſonam Chriſti, peccatores, ut eos exoneret & liberet à gravi peccatorum onere, & duriſſimo jugo diabolicæ ſervitutis, blandiſſimè, ut ad ſe veniant, invitantis. Illa autem Chriſti verba, ne quis iis abutatur, eâ ratione exponet, quâ ſuperius expoſita ſunt.

Undè etiam magnoperè cavendum ſacerdoti, ne quam moroſitatem præ ſe ferat, néve minetur hos *vel illos*, ſi veniant ad confeſſionem, à ſe non eſſe abſolvendos: quin potiùs doceat, ipsâ confeſſionis humilitate augeri (Deo adjuvante) odium peccati, & amorem juſtitiæ, ac per eam peccatores ad percipiendum abſolutionis beneficium diſponi, præſertim ſi confiteantur ſua peccata, non eâ mente, ut, finitâ confeſſione, è veſtigio abſolvantur, ſed ut ſacerdos ipſos pro divinâ arte animabus medendi curet ac tractet, actionemque pœnitendi, quâ peccandi libido & conſuetudo expugnatur, præſcribere dignetur. Hâc humilitate ad confeſſionis tribunalia acceſſiſſe priſcos Chriſtianos, & etiam nunc veros pœnitentes ad illa confugere: undè, quod nunc *confiteri* dicitur, antiquitùs vocabatur, *petere actionem pœnitentiæ:* ideò enim confitendum, ut actio pœnitentiæ juxta peccatorum multitudinem ac gravitatem definiatur, ac præſcribatur.

Et quia homines ætate provecti plerumque & meritò arbitrantur injuriam ſibi fieri, dum temerè interrogantur de illis, quæ ſine ſalutis diſpendio ignorari non poſſunt; cavendum ſacerdoti, ne eos tanquam ignaros interroget, niſi

ex

o *Matth.* 11.

ex indiciis admodùm probabilibus collegerit ipſos neceſſariâ ad ſalutem ſcientiâ deſtitutos eſſe. Etenim ſicut proximum nec flagitioſum, nec facinoroſum, ità illum nec ignarum ſacerdos ſuſpicari debet; niſi craſſæ ignorantiæ ſe ſigna prodant. Ubi autem illa ſe protulerint, cum reverentiâ grandævis debitâ, & cum prudenti dexteritate demùm illos examinabit, ſimul & docebit, ne ullà cum ratione queri poſſint, ſe à Confeſſario indignè & irreverenter habitos eſſe.

Sextò, docebit, monita & inſtructiones, quibus ſacerdos confitentes imbuit, ut peccata deteſtentur & virtutes ament, magnâ plerúmque pollere virtute, ut in cordibus peccatorum creſcat amor juſtitiæ, & odium iniquitatis: Deus enim verba ſacerdotis iſto in miniſterio ſuæ gratiæ auxilio comitatur, ac confirmat.

Docebit inſuper, actioni pœnitentiæ, quæ agitur tanquam præſcripta à ſacerdote, & tanquam pars ſacramenti pœnitentiæ, uberiùs adeſſe cœleſte auxilium, ut cor peccatoris ab illecebroſis peccatorum vinculis expediatur, quàm adeſſet, ſi ea actio à ſacerdote non foret ordinata: etenim ordinatione ſacerdotis fieri, ut ea actio evadat in partem ſacramenti pœnitentiæ, valeatque ex opere operato, quemadmodum loquuntur Theologi.

Septimò, populo explanabit virtutem abſolutionis ſacramentalis, quæ certè tanta eſt, ut per illam venia peccatorum mortalium, quæ poſt baptiſmum patrata ſunt, aut donetur, aut certè ſine ejus voto ac deſiderio nunquam donetur. Hinc Patres, ac præſertim Chryſoſtomum in libris de ſacerdotio, de poteſtate ſacerdotum in relaxandis peccatis magnificentiſſimè loqui.

His accedit, pacem conſcientiæ, & lætitiam de remiſſione peccatorum in animabus per abſolutionis miniſterium augeri ac confirmari.

Hæc quæ de frequenti peccatorum confeſſione, & efficaciâ tum monitionum, quibus ſacerdos pœnitentes imbuit, tum operum, quæ ex ejus ordinatione à pœnitentibus exercentur, tum abſolutionis, quâ pœnitentes Deo

reconciliat, diximus, ſi obſervet parochus ſive confeſſarius, à ſe amolietur ſuſpicionem atque calumniam, quibus inimici ſalubrioris diſciplinæ, ut turbas cieant, probos ſacerdotes gravant, dum eos dicunt eſſe inimicos ſacramenti pœnitentiæ, hominesſque ab illo avertere.

Octavò, obſervandum ſacerdoti volenti pravum morem præcipitatarum abſolutionum tollere, ut illud faciat juxta illam prudentiſſimam regulam, quâ monet Auguſtinus perverſas conſuetudines tollendas eſſe. „[p] Non ergo (loquor cum Auguſtino) aſperè quantùm exiſtimo, non „duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur: magìs do„cendo, quàm jubendo, magìs monendo, quàm minan„do. Sic enim agendum eſt cum multitudine: ſeveritas „autem exercenda eſt in peccata paucorum. Et ſi quid mi„namur, cum dolore fiat, de ſcripturis comminando vin„dictam futuram, ne nos ipſi in noſtrâ poteſtate, ſed Deus „in noſtro ſermone timeatur. Ità priùs movebuntur ſpi„rituales, vel ſpiritualibus proximi, quorum auctorita„te, & leniſſimis quidem, ſed inſtantiſſimis admonitio„nibus cætera multitudo frangatur. Ità ſe geſſit Auguſtinus, quando Afrorum conſuetudini, in honorem ſanctorum ſeipſos inebriantium, pro concione contradixit, omni arte atque induſtriâ ſatagens, ut eam extirparet: prout videre eſt in epiſtolâ ejus vigeſimâ nonâ, quam ediderunt Religioſi ſancti Benedicti, qui Pariſiis ſummâ cum induſtriâ novoque ordine opera Auguſtini edi accurant.

Ex quo porrò patet, quomodò intelligendus ſit Auguſtinus, quandò ait,[q] peſtilentiam malæ conſuetudinis, juxta quam Afri ſe inebriabant in honorem ſanctorum, tantam eſſe, ut ſanari prorsùs, niſi concilii auctoritate, non poſſit. Etenim ibi ſignificat eam prorsùs ex totâ Africâ non poſſe tolli, niſi auctoritate Concilii: non autem ibi docet, quòd ex particulari Eccleſiâ aut parochiâ ſtudio unius Epiſcopi aut Parochi extirpari non poſſit. Deindè, ibi loquitur de legis auctoritate, non verò de doctrinæ veritate:

p *Epiſt. 64. ad Aurelium Cartag. Epiſcop.* q *Ibidem.*

te: ait autem, legi ab uno Epiſcopo ſine Concilii auctoritate ferendæ non ineſſe tantam auctoritatem, ut pravam iſtam ex omni Africâ conſuetudinem eradicet: non autem ibi loquitur de eo, quod ſacerdos particularis veritate doctrinæ & monendi prudentiâ atque inſtantiâ efficere queat. Ipſe enim Auguſtinus necdum ad Epiſcopalem provectus dignitatem, ſed adhuc in presbyterorum ordine conſtitutus, tribus aut quatuor ſermonibus tantùm præſtitit, ut ex Hipponenſi Eccleſiâ peſſimum morem ſuſtulerit, & profana convivia è templis ejecerit, non quidem auctoritate legis eccleſiaſticæ, ſed energiâ Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ. Patet iſtud ex præclariſſimâ ipſius ad Alypium epiſtolâ, quam mox cum laude citavimus.

Poteſt igitur, & debet omnis Parochus pravis conſuetudinibus quamvis latè graſſantibus ſe ipſum opponere, dum ut id faciat, occurrit occaſio. Quando autem ei ſe opponet, non ſuam; ſed Chriſti allegabit auctoritatem: idque eâ prudentiâ ac manſuetudine, quâ ex Auguſtino diſcimus id eſſe agendum: hoc eſt, ut plùs erga corrigendos, (loquor cum ſancto Leone) „ [r] agat benevolentia, „ quàm ſeveritas; plus cohortatio, quàm commotio; plus „ charitas, quàm poteſtas.

Nonò, pius ſacerdos, dum totus in eo eſt, ut populum ſuum ad ſaluberrimam rationem utendi ſacramento pœnitentiæ adducat; ſuis inſtructionibus, prædicationibus, exhortationibus ac correptionibus, quantumvis illis diligenter inſtet, non tantùm fidet, quantùm orationibus, votis atque gemitibus, quibus impetratur cœleſte auxilium, quo humanis cordibus perſuadetur, quod à ſacerdote ſuadetur, & quo fit, ut ametur veritas, quam prædicator amandam commendat. Orabit ergo die noctuque, ut dum prædicando plantabit, & rigabit, Deus diffuſione ſuavitatis donet incrementum, faciatque terram cordis noſtri proferre fructum ſuum. Aſſumet etiam in terrâ laborantes, & ſanctos in cœlis regnantes tanquam comprecatores ſuos: & ità fiet, ut verbum, quod prædicat, non

 redeat,

r *Epiſt.* 84. *ad Anaſt. Theſſal.*

redeat vacuum, ſed faciat omnia, ad quæ Dominus illud mittit, ac dirigit. [s] *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.*

Decimò, à ratione adminiſtrandi ſacramentum pœnitentiæ, quâ priſca Eccleſia per duodecim ferè ſæcula uſa fuit, quamque S. Borromæum imitati Galliæ Epiſcopi ſuis in comitiis, celebrarunt, ſuiſque coëpiſcopis per univerſum regnum commendarunt, nemo prudens ſe abduci ſinet, quamvis multi ſint, qui eam impugnent, arguant, & arrodant. Tempore ſanctiſſimi Cypriani non deerant improvidi ſacerdotes, qui lapſis impatientibus ſaluberrimarum morarum, quibus caſum ſuum lugere jubebantur, & perversè ambientibus ſtatim poſt lapſum ſuum honorem communionis, turpiter adulabantur, eoſque per adulationes contra ſaluberrimam Eccleſiæ diſciplinam, veramque rationem curandi plagas ac ruinas animarum vallabant & armabant. Sed non propterea aut S. Cyprianus, aut Clerus Romanus ab officio recedebat, ut præproperatæ communionis venena lapſis præbenda cenſerent. Hæc iſtorum ſanctorum conſtantia, in retinendo officio, probis ſacerdotibus æmulanda; ipſiſque orantibus, & divinam fortitudinem à Domino efflagitantibus meritò ſperandum, quòd dabit illos Dominus [t] *in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum*, ut fruſtrà adversùs ipſos bellaturi ſint omnes adverſarii ipſorum: Dominus enim cum ipſis erit, ut liberet eos.

Ex his patet, quàm miſeri & flaccidi ſint illi ſacerdotes, qui, cùm ipſis probetur recta ratio adminiſtrandi ſacramentum pœnitentiæ, dicunt, quòd illam libenter ſequerentur, ſi omnes ſacerdotes in eam conſentirent, eique obſervandæ inſiſterent. Hi enim volunt ſequi turbam ad faciendum malum: errare cum multis, ne patiantur à multis. Sed, qui cum multis volunt errare, non erunt à damnatione immunes, neque enim minùs damnabuntur, quia cum multis damnabuntur. Sicut in hâc vitâ nunquam Eccleſiâ erit adeò felix, ut omnes laici ambulent dignè Deo:

s *Rom.* 1. 16. t *Jerem.* 1. 18.

Deo: ità nunquam in terris erit adeò beata, ut omnes ejus miniſtri audiant Paulum ipſos in Timotheo monentem: [u] *Miniſterium tuum imple.* Qui ergo officio ſuo ſatisfacere non citiùs cupit, quàm communiter omnes ei faciant ſatìs, is primò quidem oſtendit, à ſe non veritatem, ad quam, ut eam ſequamur, creati ſumus; ſed conſuetudinem obſervari: adeóque ſe non veritatis diſcipulum; ſed conſuetudinis eſſe mancipium. 2. Oſtendit, quòd nunquam ab ipſo aliquod opus virtutis ſperari poſſit, niſi illud à communi uſu & conſuetudine commendetur. Talis ergò ſacerdos, ſi quod facit opus officio tenùs bonum, id facit, non quia Deus jubet; ſed quia hoc poſtulat conſuetudo. E contrà ſacerdos, qui eſt veritatis & æternæ juſtitiæ amator & cultor, tantummodò attendit, quid illa mandet, eique morem gerit, tametſi mores & receptæ conſuetudines contrarium poſtulent. Quòd ſi in virtutis & veritatis viâ ſocios habeat, gratulatur illorum felicitati: ſin verò in eâ ſine comite incedat, non eà propter animum deſpondet, ſed laudat divinam miſericordiam, quæ ipſum elegit ex omni carne, & eripuit à ſæculo nequam, ut cum Deo ambularet, eique daret non tantùm ſcire, ſed etiam diligere, ac facere quod rectum eſt.

Hæc pauca obſervet pius ſacerdos; & legitimum uſum ſacramenti pœnitentiæ non poſt longa temporum ſpatia gregi, cui præeſt, haud difficulter ſuadebit & perſuadebit, Domino cooperante & ſermonem ejus confirmante per eam ſui Spiritûs gratiam, quâ voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati.

u 2 *Tim.* 4. 5.

FINIS.

Digitized by Google

APPENDIX.

JOANNIS EPISCOPI CASTORIENSIS

Ad clariſſimum & eruditiſſimum

VIRUM N.N.

EPISTOLA,

In quâ circa illuſtrium aliquorum Theologorum doctrinam nonnullæ difficultates proponuntur.

PEtis à me V. C. ut pro eâ, quæ mihi tecum intercedit, amicitiâ, aperiam, cur ſententiam iſtorum Theologorum, qui arbitrantur peccatori juſtificando amorem Dei ſuper omnia dilecti non ſufficere; ſed inſuper poſtulari, ut aut undà baptiſmatis, aut beneficio abſolutionis à ſacerdote donetur; referam inſtar hiſtorici, qui placitis aliorum, quæ narrat, ſæpe non aſſentitur, & non exponam aſſeramque tanquam dogma, cui ipſe certus adhæreo.

Ut tuo deſiderio, cui denegare nihil poſſum, faciam ſatis, hâcce Epiſtolâ rationes conſilii mei ediſſeram, idque eò libentiùs, quòd inde fructus non pœnitendus enaſci poteſt. Nam ea propoſitione difficultatum, quæ me terruerunt, ne in iſtorum ſententiam Doctorum totus abirem, fiet fortè, ut ex illis exurgat unus aut alter, qui ſuis ingenii viribus illas diffringat, & quicquid in illis obſcurum exiſtit, doctrinæ ſplendoribus illuſtret. Hoc ubi factum erit, eis libenter & prudenter poterimus aſſentiri.

Si verò iſtas nemo amoveat, patebit quàm laudabilis ſit illorum cunctatio, qui, ne in re obſcurâ fallantur, ſuum malunt aſſenſum ſuſpendere, quàm cum erroris periculo præcipitare.

Conſtabit etiam antiquos primoſque Theologicæ Scholæ Principes, quibus etiam hodie illuſtres Theologi conſentiunt, haud falſos fuiſſe, quando arbitrati ſunt, reatum mortis æternæ, cum amore Dei ſuper omnia dilecti conſiſtere non poſſe.

Sed ne longiori præfatione tædio ſim; En tibi difficultates, quarum conſideratione animum cohibui, ne Eſtii, aut Lovanienſium aliquorum licèt illuſtrium Theologorum opinionem præſtandam, ſed ſolùm enarrandam ſuſciperem, defenſionem ejus relinquens illis, qui eam uti ſuam amplexi ſunt.

I. *Difficultas.*

IN iſtâ opinione iſtud occurrit incommodum, rariſſima eſſe Patrum loca, quibus aſſeritur *non pœnitentiâ ſed in-*

dulgentiâ peccatum remitti. Habentur quidem iſtiuſmodi verba apud Auguſtinum, ſed neſcio an quid ſimile apud alios Patres reperiatur. Imò ſi librum ſextum Num. 19. *Operis perfecti contra Juliannm* excipias, ſimilia iſtis verba, dubito, an quis alibi in ejus operibus poterit invenire. Loco autem citato ità loquitur Auguſtinus, „ Utrùm autem „ malâ voluntate ſic pereat innocentia, ut poſſit bonâ vo„ luntate reparari, non contemptibilis quæſtio eſt; ſicut „ enim ſi voluntate amputentur corporis membra, non re„ ſtituuntur itidem voluntate, ità videndum eſt, an in re „ quidem diſſimili, id eſt, in animo tale aliquid de innocen„ tiæ perditione contingat, & voluntario motu perire poſ„ ſit, redire non poſſit. Nam & ſacra virginitas, ſi per im„ pudicam pereat voluntatem, ad pudicitiam redire po„ teſt, ad virginitatem non poteſt. Sed adhuc reſpondetur, „ & integritatem virginitatis in corpore, non utique ani„ mi eſſe, ſed corporis. Cum verò de innocentia di„ ſputatur, * & tamen conſiderandum eſt, utrùm ad ju„ ſtitiam voluntate redeat qui peccaverit, non ad innocen„ tiam, ſicut illa ad pudicitiam, non ad virginitatem redit. „ Nam ſicut injuſtitia juſtitiæ, ita innocentiæ velut ejus „ contrarium non injuſtitia, ſed reatus opponitur, qui homi„ nis voluntate non tollitur, etſi voluntate ſit factus. Non „ enim verum videt, qui putat reatum ſibi ipſi tollere pœ„ nitentem, quamquam & ipſam pœnitentiam Deus det, „ quod Apoſtolus confirmat dicens, [a] *ne fortè illis Deus „ det pœnitentiam*, ſed reatum apertiſſimè Deus tollit ho„ mini dando indulgentiam, non ſibi ipſe homo agendo „ pœnitentiam. Debemus quippe illum recolere, [b] *qui lo„ cum pœnitentiæ non invenit, quamvis cum lacrymis quæ„ ſierit eam.* Ac per hoc & pœnitentiam egit; & reus re„ manſit, quia veniam non accepit, & illi, [c] *qui dicent in„ ter ſe pœnitentiam agentes & per anguſtiam ſpiritus ge„ mentes; Quid nobis profuit ſuperbia*, &c. Rei utique in „ æternum non acceptâ veniâ permanebunt, ſicut etiam ille, „ de quo Dominus ait: [d] *non remittetur ei, ſed reus erit æ-*

„ ter-

* *Deeſt aliquid.* a 2. *Tim.* 2. *v.* 25. b *Hebr.* 12. 17. c *Sap.* 5. 3. d *Marc.* 3. 29.

„*terni peccati.* Ecce inventa eſt innocentia magnum homi-
„nis bonum ...... quæ tamen hominis voluntate perdi po-
„teſt, non poteſt reddi: & reatus magnum malum, inno-
„centiæque contrarium, quod tamen poteſtas hominis,
„cùm ſit voluntarium, poſſit inferre, nec poſſit auferre.
„Videsne quemadmodum generalis tua regula illa franga-
„tur, quâ putabas naturale bonum nos voluntate non per-
„dere, quando inventum eſt, quòd non ſolùm pereat,
„ſed nec redeat voluntate dumtaxat humanâ? Deus poteſt
„hominem reatu ablato ad innocentiam revocare. Cur er-
„go non credis libertatem bene agendi voluntate humanâ
„perire potuiſſe, nec redire poſſe niſi divinâ voluntate?

Hunc locum Auguſtini exiſtimavi hîc ad longum eſſe adſcribendum, quia ejus ſenſus percipi non poteſt, niſi vigili mentis cogitatione expendatur, quid ſanctus Doctor ibi probare enitatur. Inde enim vera ejus loci intelligentia dependet.

Julianus aſſerebat, hominem non potuiſſe ſuâ voluntate perdere poſſibilitatem benè agendi, & quòd, ſi id potuiſſet, etiam ſuâ voluntate eam poſſibilitatem ſibi reddere potuiſſet.

Hanc aſſertionem, quam Julianus tanquam certam veritatem regulamque habebat, Aùguſtinus pluribus exemplis earum rerum, quæ voluntate amitti poſſunt, & voluntate reddi nequeunt, falſitatis redarguit.

Primò quidem hominis ſuâ ſibi voluntate brachium præſcindentis, ſed non ſuâ illud ſibi voluntate valentis reddere.

Secundò virginis, quæ virginitatem voluntariè amittere, ſed non ubi voluerit, eam ſibi valet reſtituere; quamvis iterum caſta fieri poſſit.

Tertiò hominis, qui commiſſo crimine ſibi ipſi innocentiam tollere, ſed non, ubi volet, recuperare eam poteſt; hoc eſt, non poteſt talis iterum, ſuâ fieri voluntate, qualis fuerat ante peccatum; quamvis ſuâ voluntate iterum juſtus fieri queat. Occaſione autem hujus tertii exempli profert hanc ſententiam intellectu difficilem: *Innocentiæ ve-*

lut ejus contrarium non injuſtitia, ſed reatus opponitur, qui hominis voluntate non tollitur, etſi voluntate ſit factus.

Huic autem ſententiæ tria ſubjungit. Primum, ablationem reatûs ſive debiti ad pœnas æternas non fieri à pœnitente. *Neque enim*, inquit, *verum videt, qui putat reatum ſibi tollere pœnitentem.*

Secundum, ipſam pœnitentiam, quæ tollendo reatui idonea videri poteſt, à Deo donari. *Quanquam*, inquit, *& ipſam pœnitentiam Deus det, quod Apoſtolus confirmat, dicens: Ne fortè illis Deus det pœnitentiam.* Per quæ verba vult inſinuare, quòd licèt verus pœnitens *ſibi ipſi tolleret reatum*, attamen verum foret, quòd eum ſolâ ſuâ voluntate non tolleret, ſicuti ſolâ ſuâ peccaverat voluntate. Etenim eum tolleret per pœnitentiam ſibi à Deo miſericorditer conceſſam.

Tertium; quod ſit Deus, *qui tollit reatum homini donando indulgentiam, non ſibi ipſe homo agendo pœnitentiam.* Quibus verbis clarè quidem probatur, veram pœnitentiam & indulgentiam eſſe duo dona à ſe invicem diſtincta; ſed nullatenus probatur, ea à ſe invicem eſſe ullo temporis intervallo ſeparata, aut ferre Dei miſericordiam, ut homo alio tempore accipiat à Deo donum veræ pœnitentiæ, ſive contritionis, in quâ continetur amor Dei ſuper omnia dilecti, & alio tempore accipiat ſuorum indulgentiam criminum.

E contra apparet, quòd Auguſtinus exiſtimaverit, id fieri non poſſe. Etenim cùm diſtinctio rerum tunc clariùs innoteſcat, quando oſtenduntur à ſe invicem ſejunctæ & non ſemper connexæ reperiri, quidni ad oſtendendam hanc ſeparationem dixiſſet Auguſtinus (ſi credidiſſet à pœnitentiâ indulgentiam poſſe temporis intervallo ſejungi) tum catechumenos, tum pœnitentes, licèt contritos, tamdiu indulgentiâ carere, quamdiu illi ablutione baptiſmatis, iſti abſolutione carent ſacerdotis? Cur enim iſto exemplo non utitur, ut oſtendat indulgentiam à verâ pœnitentiâ ſæpe ſeparari, niſi quia advertit illud aut falſum, aut certè dubium incertumque eſſe? Cur potiùs aliis utitur exemplis, nempe Eſau, damnatorum, & blaſphemi in Spiritum ſanctum,

ctum, de quo dicit Evangelium: *Reus erit æterni delicti?* Ex quibus exemplis quidem patet, à magno animi mœrore indulgentiam poſſe eſſe ſejunctam; ſed ex illis minimè patet, à verâ pœnitentiâ eam ullâ temporis morâ poſſe ſeparari.

Hæc autem exempla à falſis pœnitentibus petita, ſat idonea judicavit Auguſtinus (quod admodum notandum eſt) ut probet contra temerariam Juliani ſententiam, hominis voluntate innocentiam, quæ magnum ejus bonum eſt, perdi poſſe, quæ tamen hominis voluntate nequeat reparari, hominemque ſuâ voluntate contrahere reatum mortis æternæ, quem tamen ſuâ voluntate amovere non poſſit. Iſtis enim tribus infructuoſæ pœnitentiæ exemplis contra Julianum prolatis, *Ecce*, inquit, *inventa eſt innocentia magnum hominis bonum, atque ità naturale, ut cum illâ ſit conditus primus homo, & ſicut vos dicitis, cum illâ naſcitur omnis homo; quæ tamen hominis voluntate perdi poteſt, non poteſt reddi: & reatus magnum malum, innocentiæque contrarium, quod tamen poteſtas hominis, cùm ſit voluntarium, poſſit inferre, nec poſſit auferre.* Unde Julianum deinde ſic affatur, atque confundit: *Videſne quemadmodum generalis tua regula illa frangatur, quâ putabas naturale bonum nos voluntate non perdere, quando inventum eſt, quòd non ſolùm pereat, ſed* NEC REDEAT VOLUNTATE DUNTAXAT HUMANA. Quæ ultima verba ſunt valde notanda; illa enim oſtendunt, ex hoc diſcurſu Auguſtini nihil ſtatui poſſe contra inſeparabilem nexum, qui indulgentiam ſive remiſſionem peccatorum pœnitentiæ connectit. Quantumvis enim hæ ſibi invicem inſeparabiliter conjunctæ ſint, ſemper tamen veriſſimum erit, quòd peccator, qui per ſuam ſolam voluntatem innocentiam perdidit, eam per ſolam voluntatem humanam recuperare non poſſit; ſed eam recuperet per voluntatem humanam *à Deo liberatam, & à Domino præparatam.* Hoc ut manifeſtiùs doceat, ſic contra Julianum concludit: *Deus poteſt hominem reatu ablato ad innocentiam revocare. Cur ergo non credis libertatem benè agendi voluntate humanâ perire potuiſſe, nec redire poſſe, niſi di-*

divinâ voluntate? Ex quibus verbis liquet Auguſtinum innocentiam cum libertate bene agendi non comparaſſe, niſi ut oſtendat, nemini debere mirum videri, libertatem bene agendi ſolâ humanâ voluntate potuiſſe perdi, licèt non potuerit niſi per Dei voluntatem reſtitui: ſiquidem & innocentia perdatur ſolâ humanâ voluntate, nec tamen eâ ſolâ voluntate recuperetur; ut patet exemplis illorum, qui magnis gemitibus & doloribus, ſed ex voluntate non divinitùs adjutâ, nec à Deo liberatâ procedentibus, indulgentiam fruſtrà poſtularunt, Ad hoc etiam probandum ſervire poterant Auguſtino cæteriſque Catholicis exempla verorum pœnitentium; quamvis enim illi indulgentiam acciperent, ſimul atque ex amore Dei ſuper omnia dilecti ſua peccata deteſtantur, attamen veriſſimum apud illos manebat, quòd innocentiam *non voluntate duntaxat humanâ*, ſed divinâ recuperarent voluntate; nam neminem pœnitet ſicut oportet, cui Deus non dederit ſpiritum pœnitentiæ. Verùm illis exemplis non debuit uti Auguſtinus adversùs Julianum, qui licèt veros pœnitentes propriâ & humanâ voluntate innocentiam amiſiſſe aſſenſus fuiſſet, nuſquam tamen ab Auguſtino adduci potuiſſet, ut fateretur, eos non voluntate duntaxat humanâ, ſed divinâ innocentiam recuperaſſe. Adeoque vitii, quod petitionem principii vocant, à Juliano argui potuiſſet Auguſtinus.

Hæc omnia, ut mihi videtur, clarè oſtendunt, citato Auguſtini loco ſolummodò probari, quòd pœnitentia & indulgentia, id eſt, converſio peccatoris & remiſſio peccati per abolitionem reatûs, ſunt duo diſtincta Dei beneficia, ità ut opus ſit non ſolùm hominis pœnitentiâ, ſed etiam Dei indulgentiâ, ut tollatur peccatum, quod humana perpetravit voluntas; ſed nullatenus probat neceſſarium eſſe, ut Dei indulgentia ſit, vel eſſe poſſit tempore ſejuncta à verâ pœnitentiâ, quæ ab homine agitur, & quæ cor ejus convertit ad Dominum. Atque hoc eſt, quod in propoſitione ſecundæ difficultatis oſtendemus eſſe adeo ad comprehendendum difficile, ut nemo mirari debeat, Hugonem à ſancto Victore, qui iſtam opinionem primus peperit, ab an-

antiquis, qui eum ſubſecuti ſunt, Theologis fuiſſe deſertum.

II. *Difficultas.*

ALterum, quod occurrit, incommodum, in eo poſitum eſt, quod eâ in opinione dicatur reatus peccati mortalis in pœnitente manere, tametſi per pœnitentiam ablata ſit averſio à Deo, ex quâ ille reatus naſcitur.

Ut hæc difficultas clariùs percipiatur, definiendum primò, quid ſit ille reatus. Quod ut facilius evadat, animadvertendum quinque in peccato mortali conſiderari poſſe.

I. Ipſum nefarium facinus, dum actu contra legem Dei exercetur.

II. Ipſum ſtatum, in quo manet homo facinore commiſſo, & necdum per voluntatem retractato; hic autem ſtatus eſt ipſa voluntatis ad iſtud facinus adhæſio permanens, quæ fingi non poteſt ſine averſione à Deo & inordinata converſione ad creaturam. Hæc verò permanens adhæſio voluntatis vocatur à nonnullis Theologis macula peccati, & à ſancto Thomâ deordinatio voluntatis.

III. Diſpoſitionem, in quâ eſt Deus adverſus hominem, qui crimen commiſit. Hæc diſpoſitio exprimitur „ omnibus Scripturæ locis, quibus Deus dicitur odiſſe pec„ catores; impium, illiuſque impietatem ab eo odio habe„ ri, eum odiſſe omnes, qui operantur iniquitatem.

IV. Debitum damnationis æternæ, quod contrahit peccator, dum mortaliter peccat; hinc in Scripturâ peccatores appellantur filii gehennæ.

V. Debitum ſubeundi varias temporarias pœnas in hoc mundo, quod remiſsâ pœnâ æternâ in pœnitentibus permanet.

Neceſſe eſt ut illud, quod vocatur reatus peccati, ex his quinque, quæ in peccato mortali notavimus, unum aliquod ſit.

Non poteſt eſſe ſecundum, nam vera cordis ad Deum converſio, qualis eſt in omnibus, qui ipſum ſuper omnia diligunt, tollit averſionem ab eo, ex cujus averſionis parte

te conſequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternæ, uti ait ſanctus Thomas 3. p. q. 86. a. 4. c.

Non poteſt etiam reatus peccati in opinione, quam examinamus, conſiſtere in quinto, quod in peccato mortali conſideravimus; nam ex eo conſequens foret, quod abſolutio ſacerdotalis non tolleret, niſi partem pœnæ temporalis, ſicuti, quidam antiqui Scholaſtici, à quibus hæc opinio diſſentit, ſibi ipſis perſuaſerunt. Supereſt, ut per *reatum* intelligatur tertium & quartum, quæ diſtingui non poſſunt, niſi diverſo reſpectu ad Deum & creaturam: Nam peccatum mortale, reſpectu Dei cauſa eſt, cur Deus reſpiciat peccatorem tanquam ſibi exoſum & abominabilem, quemque in eo ſtatu manentem, non niſi ad pœnas æternas deſtinare poteſt; reſpectu verò hominis peccatum mortale cauſa eſt, ut mereatur peccator à Deo in æternum ſeparari, pœniſque æternis cruciari.

Quando ergo in iſta opinione dicitur, *Reatum* ordinariè non aboleri niſi per abſolutionem actu collatam, tametſi voluntas peccatoris antea fuerit mutata per contritionem, hoc eſt, per converſionem, in quâ continetur amor, quo Deus tanquam fons omnis juſtitiæ ſuper omnia diligitur; hoc, inquam, perinde eſt, ac ſi diceretur, ſubſtitutâ definitione *Reatus* in locum rei definitæ, quòd licet peccator omnium criminum pœnitens Deum præ omnibus diligat amore caſto, quem divina miſericordia in ejus corde accendit, à Deo tamen tamdiu, quàm caret abſolutione ſacerdotis, conſideretur tanquam abominabilis & tanquam digniſſimus, qui in æternum & ab eo ſeparetur, & in æternis cruciatibus vivat.

In opinione, quam expendimus, hæc duo, V. C. abſona continentur, vel certè poſtremum illorum, ſi fortè dicere quis vellet, Deum poſſe quempiam à facie ſuâ in æternum repellere, pœniſque æternis addicere, & nihilominus eum reſpicere non tanquam abominabilem; ſed tanquam amabilem ob pulchritudinem dilectionis, quâ Deum, qui in ipſum pœnis ſævit æternis, nihilominus omnibus anteponit. Ut magis pateat, quàm hæc ſint incomprehenſi-

bi-

bilia, velim expendi, an cogitari poſſit manere in Deo iſtud odium erga iniquos, quod Scriptura ei attribuit, quando jam iniquitatem ſuam ampliùs non amant, ſed odio habent & abominantur, quando Deus eis ſuam gratiam impertitur, ut ſuum in illis amorem accendat, cor novum & mundum in illis creet ac ſervet. Nonne in ſacris eloquiis ipſe Deus ait, [c] *ego diligentes me diligo?* Eſt ne hoc diligi à Deo eos, qui ipſum magis, quàm ſeipſos diligunt, & omnibus præferunt, & præ omnibus magni faciunt, illos dignos haberi, quos in æternum à ſe repellat, eiſque in pœnis conjungat, à quibus non amatur, ſed odio habetur atque contemnitur? Si Auguſtino credimus, injuſtum eſt apud Deum, converſos peccatores cum pertinacibus punire. *Injuſtum eſt enim*, inquit in inchoata expoſitione Epiſtolæ ad Rom. Num. 9. Editionis novæ, *ut cum his illi ad conſortium pœnale copulentur, qui vocantem Deum non ſpreverunt, & peccantes diſplicuerunt ſibi, ut quemadmodum ille peccata eorum, ſic etiam ipſi odiſſent ſua.... Juſtum eſt ergo apud Deum, ut ignoſcatur talibus quæcumque antea commiſerunt, ne (quod injuſtiſſimum eſt) cum eis, qui tales non ſunt, confundantur atque miſceantur.* Nonne autem hoc eſt ipſos cum obduratis confundere, quod Auguſtinus injuſtiſſimum eſſe pronuntiat, ipſos cum obduratis in æternum à facie ſuâ projicere, ut inſtar obduratorum pœnis plectantur æternis. Non eſt ergo hoc, diligentes ſe diligere; ſed diligentes ſe damnare & odiſſe, quod Auguſtino injuſtiſſimum eſſe videtur, adeóque impoſſibile apud eum, qui eſt fons & regula omnis juſtitiæ.

Ex his liquet, quomodo intelligendus ſit Auguſtinus, quando de Catechumenis loquens, ait tract. 4. in Evang. Joan. *Omnia peccata ſuper illos ſunt, niſi venerint ad ſalutarem baptiſmum, ubi peccata ſolvuntur, cum omni ſuâ excellentiâ non poſſunt intrare in regnum cœlorum.* Item tract. 13. in idem Evangel. *Quantumque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis portat; non illi dimittitur, niſi venerit ad baptiſmum.* Item in pſalmi 106. verſum tertium,

c *Proverb.* 18. 17.

tium, *Populus hic Dei de magnâ & latâ Ægypto liberatur, tanquam per mare rubrum ducitur, ut in baptiſmo finiat inimicos. Sacramento enim tanquam rubri maris, baptiſmo ſcilicet Chriſti ſanguine conſecrato, inſequentes Ægyptii, peccata delentur, & te evadente nullus, qui te premebat, remanet inimicus.* Duo priora ex his tribus loca, non ità intelligenda ſunt, ac ſi Auguſtinus docere voluiſſet, quòd quantumvis magnâ Catechumenus excellentiâ divini amoris ſit donatus, & quòd quantumvis in iſto ſancto proficiat affectu, nihilominus tamen in regnum cœlorum intrare non poſſit, niſi in baptiſmo ejus peccata ſolvantur, & quòd adhuc ſarcinam iniquitatis portet, nec illi dimittatur, niſi venerit ad baptiſmum. Etenim Doctores (uti noſti V. C.) qui opinantur à pœnitentiâ, quæ ex Dei ſuper omnia dilecti amore procedit, indulgentiam, ſive peccatorum remiſſionem, plerumque tempore ſeparari, illi ipſi exiſtimant ab amore Dei adeo forti atque robuſto, ut ſuis propriis viribus, non mutuato à gehennæ aliorumque malorum formidine auxilio, non ſolùm Dei mandata ſervare, ſed etiam omnia blandientia & terrentia vincere aptus ſit, remiſſionem peccatorum haud eſſe ſejunctam. Non ergo credunt eos, qui tam nobiliter & fortiter Deum amant, licèt adhuc catechumeni aut pœnitentes ſint, ſuis peccatis ità compeditos eſſe, ut non poſſint intrare in regnum cœlorum, aut ſarcinâ iniquitatis ità gravari, ut ad inferos truderentur, niſi in baptiſmo aquæ aut lacrymarum remiſſionem acciperent. Eſt ergo ſenſus verborum Auguſtini, etiam ex mente iſtorum Doctorum, inter certos limites reſtringendus, agnoſcendumque eſt, eſſe quemdam profectum, atque quamdam divini amoris excellentiam, quæ à ſarcina iniquitatis & reatu mortis æternæ libera & ſoluta ſunt, tametſi neuter baptiſmus fuerit perceptus.

Deinde, ſi bene expendantur, quæ diximus de illis quinque, quæ in peccato paulò ante conſideravimus, apparebit, tutò aſſeri poſſe, nullum catechumenum, nullum pœnitentem, qui Deum tanquam fontem juſtitiæ ſuper omnia diligit, aut ſarcinâ iniquitatis ità gravari, aut peccato-

rum

rum vinculis ità implicari, ut regnum cœlorum intrare non poſſit. Etenim in illo non eſt actuale crimen, non eſt etiam inordinatio voluntatis, aut macula peccati; nam eam abſtulit converſio ad Deum; non eſt etiam in illo ea mentis conſtitutio atque perverſitas, quam Deus tanquam ſuis præceptis oppoſitam abominatur, æterniſque pœnis cruciandam exiſtimat; Etenim legem Dei ſuper omnia diligit, nihilque magis timet, quam eam violare; hinc cordis voce clamat: [f] *ne repellas me à mandatis tuis*; &, [g] *viam iniquitatis amove à me*. Ubi ergo in illo homine, qui Deum ſuper omnia diligit, ſarcina & compedes iniquitatis, cùm in illo nec actuale crimen, nec regnans peccandi voluntas, nec diſpoſitio divinis mandatis capitaliter inimica reperiatur? Quid ergo ipſum excludet à regno cœlorum, ſi baptiſmum aut abſolutionem ardenter deſiderans, eis invitus, ſive per mortem ſubitaneam, ſive per miniſtrorum abſentiam deſtituatur? Pone duos Deum ſuper omnia pari amoris perfectione diligentes, quorum unus non percepto, quem cupiebat, baptiſmo moritur, alter baptizatus vivere deſinit. Diceſne iſtum præmiis dignum æternis è corpore abire, illum verò è corpore egredi æternis dignum ſuppliciis? Hoc ſi dicas, falſum erit, quod non uno loco docet Auguſtinus, ſcilicet *charitatem ſolum eſſe iſtud donum, quod dividat inter filios regni æterni, & filios damnationis æternæ.*

Præterea, ſi loca Auguſtini ex tractatibus in Evangelium Joannis deſumpta attendimus, patebit clariſſimè ex illis, quæ ea loca præcedunt, Auguſtinum non ibi loqui de excellentiâ & profectu catechumenorum in charitate, ſed de profectu & de excellentiâ in honeſtate morum externorum. Loquitur enim ibi de catechumenis, qui baptiſmum, tanquam ſibi inutilem faſtidiebant, quia in ſeipſis videbant, majora morum ornamenta, quàm animadverterent in baptizatis. Dicebant enim iſtiuſmodi Catechumeni contemptores baptiſmi; *Quid mihi opus eſt baptiſmum accipere, ut hoc habeam, quod & iſte, quo jam melior ſum?*

Ni-

f *Pſal.* 118. 10. g *Pſ.* 118. 29.

Nihil autem verius, quàm iſtiuſmodi faſtidioſos catechumenos, quantumvis moribus videantur excellere, quantumvis in converſationis honeſtate proficere, nihilominus adhuc ſarcinam iniquitatis portare; & regnum cœlorum cum iſtâ ſuâ excellentiâ intrare non poſſe, niſi veniant ad baptiſmum, quem ut acciperent, & ut in eo peccata abluerent, Chriſtus inſtituit. Venitur ergo ad baptiſmum aut voto, aut actuali ablutione; & utrâque ratione prodeſt ad conſequendam peccatorum remiſſionem. Non poteſt itaque ex iſtis duobus Auguſtini locis concludi, quòd ab amore Dei ſuper omnia dilecti remiſſio peccatorum queat eſſe ſejuncta.

Quod ad alterum locum attinet, ubi peccata dicuntur mergi in baptiſmo, uti Ægyptii, qui Hebræos perſequebantur, mari rubro fuerunt abſorpti; illo videntur doceri duo:

Primò peccatores licèt pœnitentes, tamdiu vehementiùs timere, ne ſarcinâ præteritorum criminum gravati ad inferna deſcendant, quamdiu in undis baptiſmi, aut pœnitentiæ non fuerint abluti; ſicuti Hebræi tamdiu Ægyptios timebant, quamdiu eos non videbant mari rubro abſorptos atque ſepultos. Etenim baptiſmus præter remiſſionem peccatorum inſuper dat pacem animi, ac certam fiduciam de peccatorum remiſſione, ac de initâ cum Deo reconciliatione. Auguſtinus angebatur, & inquietus erat ob vitam præteritam, quamvis transfixus jaculis divini amoris ante baptiſmi ſuſceptionem indulgentiam peccatorum veroſimiliter fuerat aſſecutus. Verùm poſtquam ſacris undis fuerat immerſus, mirâ animi tranquillitate fruebatur, fidens ſibi dimiſſum eſſe, quidquid antea Deo adverſum perpetraſſet. Eſt ergo in Sacramentis baptiſmi ac pœnitentiæ virtus non ſolùm peccata dimittendi, ſed etiam animam fiduciâ & gaudio de illorum remiſſione perfundendi.

Secundò, dixit Auguſtinus peccata ſepeliri in baptiſmo, ſicuti Ægyptii ſubmerſi fuêre in mari rubro, quia ſæpe contingit, ut inchoata & necdum dominans Dei dilectio, quæ ad juſtificationem neceſſaria eſt, & quæ æſtimatur à

re-

remiſſione peccatorum non eſſe ſejuncta, in Catechumenorum & Pœnitentium cordibus non formetur ante ipſam baptiſmi & ſacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem. Nam tempus, quo ſacramenta adminiſtrantur, conſiderandum eſt, tanquam *tempus beneplaciti*, in quo auxilium divinæ gratiæ liberaliùs datur, & efficaciùs operatur; ut nemini mirum videri debeat, ſi non raro contingat, ſub iſtud tempus, quo dicta ſacramenta adminiſtrantur, dolentem de peccatis amorem eouſque creſcere, ut omnes alios, qui tunc in pœnitente ſunt, amores excedat & ſuperet. Imò fieri poteſt, ut divinus amor per prævium baptiſmo apparatum, aut per humilem & gemebundam confeſſionem, quæ horas & dies occupare poteſt, alioſque actus ac pœnitentiæ partes, quæ abſolutionis formam præcedunt, ità adoleſcat & creſcat, ut eo ipſo momento, quo ſacerdos abſolutionem pronunciat, illud accipiat incrementum, quod ei neceſſarium, ut cæteros amores excedat ac ſuperet. *Contingit enim*, (ait Petrus à Soto Lect. 4. de materiâ & formâ ſacramenti pœnitentiæ,) *ut cum abſolvitur, veraciter conteratur, non antea nec poſtea, & tunc ſicuti in baptiſmo integer & plenus effectus eſt. Nec tamen propterea minor, quando antea ex ſolo voto ſacramentum operatum eſt.*

Hæc veriora apparebunt, ſi cogitemus quænam à baptizandis perfectio exigatur; etenim poſtulatur (quemadmodum ſanctus Lucas in Evangelio cap. 14. nos docet) ut omnia Chriſto poſtponant, & omnibus præ ejus amore renunciare parati ſint, ſi articulus neceſſitatis occurrat, ut aut illa, aut Chriſtus relinquendus ſit: *Si quis* (inquit Chriſtus) *venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios & fratres & ſorores; adhuc autem & animam ſuam; non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et iterum: *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* „Cùm enim (inquit Auguſtinus epiſt. „89. ad Hilarium) omnis qui renunciat huic ſæculo, ſine „dubio renunciet omnibus, quæ ſunt ejus, ut poſſit Chri„ſti eſſe diſcipulus..... profectò renunciat etiam divitiis „ſuis, ſi quas habet; aut ſic, ut eas omninò non diligens

to-

„ totas diſtribuat indigentibus, & ſuperfluis exoneretur ſar-
„ cinis: aut ſic, ut plùs diligens Chriſtum, ſpem ab eis
„ transferat in ipſum; atque ità utatur illis, ut facilè tri-
„ buens & communicans theſaurizet in cœlo; paratuſque
„ ſit, quemadmodum parentes, & filios, & fratres, &
„ uxorem, hoc modo & iſtas relinquere; ſi talis conditio
„ propoſita fuerit, ut niſi dimiſſo Chriſto eas habere non
„ poſſit. Nam ſi aliter huic ſæculo renunciat (aſſerit *ibidem*
„ Auguſtinus) quando accedit ad fidei ſacramentum, facit
„ quod de lapſis beatus Cyprianus ingemuit dicens: *Sæcu-*
„ *lo verbis ſolis renunciantes & non factis.* De hoc quippe
„ dicitur, cùm veniente tentatione magis iſta metuit amitte-
„ re, quàm Chriſtum negare: *Ecce homo, qui cœpit ædi-*
„ *ficare, & non potuit conſummare.*

Exigitur itaque à baptizando ut ſæculo non verbis ſolis, ſed etiam factis, hoc eſt ſincero cordis affectu renunciet; quod certè ſine temeritate ab illo fieri non poteſt, *qui* priùs non expenderit, an venienti contra ſe diabolo majoribus viribus occurrere queat, & an habeat ſumptus, quibus turrim Chriſtianæ perfectionis extruere poſſit.

Non ſunt ergo illæ renunciationes edendæ niſi ab illo, qui in catechumenatu poſitus probabilibus argumentis ſibi ipſi poteſt perſuadere, quòd Chriſtum plùs diligens omnibus anteponat: nec à ſacerdote ullus adultus baptiſmate abluendus eſt extra caſum neceſſitatis, niſi ſigna contritionis in illo viderit. Si quis autem probabiliter ſibi perſuadeat, plùs à ſe Deum, quàm ſæculum diligi, tunc fieri natum eſt, ſi ante ablutionem necdum attigerit eum amoris gradum, quo Deus præ omnibus diligatur, ut ſub ipsâ intinctione ad illum elevetur: & tunc pœnitentia, in quâ Deus ſuper omnia diligitur, & ipſa intinctio eodem tempore ſimul exiſtent.

Hæc ad abſolutionem transferantur, & patebit illam non eſſe uſurpandam antequam peccatores, attentis, quas à Deo acceperunt viribus, veroſimiliter opinari poſſint, quòd inſtaurata per abſolutionem & Euchariſtiam profeſſione vitæ Chriſtianæ, eam ſervaturi ac impleturi ſint. Quid

enim

enim abſolutionis & Euchariſtiæ perceptio, quàm ſolemnis Chriſtianæ vitæ profeſſio? Et quis ſacerdos poterit peccatorem ad eam profeſſionem ſive ſponſionem admittere; niſi prudenter judicet, quòd is, quem admittit, omnibus ſincero cordis affectu renunciet, Chriſtumque præ omnibus diligat? quemadmodum ipſe baptizandus Deo ſpopondit in ſacro regenerationis fœdere, quod verè pœnitens renovat, & redintegrat.

Hæc, V. C. hîc annotanda duxi, ne quis doctrinâ, quam tradit religioſiſſimus vir Petrus à Soto, in ſuam perniciem abutatur.

Dicunt ergo Patres in baptiſmo peccata mergi, ſicut Ægyptii mari rubro fuerunt abſorpti; tum quia ſacramentum actu perceptum majorem dat de remiſſione peccatorum ſecuritatem: tum quia peccata non dimittuntur, niſi baptiſmus aut actu aut voto ſuſcipiatur, tum quia dolor, qui ad remiſſionem peccatorum neceſſarius eſt, plerumque ſenſim creſcit & ſæpe non perficitur ante ipſum tempus acceptabile & dies ſalutis, quo ſacramenta utriuſque baptiſmi adminiſtrantur. Patres itaque non dixerunt, peccata in baptiſmo mergi, ſicuti Ægyptii in mari rubro, quaſi æſtimaverint ab amore Dei ſuper omnia dilecti remiſſionem peccatorum Deive amicitiam poſſe ſeparari. Non adverſantur ergo indiviſibili nexui, quo plurimi credunt indulgentiam peccatorum pœnitentiæ ſemper eſſe conjunctam.

Ne arbitreris, V. C. hâc doctrinâ iſtorum foveri deſidiam, qui ſegnes ſunt ad poſtulandum & impetrandum odium peccati & amorem juſtitiæ, rati ea per abſolutionem noſtris in cordibus efformari. Etenim hi deſides molleſque pœnitentes cogitare debent à præſtantiſſimis Theologis doceri, contritionem, quæ ità ſe habet ad abſolutionem tanquam materia ſe habet ad formam, tam non eſſe effectum abſolutionis, quàm aqua baptiſmi non eſt effectus formæ baptiſmalis, & quàm chriſma & oleum non producuntur à formis confirmationis & extremæ unctionis; ideoque periculoſam eſſe iſtam in abſolutione fiduciam, quâ creditur eſſe principium & cauſa contritionis.

Inſuper oportet, ut conſiderent, contritionem non ſubitò, ſed plerumque tractim creſcere, nec ordinariè tantas acquirere vires, quantæ neceſſariæ ſunt, ut peccatum quoad actum & quoad effectum extirpetur ex corde humano, niſi vigiliis & orationibus deſiderata, meditationibus aut lectionibus ſacris nutrita, mortificationibus carnis fota, eleemoſynis aliiſve piis operibus fuerit roborata. Ad hæc autem opera, tempus, quo forma aut baptiſmi aut ſacramenti pœnitentiæ profertur, nimis anguſtum eſt.

Nihil ergo in hâc doctrinâ, quod contritionis ſtudium frigefacere natum ſit, quamvis valeat ad accendendum ablutionis & abſolutionis reipſâ percipiendæ deſiderium, eorumque commendandam felicitatem, qui eas non ſolùm votis proſequuntur, ſed poſt dignam præparationem etiam reipſa conſequuntur. Augetur enim gaudium de ſpe ſalutis ex integrâ ſacramentorum perceptione. Quando autem una aut altera pars percipitur, tum ex abſentiâ *unius partis*, de virtute & fructu partis ſuſceptæ minùs præſumitur. Et hinc quoque naſci poteſt luctus fidelium ob mortem ſuorum, qui aut non baptizati aut ligati moriuntur.

Intereſt tamen quamplurimum, quænam pars defuerit. Multò enim meliùs de illorum ſalute præſumendum, quos ob miniſtrorum abſentiam, aut aliorum malitiam ſine baptiſmo aut abſolutione, dum ſe ad ea ſanctè percipienda diligenter & religiosè præparant, ex hâc vitâ contingit diſcedere; quàm plerumque ſperandum ſit de illorum cum Deo reconciliatione, qui ſacramentaliter tincti & abſoluti à criminibus recentes moriuntur, non priùs actis pœnitentiæ dignis fructibus, nec oſtensâ vitæ emendatione, ut ſe ad impetrandam à Deo indulgentiam præpararent.

Habes, ut exiſtimo, V. C. genuinum ſenſum verborum Auguſtini, quæ objici poſſunt contra nexum, qui dominanti divino amori remiſſionem peccatorum inſeparabiliter conjungere meritò æſtimatur. Progrediar igitur ad alias difficultates, quæ me deterrent, ne illis me adjungam, qui hæc à ſe invicem ſeparabilia putant.

III. *Difficultas.*

QUis etiam, V. C. comprehendat, quòd idem meritum ad ſubeundas pœnas æternas, quod eſt in peccatoribus averſis, in ipſis jam converſis maneat, ac perſeveret? Quis comprehendat eum manere dignum damnatione æternâ, quæ eſt mors ſecunda, & pœna mortis primæ, in quo regnat Dei amor, qui eſt vita animæ, & principium ac meritum vitæ beatæ? Poteſtne Deus eos morte ſecundâ dignos reputare, quos ipſe, dans illis ſuum amorem, in eo ſtatu poſuit, cui ipſe vitam promiſit æternam? Poteſtne quis eodem tempore eſſe in parte illorum, quibus ignis æternus paratus eſt, & in ſtatu illorum, quibus Deus regnum æternum promiſit? Nonne eadem res eſſe videtur, reum eſſe damnationis æternæ, & eſſe in ſtatu illorum, quibus in ſuo ſtatu permanentibus combuſtio æterna parata eſt? Nonne ex his conficitur, quod ſi pœnitens, in quo Dei amor regnat ac dominatur, ante perceptam à ſacerdote abſolutionem maneat reus æternæ mortis, aut bona æterna non eſſe promiſſa eis, qui Deum diligunt, contra illud Scripturæ, *Quæ præparavit Deus diligentibus ſe*; aut eundem hominem eodem tempore eſſe ſimul dignum morte ſecundâ, & vitâ æternâ?

IV. *Difficultas.*

UT clariùs appareat, hæc duo ſimul in eodem homine componi non poſſe, ex Scripturis & Patribus hîc breviter referam notionem inferni, qualem ipſi eum nobis efformant.

Infernus in Scripturâ deſcribitur tanquam mors ſecunda, hoc eſt, tanquam æterna animæ à Deo, qui ejus vita eſt, ſeparatio. Nihil autem, ſcripturâ teſte, minùs cum animâ, licèt antea graviſſimè peccaverit, Deum ſuper omnia diligente componi poteſt, quàm iſta teterrima mortis ſpecies. *Nos ſcimus*, inquit Joannes 1. Epiſt. 3. *quoniam de morte tranſlati ſumus ad vitam quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte.* Unde Auguſtinus tract. 5. in Ep.

 Joan.

Joan. hunc locum commentans ità loquitur: *Nemo interroget hominem: redeat unuſquiſque ad cor ſuum, ſi ibi invenerit charitatem fraternam, ſecurus ſit, quia tranſiit à morte ad vitam. Jam in dextra eſt.* Hinc itaque liquet peccatorem, quem Deus ità ad ſe convertit, ut in illius corde divinus amor dominetur, non eſſe ampliùs in morte ſpirituali, cujus infernus conſummatio eſt, quare etiam *mors ſecunda* appellatur. Eſt igitur ex illorum numero, de quibus ait liber Apocalypſis; [a] *In his ſecunda mors non habet poteſtatem.* Hæc enim in eos ſolùm, qui ſunt in morte primâ, ſuam exerit poteſtatem.

Ut quis maneat in æternum à Deo ſeparatus, quod eſt animæ mors ſecunda, oportet ut primò è corpore diſcedat à Deo ſeparatus, in quo eſt animæ mors prima. Atqui nullus, niſi qui Deum ſuper omnia non amat, manet in iſtâ ſeparatione ac morte; & peccator, qui eâ morte fuerat implicitus, cùm creaturam Deo præferebat, ab eâ ſe expediit, & ad vitam, hoc eſt, ad conjunctionem cum Deo, quæ iſti ſeparationi contraria eſt, ſicuti vita morti adverſatur, ſe tranſtulit iſto momento, quo divinus amor in ejus corde obtinuit principatum. Non eſt ergo, quamdiu in iſto permanet amore, illis accenſendus, in quos mors ſecunda poteſtatem habet; conſequenter etiam caret debito mortis ſecundæ, quod ab iſtis Theologis intelligitur per reatum, qui reatus ab eiſdem in converſis uſque ad abſolutionem remanere putatur.

Status damnatorum in Evangelio deſcribitur ſub imagine hominis, qui ob crimina ſua projicitur [b] *ligatis manibus ac pedibus in tenebras exteriores, ubi eſt fletus & ſtridor dentium.* Hoc autem ſupplicium iis convenire non poteſt, qui Deum ſuper omnia diligunt. Nam, uti docet Auguſtinus cap. 54. libri *de verâ Religione*, iſta ſupplicia admenſa & adaptata ſunt criminibus, quibus ea damnati meruerunt. Hanc doctrinam fundat in his præclariſſimis verbis, quibus caput præcedens finierat. *Hoc in eis* (qui moriuntur) *perficietur poſt hanc vitam, quod in hac plus diligunt.* Unde poſt

a *Apoc.* 20. 6. b *Matth.* 22. 13.

poſt iſta verba ſic infert. *Qui ergo malè utuntur tanto mentis bono, ut extra eam viſibilia magis appetant, quibus ad concupiſcenda, & diligenda intelligibilia commemorari debuerunt, dabuntur eis exteriores tenebræ. Harum quippe initium eſt carnis prudentia, & ſenſuum corporeorum imbecillitas.* Is autem, qui Deum ſuper omnia diligit, plùs intelligibilia, quàm ſenſibilia bona diligit; & ideo non meretur mitti in tenebras exteriores; ſed in locum luminis & claritatis, ubi gaudetur de intelligibili & incommutabili luce veritatis, quæ Deus eſt.

Qui, ait idem S. Doctor, *certaminibus delectantur*, hoc eſt, ſuperbi & ambitioſi, (nam inter ſuperbos & ambitioſos, teſte Scripturâ, ipsâque experientiâ jurgia, pugnæ, & bella ſunt) *alienabuntur à pace Dei, & ſummis difficultatibus implicabuntur. Initium enim ſummæ difficultatis eſt bellum atque contentio. Et hoc ſignificare arbitror, quòd ligantur ei manus ac pedes, id eſt, facilitas omnis aufertur operandi.* Atqui iſtiuſmodi ſupplicium neutiquam quadrat in eos, qui Deum omnibus anteponunt, neque enim ex bellis & pugnis gloriam & laudem quærunt, ſed Deo, qui ſumma pax eſt, frui cupiunt.

His adde, neutiquam convenire, ut ei auferatur operandi facilitas, in quo amor Dei ſuper omnia dilecti eſt non ſolùm prima operatio, verùm etiam aliarum operationum origo atque principium. Sancta enim operandi facultas non meretur difficultatibus implicari, ſed ab illis liberari, ut majori cum facilitate operetur.

Et *quantum ad eos attinet*, (inquit adhuc Auguſtinus) *qui ſitire & eſurire volunt, & in libidinem ardeſcere & defatigari, ut libenter edant & bibant, & concumbant, amant indigentiam, quod eſt initium ſummorum dolorum: perficietur ergo in eis, quod amant, ut ibi ſint, ubi eis ſit ploratus & ſtridor dentium.* Nunc quæro, ſi illi qui Deum omnibus anteponunt projicerentur in locum, ubi eſt fletus & ſtridor dentium, utrùm dici poſſet, quod cùm indigentiam amaſſent, quod eſt initium ſummorum dolorum, ideo præcipitati ſint in locum, in quo eſt fletus & ſtri-

ſtridor dentium; & non potiùs dici debeat, quòd cùm Deum, qui eſt vera animarum ſufficientia, in hac vitâ præ omnibus dilexerint, hic amor poſt hanc vitam perfici debuerit, ut eo perfecto illic vivant, ubi ſancti exultant in gloriâ, & ubi Deus eſt omnia in omnibus. *Hoc enim* in diſcedentibus ex hoc mundo *perficietur poſt hanc vitam, quod in hac vita plus diligunt.*

His adde ſtridorem dentium denotare damnatorum rabidas querelas & blaſphema contra Deum lamenta, quæ in amantibus Deum ſuper omnia ne quidem cogitari poſſunt.

In pſalmo ſexto (quemadmodum etiam ab Auguſtino libro proximè citato cap. 52. obſervatum fuit) infernus deſcribitur tanquam locus, ubi nemo reverenti memoriâ memor ſit Dei, & ubi nemo ejus laudes amando confitetur. *Non eſt in morte* (ſcilicet ſecundâ) *qui memor ſit tui. In inferno autem quis confitebitur tibi?* Ergo illi eò in loco eſſe non poſſunt, qui Deum ſuper omnia diligunt, tales enim amanter ejus reminiſcuntur, ac reverenter confitentur, cantantes in æternum miſericordias ejus, qui abſtulit ab eis amorem ſæculi.

Sancti Patres, dum infernum delineant, eum delineant tanquam locum, ubi eſt dolor pœnitentiæ ſine correctione voluntatis & luctus perpetuus ſine fructu pœnitudinis, quia à damnatis peccatum quidem culpatur, ſed juſtitia ab eis nec diligi nec deſiderari, nec voluntas ad bonum poteſt converti. *Etſi*, inquit Fulgentius, lib. de fide Petrum c. 3. *erit in inferno ſtimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis. A talibus enim iniquitas ſua ità culpabitur, ut nullatenus poſſit ab eis juſtitia vel diligi vel deſiderari.*

Lib. 2. autem de Remiſ. peccatorum c. 15. de pœnitentiâ, quæ in inferno reperitur, ità loquitur. *In tali pœnitentiâ luctus æternus erit, quia fructus ibi pœnitentiæ nullus erit, non enim ibi mala voluntas* AD BONUM CONVERTETUR *pœnitendo, quando ad hoc tantùm pœnitentiam habebit iniquus in pœnâ, ut nec pœnitentiâ aliquando poſſit carere nec pœnâ.*

Iſtiuſ-

Iſtiuſmodi ergo locus iis convenire non poteſt, qui juſtitiam æternam ſuper omnia amant atque deſiderant, & qui ad incommutabile bonum, Deum ſcilicet ſuum, maximo cordis affectu convertuntur.

V. *Difficultas.*

Dices fortè, V. C. verum quidem eſſe, quòd maxima pœnarum pars, quibus reprobi in inferno cruciantur, in illis, qui Deum omnibus anteponunt, & qui à ſacerdote non ſunt abſoluti, locum habere non poſſit; verùm duas eſſe in inferno pœnas, quæ in ipſos videntur cadere poſſe, nempe cruciatus ignis & æternum à Deo exilium, quæ à Theologis vocantur pœna ſenſus & damni. Fateor, V.C. hoc cum aliquâ veriſimilitudine dici poſſe. Verùm evaneſcet hæc veriſimilitudo, ſi attendas ſub pœnâ æternâ, cujus reatum in converſis peccatoribus, quoaduſque ſacerdotali abſolutione donentur, plerumque remanere putas, contineri omnia mala, quæ ſupra enarravimus; fateris itaque maximam partem pœnarum æternarum ante abſolutionem tolli, ſimulac cor peccatoris verè fuerit converſum. Quomodo ergo tollitur maxima pars reatus à converſis ante abſolutionem, per ſolamne converſionem peccatoris, an etiam per indulgentiam Dei, quæ à converſione iſta diſtingui quidem poteſt, verùm ſeparari non poteſt? Si itaque maxima pars reatûs pœnæ æternæ ſine abſolutione tollitur, dum peccator ad Deum convertitur, cur quæſo, dici non poteſt, quòd formata in corde peccatoris verâ contritione integer reatus tollatur?

Deinde vix concipi poteſt, quomodo peccator ad Deum converſus, qui illum amat & ab illo amatur, (nam amor quo nos Deum colimus, eſt effectus ejus amoris, quo ille nos dignatur) poſſit æternis ignibus cruciandus tradi eam ſolùm ob cauſam, quia caret abſolutione ſacerdotali. Docent Patres, Deum ex ſe ipſo eſſe beneficum, nec punire niſi noſtris peccatis provocatum.

Hinc Tertulianus Lib. de Reſurrectione carnis c. 14. dicit, *Deum, de ſuo optimum, de noſtro juſtum. Niſi enim*

homo deliquiſſet, (inquit idem auctor) *optimum ſolummodo Deum noſſet ex naturæ proprietate: at nunc etiam juſtum eum patitur ex cauſæ neceſſitate.*

Sanctus Auguſtinus non uno loco docet, Deum non ex naturæ propenſione, ſed dumtaxat punire ut *peccati dedecus emendet pœnâ peccati*, ſive ut *dedecus peccati non eſſet ſine decore vindictæ.* Quando autem Deus peccatori ſuum infundens amorem, ipſum ad ſe miſericorditer convertit, tum etiam removet præcipuum dedecus, quod peccatum mundo invexerat. Iſtud enim dedecus iſtaque perverſitas in eo præcipuè poſita erat, quòd creatura ſuo creatori rebellis exiſteret, & quòd mens rationalis creata ad Deum tanquam ſponſum ſuum amandum & colendum, ſeipſam adulterinis mundi amoribus violandam proſtitueret. Verùm ab hoc adulterino amore reſipiſcit, ſimul ac converſa ad Deum eum omnibus anteponit. Quod ſi poſt iſtam emendationem adhuc ſupereſt ex præterito peccato nonnulla perverſitas, ad eam reparandam idoneæ ſunt temporales pœnæ, non verò æternæ; nam illæ ſolùm iis congruunt, in quibus regnat & perſeverat mala voluntas. In reprobis enim pœnæ ſunt æternæ, quia æterna in ipſis eſt peccandi libido.

VI. *Difficultas.*

INſuper V. C. conſiderari à te velim, perverſitatem ac dedecus mortalis peccati, quæ oſtendimus contritione removeri, non ex ſeipſis ceſſare aut evaneſcere, ſed removeri Deo operante in corde peccatoris, cui eodem tempore inſpirat ſuum amorem, quo convertitur, & deſiderium caſtigandi per fructus dignos pœnitentiæ, quod ſe dolet commiſiſſe. Cùm itaque Deus ſuæ operatione miſericordiæ hæc omnia in corde peccatoris perficiat, quâ ratione poterit adhuc velle æternis pœnis eum punire, à quo ſui amoris infuſione præcipuum peccati dedecus abſtulit, & quem judicem & vindicem ſui ipſius conſtituit, ne ipſe ejus judex & vindex permaneret. *Sævi in te* (inquit Auguſt. Serm. 3. de diverſis) ut *Deus intercedat tibi, ut non damnet*

te. Peccatum enim ſine dubitatione puniendum eſt. Hoc debetur peccato, punitio, damnatio: puniendum eſt peccatum, aut à te aut ab ipſo. Si punitur à te, tunc punietur ſine te; ſi verò à te non punitur, tecum punitur. Hæc Auguſtinus, ut oſtendat nos à Deo æternis pœnis non eſſe puniendos, ſi temporalibus nos ipſos caſtigaverimus.

Hæc adeo vera & indubitata ſunt, ut dixerit Bernardus in inferno non puniri niſi propriam voluntatem; imò nullum fore infernum, ſi nulla propria foret voluntas: *Quid enim,* (inquit ſerm. 3. de reſurrectione,) *odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille deſæviet niſi in propriam voluntatem?* Quid autem Bernardo, voluntas propria, niſi voluntas, quæ non eſt *communis cum Deo & hominibus, ſed noſtra tantùm, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, ſed propter noſmetipſos facimus, non intendentes placere Deo, & prodeſſe fratribus, ſed ſatisfacere propriis motibus animorum?* Hæc autem voluntas propria non eſt in illis, qui Deum magis, quàm ſeipſos diligunt. *Huic enim* (inquit idem ſanctus) *contraria eſt rectâ fronte charitas, quæ Deus eſt.* Non poteſt ergo illos inferni ignis cruciare, à quibus Dei amor malam ſive propriam excluſit voluntatem.

VII. *Difficultas.*

Fateor quidem his difficultatibus nonnihil detractum iri, ſi dicatur poſſe permanere in peccatore converſo ante perceptam abſolutionem, non quidem reatum ignis æterni, ſed perpetui à Deo exilii. Verùm contra hanc opinionem, quæ vix ab ullo docetur, militant quoque pleraque, quæ ſuprà enarravimus. Et certè duriſſimum videtur, ut à Deo in æternum ſeparata maneat creatura, quæ præ ipſius amore ſeipſam contemnit, & quæ ſine ipſius fruitione nullatenus poteſt eſſe beata; ut ſuas aures in æternum Deus obturet, ne exaudiat facturam ſuam caſto ſanctoque & vehementi deſiderio clamantem, *ne projicias me à facie tuâ.* Apud Iſaiam cap. 1. poſtquam Deus Judæis in-

dicaſſet quid ad veram pœnitentiam requiratur. Deinde ait, hæc ubi feceritis, *venite & arguite me*, ſi non exaudiam, ſi peccata veſtra non penitùs deleam. *Si fuerint*, inquit, *peccata veſtra ſicut coccinum*, *quaſi nix dealbabuntur*, &c. Hoc eſt, nihil, quod vobis obſit, æternùm ex eis ſuperſtes remanebit.

Profectò nonne daretur homini, quod horribile dictu eſt, Deum magna arguendi materia, ſi ipſum ſuper omnia amans, ipſum in æternum colere deſiderans, ſi ab omni majori peccato ſe cohibens, in æternum ad Deum piis precibus & gemitibus clamare poſſet, [c] *ne avertas faciem tuam à me*, [d] *oſtende faciem tuam & ſalvi erimus*, & nihilominus eum Deus nunquam exaudiret.

Velim, V. C. attendi ipſam eſſe charitatem, quæ iſtiuſmodi deſideriorum & precum fons eſt & origo. Dum autem illa orat, tum Deus exoratur. Nam (uti præclarè ait Auguſtinus tract. 6. in epiſtolam Joannis) *adverſus hanc aures claudere non novit*, *qui dedit eam*. Hinc ſanctus Leo ſerm. 92. Deum ità loquentem introducit: *Nemo quæ mea ſunt inefficaciter concupiſcit. Qui enim ad me tendit*, *ex mei participatione me quærit*. Hoc eſt, quærit per charitatem, quam Deus cordibus, ut æterna quærant, amanter inſpirat. Quomodo ergo non audiet eorum preces, qui per charitatem ab ipſo acceptam gemunt & orant, ut ipſius fruitione beentur?

Apud Ezechielem cap. 28. extat notiſſima hæc ſententia, *ſi impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis*, *quæ operatus eſt*, *& cuſtodierit præcepta mea*, *& fecerit judicium & juſtitiam*, *vitâ vivet & non morietur. Omnium iniquitatum ejus*, *quas operatus eſt*, *non recordabor. In juſtitiâ ſuâ*, *quam operatus eſt*, *vivet.* Nonne qui Deum ſuper omnia diligens pœnitentiam agit, nonne qui legem ejus in ſuo corde charitatis diffuſione ſcriptam tenet, cuſtodit præcepta ejus? Quomodo ergo poterit Deus iniquitatum ejus adhuc recordari? An non eſt earum recordari, illum, qui eas admiſerit, æternæ pœnæ adhuc reum ha-

c *Pſal.* 26. 9. d *Pſal.* 79. 8.

habere, licet contritio deſtruxerit peccandi libidinem, & licèt amor juſtitiæ conſtans bene agendi deſiderium in ejus corde excitaverit? Nec dicas, hæc promiſſa ſpectare ad eos, qui ante Chriſti adventum vixerunt. Etenim ex variis Patrum locis, quæ cap. 5. lib. 1. de Amore pœnitente videri poſſunt, clarè patet, has promiſſiones ad eos, qui poſt Chriſti adventum vixerunt, perinde ſpectare, atque ſpectabant ad illos, qui ejus adventum præceſſerunt.

Unde generatim dixit ſanctus Fulgentius lib. 1. de remiſſione peccatorum c. 15. „Deum poſſeſſionem regni „cœleſtis ſic diſpoſuiſſe, ut eam, quia juſtus eſt, impio „& iniquo non donet, quia verò miſericors eſt, omni „veraciter converſo non deneget. Imò idem ſanctus non ſolùm ait eodem libro cap. 8. Deum omni veraciter converſo donare poſſeſſionem regni cœleſtis; ſed, quod amplius eſt, diſertè pronuntiat, indulgentiam converſis à Deo miſericordi non poſſe denegari, ſicuti à Deo juſto obduratis non poteſt concedi. *Nam*, inquit, *ubi eſt miſericordia juſtitiaque perfecta, nec favorem poteſt juſtus peccatis impendere, nec indulgentiam converſis miſericors abnegare.*

VIII. *Difficultas.*

QUod Paulus duobus locis ait, filios Dei etiam eſſe hæredes Dei; [c] *ſi filius*, inquit, *& hæres*, & alibi, [f] *ſi filii & hæredes*; non apparet componi poſſe cum ea opinione, quæ aſſerit, eos, qui Deum ſuper omnia diligunt, poſſe eſſe filios gehennæ, ſeu reos mortis æternæ, vel etiam reos æterni à Deo exilii, ſive dignos, qui in æternum projiciantur ab ejus facie, cujus conſpectus eſt beatitudo & hæreditas filiorum Dei. Filii autem Dei illi cenſendi ſunt, qui præ Dei amore ſeipſos contemnunt, ſive qui Deum ſibipſis præferunt. *Dilectio*, inquit, S. Auguſtinus tract. 5. in Epiſt. Joan. *ſola diſcernit inter filios Dei & filios Diaboli*, & lib. 15. de Trinit. cap. 18. ait *nullum iſto dono excellentius. Solum eſt, quod dividit inter filios regni æterni, & filios*

[c] *Galat.* 4. 7. [f] *Rom.* 8. 17.

filios damnationis æternæ. Et lib. de gratiâ Chri. cap. 21. eandem confirmat doctrinam, docens per charitatem nos ex Deo naſci: *ſecundùm* inquit *iſtam charitatem, melius intelligitur dictum, qui natus eſt ex Deo non peccat, & quia non poteſt peccare, quia charitas, ſecundùm quam natus ex Deo eſt, non agit perperam nec cogitat malum.* Cùm ergo per charitatem, quæ Deum omnibus anteponit, conſtituamur filii Dei, etiam per eam hæredes efficimur. Unde non apparet, quomodo quis poſſet eſſe filius & hæres Dei, & ſimul eodem tempore filius gehennæ, ſive dignus, à quo Deus, (*apud quem,* uti ait ſanctus Leo, [a] *nullas patitur moras vera converſio.*) in æternum ſuam faciem avertat.

Hæ difficultates, V, C. me deterruerunt, ne in ſententiam iſtorum Theologorum, qui arbitrantur reatum pœnæ æternæ cum amore Dei ſuper omnia dilecti componi poſſe, pronus abirem; ſed potiùs eam hiſtorici fide enarrarem, iſtis illam aſſerendam relinquens, qui illam magis probabilem æſtimant.

Dum has leges rationes, quibus motus illorum Theologorum doctrinam volui potius referre, quàm aſſerere, forſan ſuſpicaberis me erga antiquorum Scholaſticorum, quam etiam hodie viri doctrinâ & dignitate illuſtres amplectuntur pro ea parte, quâ contritionem prædominante Dei amore animatam docent à reconciliatione non eſſe ſejunctam, omninò eſſe propenſum. Tibi V. C. liberè, quod ſentio, aperiam. Dum librum, quem legiſti, componebam, parem ferè de utraque opinione habui exiſtimationem, utramque probabilem judicans. Verùm dum in re difficili aſſenſum ſuſpendo, non quievi à ſolicitudine inquirendi, ſi quid probabilius invenirem. Illud autem à S. Thomâ in poſtremo & præſtantiſſimo opere inſinuatum & traditum eſſe exiſtimo. Quare velim ſequens ſcriptum Geometricâ ratione compoſitum, (ut ſanctiſſimi Doctoris ſenſus faciliùs erueretur, & erutus efficaciùs demonſtraretur,) legere non gravêris. Ea enim, quæ in illo de contritionis ad hominis juſtificationem neceſſitate, & de clavium virtute tradun-

a *Epiſt. 91. ad Theod. Forojul.*

tur, videntur oſtendere, illam huic non officere, nec hanc illi derogare. Sed tuum, V. C. (quod ſcio ad modum exactum eſſe) de hoc ſcripto ſit judicium.

Si quid tibi occurrat, quod ad veritatem propiùs accedat, hoc mecum pro tua erga me charitate, libenter communicabis. Vale, ità vovet

Vir Clariſſime

Officioſiſſimus

Conſervus tuus

CASTORIEN.

Exponitur breviter & probatur vera ſententia S. Thomæ de Sacramento pœnitentiæ.

FActurus operæ pretium mihi videor, ſi inquiram in ſententiam S. Thomæ de Sacramento pœnitentiæ, & potiſſimùm circa illa capita:

I. An ſenſerit amorem Dei ſuper omnia peccatori neceſſarium eſſe, ut juſtificetur etiam in Sacramento.

II. An exiſtimaverit fieri poſſe, ut peccator, qui antequam ſacerdotem adeat, toto corde ad Deum convertitur & illum amat ſuper omnia, remaneat uſque dum actu abſolvatur, in ſtatu peccati mortalis, vel ſaltem reus æternæ pœnæ.

III. Si primum ſenſerit & alterum inficiatus ſit, quomodo id conciliaverit cum virtute clavium & efficaciâ ſacramenti pœnitentiæ.

Sanè quidquid evidenter compertum fuerit, docuiſſe ſuper his ſanctum Thomam, certo certius erit, Patribus Tridentinis in mentem non veniſſe, ut id damnarent, vel erroris arguerent.

Ut autem hæc diſquiſitio & faciliùs & ſecuriùs fiat, viſum eſt mihi mentem S. Thomæ non ex aliis ejus operibus inveſtigare, ſed ex ſolâ ſummâ Theologicâ, quod eſt opus

ejus poſtremum, & indubitatè præſtantiſſimum. Supplementum verò ad *ſummam* non pertinet, cùm ſit tantùm ab illius diſcipulis ex aliis ejus operibus ſtudioſè contextum.

Et ne lector vereatur, me ſibi fucum facere velle per conſequentias ex ſententiis S. Thomæ ſuper alio argumento ſparſim hinc indè in ſummâ poſitis operosè confectas, non aliunde ejus mentem eruam, quàm ex quæſtionibus 3. partis ſummæ Theologicæ, in quibus de ſacramento pœnitentiæ ex profeſſo diſputat.

Hæc ergo erit ſeries præſentis opuſculi. Ex illis 5. Quæſtionibus 84. 85. 86. 87. 90. loca ſeligam, quæ ad præſens argumentum faciunt, & ex illis conficiam novemdecim propoſitiones totidem verbis ex S. Thomâ excerptas.

Monitum deinde ſubjungam de iis, in quibus S. Thomas à priſtinâ ſuâ ſententiâ, quam ab antiquioribus Scholaſticis hauſerat, deſciviſſe videtur in ſummâ.

Ponam denique aliquot concluſiones de hoc argumento, quas omnes demonſtrare mihi poſſe videor per *illas* propoſitiones, quas ſuprà dixi ex S. Thomâ totidem verbis fuiſſe excerptas.

Propoſitiones ex S. Thomâ totidem verbis excerptæ. De pœnitentiâ ut eſt Sacramentum.

I.

OMne ſacramentum producit effectum ſuum, non ſolùm virtute formæ, ſed etiam virtute materiæ: ex utroque enim eſt unum ſacramentum Quæſt. 86. a. 6. c.

II.

In baptiſmo, in confirmatione, in extremâ unctione, ſi qui actus humani ſunt, non ſunt de eſſentiâ ſacramentorum; ſed diſpoſitivè ſe habent ad ſacramenta. In illis autem ſacramentis, quæ habent effectum correſpondentem humanis actibus, ipſi actus humani ſenſibiles ſunt loco materiæ, ut accidit in pœnitentiâ & matrimonio. Qu. 84. a. 1. ad. 1.

III. Actus

III.

Actus illi humani, quos ſacramentum pœnitentiæ habet pro materiâ, ſunt tres: Contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Qu. 90. a. 1. c.

IV.

Actus humani, qui multiplicantur in pœnitentiâ, non comparantur ad habitum virtutis (pœnitentiæ) ſicut partes, ſed ſicut effectus: & ideo cùm plures actus humani requirantur ad pœnitentiæ perfectionem, ſcilicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio, conſequens eſt, quòd ſacramentum pœnitentiæ habeat partes. Qu. 90. a. 1. c. & in Reſp. ad 2.

V.

Requiritur ex parte pœnitentis: 1. quidem voluntas recompenſandi, quod fit per contritionem. 2. Quòd ſe ſubjiciat arbitrio ſacerdotis loco Dei, quod fit in confeſſione. 3. Quòd recompenſet ſecundùm arbitrium Miniſtri Dei, quod fit in ſatisfactione. Quæſt. 90. a. 2. c.

VI.

Contritio, quæ eſt prima pars ſacramenti pœnitentiæ, eſt contritio interior, ſed quæ tamen virtualiter pertinet ad exteriorem pœnitentiam in quantum implicat propoſitum confitendi & ſatisfaciendi. Quæſt. 90. a. 2. ad 1.

VII.

Satisfactio cauſat gratiam prout eſt in propoſito, & auget eam prout eſt in executione. Ib. ad 2.

De pœnitentiâ ut eſt virtus.

VIII.

Actus humani, qui ſunt partes materiales ſacramenti pœnitentiæ, ſunt actus pœnitentiæ ſecundùm quod virtus eſt. Qu. 90. a. 1. ad 2.

IX.

Pœnitentia non habet quòd ſit virtus ſpecialis ex hoc ſolo, quòd dolet de malo perpetrato, ad hoc enim ſufficeret charitas, ſed ex eo, quòd pœnitens dolet de peccato commiſſo in quantum eſt offenſa Dei, cum emendationis propoſito. Quæſt. 85. a. 3. c.

X.

Si pœnitentia conſideretur quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentiâ cooperamur: Horum actuum primum principium eſt Dei operatio convertentis cor. 2. actus eſt motus fidei. 3. eſt motus timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur. 4. actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. 5. actus eſt motus charitatis quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſeipſum, & non jam propter ſupplicia, 6. eſt motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. 85. a. 5. c.

XI.

Actus quidem laudabiles etiam tempore præcedere poſſunt actum & habitum pœnitentiæ, ſicut actus fidei & ſpei informium, & actus timoris ſervilis. Actus autem & habitus charitatis ſimul ſunt tempore cum actu & habitu pœnitentiæ, & cum habitibus aliarum virtutum. Nam ſicut dictum eſt. 1. 2. q. 113. a. 3. & 8. in juſtificatione impii ſimul eſt motus liberi arbitrii in Deum (qui eſt actus fidei per charitatem formatus) & motus liberi arbitrii in peccatum, qui eſt actus pœnitentiæ. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit ſecundum, nam actus virtutis pœnitentiæ eſt contra peccatum ex amore Dei. Unde primus actus (id eſt, actus fidei charitate formatus) eſt ratio & cauſa ſecundi. 85. a. 6. c.

De effectu pœnitentiæ quoad mortalium peccatorum remiſſionem.

XII.

IMpoſſibile eſt peccatum actuale mortale ſine pœnitentiâ remitti, loquendo de pœnitentiâ, quæ eſt virtus. Nam ſicut dictum eſt. 1. 2. q. 110. a. 1..... poteſt contingere, quòd homo remittat offenſam, quâ offenſus eſt alicui, abſque aliquâ immutatione voluntatis ejus. Non autem contingere poteſt, quòd Deus remittat offenſam alicui abſque immutatione voluntatis ejus. Offenſa autem peccati mortalis procedit ex hoc, quòd voluntas hominis eſt averſa à Deo per converſionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remiſſionem divinæ offenſæ, quòd voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis prædictæ, & propoſito emendæ, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ, ſecundùm quod eſt virtus. Et ideo impoſſibile eſt, quod peccatum alicui remittatur ſine pœnitentiâ, ſecundùm quod eſt virtus. Deus verò poteſt peccatum remittere ſine pœnitentiâ, prout eſt ſacramentum: ut cum remiſit mulieri adulteræ Joan, 8. & peccatrici Luc. 7. Quæſt. 86. a. 2. c.

XIII.

Peccatum originale remittitur infantibus cum habituali immutatione per infuſionem gratiæ & virtutum; non autem cum actuali: Sed adulto, in quo ſunt actualia peccata, quæ conſiſtunt in deordinatione actuali voluntatis, non remittuntur peccata, etiam in baptiſmo, ſine actuali immutatione voluntatis, quod fit per pœnitentiam (ſecundùm quod virtus eſt, ut patet per id, quod dictum eſt in corpore) Quæſt. 86. a. 2. ad. 1.

XIV.

Impoſſibile eſt per pœnitentiam unum peccatum (mortale) ſine alio deleri. 1. quidem, quia peccatum remittitur in quantum tollitur offenſa Dei per gratiam.... Omne au-

tem peccatum mortale contrariatur gratiæ, & excludit eam. 2. quia, ſicut oſtenſum eſt, peccatum mortale non poteſt ſine verâ pœnitentiâ remitti, ad quam pertinet deſerere peccatum, in quantum eſt contra Deum. Quod quidem eſt commune omnibus peccatis mortalibus. Ubi autem eſt eadem ratio, & idem effectus. Unde non poteſt eſſe verè pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim diſpliceret ei illud peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum, (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ) ſequeretur, quòd de omnibus peccatis pœniteret. Unde ſequitur, quòd impoſſibile ſit, unum peccatum per pœnitentiam remitti ſine alio. 86. a. 3. c.

XV.

Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur averſio animæ à Deo (ex qua fit ut reatus pœnæ æternæ conſequatur peccatum mortale) in quantum per gratiam anima Deo conjungitur. Unde & per conſequens ſimul tollitur reatus pœnæ æternæ, poteſt tamen remanere reatus alicujus pœnæ temporalis. 86. a. 4. c. & ad. 1. ex hoc ipſo dicitur culpa mortalis remitti, quòd per gratiam tollitur averſio mentis à Deo ſimul cum reatu æternæ pœnæ.

XVI.

In baptiſmo homo participat totaliter virtutem paſſionis Chriſti . . . . & ideo conſequitur remiſſionem reatus totius pœnæ. In pœnitentiâ verò conſequitur virtutem paſſionis Chriſti, ſecundùm modum propriorum actuum, qui ſunt materia pœnitentiæ . . . . . . & ideo non ſtatim per primum actum pœnitentiæ (id eſt, contritionem) quo remittitur culpa, ſolvitur reatus totius pœnæ, ſed completis omnibus pœnitentiæ actibus. Qu. 86. art. 4. ad 3.

XVII.

Remiſſio culpæ eſt effectus pœnitentiæ ſecundùm quod eſt virtus, principaliùs tamen ſecundùm quod eſt ſacramentum. Nam pœnitentia eſt virtus, ſecundùm quod eſt principium quorumdam actuum humanorum, qui cùm ſint ex par-

parte peccatoris, materialiter ſe habent in ſacramento pœnitentiæ. Omne autem ſacramentum producit effectum ſuum non ſolum virtute formæ, ſed etiam virtute materiæ..... Unde ſicut remiſſio culpæ fit in baptiſmo, non ſolùm virtute formæ, ſed etiam virtute materiæ, ſcilicet aquæ; principaliùs tamen virtute formæ, ex quâ & ipſa aqua virtutem recipit: ita etiam & remiſſio culpæ eſt effectus pœnitentiæ, principaliùs quidem ex virtute clavium, quas habent Miniſtri, ex quorum parte accipitur id, quod eſt formale in hoc ſacramento. Secundariò autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Eccleſiæ. 86. art. 6. c.

XVIII.

Remiſſio culpæ non ponitur effectus ſolùm pœnitentiæ virtutis; ſed principaliùs fidei & charitatis. Ib. ad 2.

XIX.

Ad paſſionem Chriſti ordinatur actus pœnitentiæ virtutis, & per fidem (charitate formatam) & per ordinem ad Claves Eccleſiæ: & ideo utroque modo cauſat remiſſionem culpæ virtute paſſionis Chriſti. Ib. ad. 3. & ad. 1.

Monitum.

SI hæc omnia conferantur cum iis, quæ habentur in ſuplem. & in aliis operibus S. Thomæ, quorum aliqua referuntur in priori libro de *Amore pœnitentiæ*; videtur Doctor Angelicus, antequam elaboraret ſummam Theologicam, non alienus fuiſſe ab antiquorum Scholaſticorum ſententiâ, qui remiſſionem culpæ ſoli contritioni adſcribebant, per quam exiſtimabant reatum pœnæ æternæ commutari in reatum pœnæ temporalis: effectum verò ſacramenti pœnitentiæ opinabantur eſſe tantùm ſolutionem reatus pœnæ temporalis, partim per abſolutionem, partim per ſatisfactionem.

Ex eâ verò ſententia retinuit S. Thomas etiam in ſumma: 1. dum remittitur culpa, tolli conſequenter reatum pœnæ æternæ, ſed poſſe remanere reatum pœnæ temporalis. 2. non poſ-

poſſe remitti culpam ſine actu pœnitentiæ virtutis, qui eſt contritio, quæ eſſe non poteſt ſine actu fidei formatæ. 3. contritionem illam haberi non poſſe, quin à Deo remittatur peccatum mortale, tam quoad culpam, quàm quoad reatum pœnæ æternæ.

Sed cùm Theologi, qui eum præceſſerant, inde conſequens eſſe arbitrarentur, vel abſolutionem eſſe tantùm declaratoriam remiſſionis peccatorum, vel ejus effectum non alium eſſe, quàm ſolutionem reatus pœnæ temporalis, ipſe in ſummâ Theologicâ aliam reperit viam conciliandi neceſſitatem contritionis & ejus efficaciam cum efficaciâ ſacramenti pœnitentiæ. Hæc autem conciliatio in duobus præcipuè conſiſtit.

Primum eſt, quod contritio ſit pars materialis ſacramenti pœnitentiæ, adeoque concurrat ad effectum ſacramenti pœnitentiæ ſimul cum abſolutione, quæ eſt illius forma, undè conſequens eſt, fieri per ſacramentum, quod fit per contritionem. Alterum eſt, quòd contritio, & aliæ partes materiales pœnitentiæ non operentur remiſſionem peccatorum in lege novâ, niſi quatenus hi actus ordinantur ad Claves Eccleſiæ.

His ſuppoſitis, doctrina S. Thomæ de ſacramento pœnitentiæ ad aliquot concluſiones reduci poteſt, quæ demonſtrativè probari poſſunt eſſe S. Thomæ ex illis. 19. propoſitionibus, quas totidem verbis ex illius ſummâ ſuprà retulimus.

I. *Concluſio.*

NUlli adulto peccatum mortale remitti poteſt, etiam in ſacramento, ſine actuali immutatione ejus voluntatis.

Demonſtratio.

ILlud in quo differunt infantes & adulti, non poteſt convenire adultis.

Atqui (ex 13. prop.) in eo differunt infantes & adulti, quòd habitualis immutatio voluntatis ſufficit infantibus ad hoc, ut eis peccatum originale dimittatur: actualia verò peccata, quæ conſiſtunt in deordinatione actuali voluntatis

tis, non remittantur adultis, etiam in baptiſmo (& conſequenter nec in ſacramento pœnitentiæ) ſine actuali immutatione voluntatis.

Ergo nulli adulto peccatum mortale remitti poteſt, etiam in ſacramento, ſine actuali immutatione ejus voluntatis.

II. *Concluſio.*

ACtualis immutatio voluntatis, ſine quâ peccatum mortale adulto remitti non poteſt, etiam in ſacramento, complectitur amorem Dei ſuper omnia.

Demonſtratio.

EX 12. prop. Ideo contingere non poteſt, quòd Deus remittat offenſam adulto abſque actuali immutatione voluntatis ejus, quia offenſa peccati mortalis procedit ex hoc, quòd voluntas hominis eſt averſa à Deo per converſionem ad aliquod bonum commutabile: unde requiritur ad remiſſionem divinæ offenſæ, quòd voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis prædictæ & propoſito emendandi, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ, ſecundùm quod eſt virtus: Atqui (ex prop. 14.) requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ, ſine quâ peccatum mortale remitti non poteſt, deſerere peccatum, in quantum eſt contra Deum; hoc eſt, ut peccatum pœnitenti diſpliceat, in quantum eſt contra Deum ſuper omnia dilectum.

Ergo actualis immutatio voluntatis, ſine quâ peccatum mortale deleri non poteſt in adultis, etiam in ſacramento, complectitur amorem Dei ſuper omnia: & per conſequens non poteſt eſſe in eo, qui non amat actualiter Deum ſuper omnia.

Corollarium.

ACtualis immutatio voluntatis, quæ eſt neceſſaria adulto ad remiſſionem peccati mortalis, eſt actus virtutis pœnitentiæ, quæ alio nomine vocatur Contritio.

Id patet conferenti ſimul prop. 12. 13. 8. 6.

 III. *Con-*

III. *Concluſio.*

ACtus pœnitentiæ virtutis, quibus fit actualis immutatio voluntatis, ſine quâ actuale peccatum mortale remitti non poteſt, habent pro principio Dei operationem convertentis cor. Et ex parte hominis ſunt. 1. Actus fidei 2. actus timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur. 3. actus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. 4. motus charitatis, quo peccatum diſplicet ſecundùm ſeipſum (id eſt, prout eſt offenſa Dei) & non jam propter ſupplicia. 5. motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei, aliquis emendam Deo voluntariè offert.

Demonſtratio.

ACtus, quibus fit actualis immutatio voluntatis neceſſaria ad remiſſionem peccati mortalis, ſunt actus pœnitentiæ virtutis (per corollarium præcedens) quibus homo Deo cooperatur, in iis, quæ requiruntur ad veram pœnitentiam.

Atqui (per prop. 10.) actus, quibus peccator Deo cooperatur, ut verè agat pœnitentiam, ſunt illi actus ſuprà enumerati, quorum unus eſt motus charitatis, quo peccatum diſplicet, ut eſt offenſa Dei, & quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum (ex prop. 14.)

Ergo actus illi ſuprà enumerati ſunt actus pœnitentiæ virtutis, quibus fit actualis immutatio voluntatis, ſine quâ peccatum mortale adulto remitti non poteſt, etiam in ſacramento.

IV. *Concluſio.*

ACtus pœnitentiæ virtutis, quibus fit illa actualis voluntatis immutatio, &c. ſunt partes ſacramenti pœnitentiæ.

Demonſtratio.

IN hoc differunt ſacramentum baptiſmi, confirmationis, & extremæ unctionis à ſacramento pœnitentiæ, quòd illa priora habeant pro materiâ res corporales: ſi qui verò actus

actus humani ſunt in talibus ſacramentis, non ſunt de eſſentiâ ſacramentorum, ſed diſpoſitivè ſe habent ad ſacramenta: in ſacramento autem pœnitentiæ actus humani ſunt loco materiæ (per prop. 2.)

Atqui (ex prop. 8.) actus humani, qui ſunt partes materiales ſacramenti pœnitentiæ, ſunt actus pœnitentiæ ſecundùm quod virtus eſt, ac proinde (ut dictum eſt in concluſione. 3.) actus pœnitentiæ virtutis, quibus illa fit voluntatis actualis immutatio, ſine quâ peccatum mortale adulto remitti non poteſt.

Ergo actus pœnitentiæ virtutis, quibus fit illa actualis immutatio voluntatis &c. ſunt partes ſacramenti pœnitentiæ.

V. *Concluſio.*

ACtus virtutis pœnitentiæ, qui ſunt in ſacramento pœnitentiæ loco materiæ, reducuntur ad tres: Contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem.

Demonſtratio.

ACtus pœnitentiæ virtutis, qui ſunt loco materiæ in ſacramento pœnitentiæ, ſunt illi actus, qui requiruntur ex parte pœnitentis ad pœnitentiæ perfectionem. (prop. 4.)

Atqui requiritur ad pœnitentiæ perfectionem ex parte pœnitentis. 1. quidem voluntas recompenſandi, quod fit per contritionem. 2. Quòd ſe ſubjiciat arbitrio ſacerdotis loco Dei, & hoc fit in confeſſione. 3. Quod recompenſet ſecundùm arbitrium Miniſtri Dei, quod fit in ſatisfactione (prop. 5.)

Ergò actus virtutis pœnitentiæ, qui ſunt in ſacramento pœnitentiæ loco materiæ, reducuntur ad tres.

Nota verò, quod dixi, *reducuntur*, quia hoc non impedit, quin contritio, quæ eſt prima illarum partium, plures in ſe actus complectatur, ut demonſtratum eſt in 3. Concluſione.

VI. *Concluſio.*

COntritio, quæ eſt pars materialis ſacramenti pœnitentiæ, eſt contritio interior, & illa ipſa, quâ fit actualis immu-

tatio voluntatis in peccatore, ſine quâ peccatum mortale deleri non poteſt, etiam in ſacramento.

Demonſtratio.

CONtritio, quæ ſecundùm eſſentiam eſt in corde & pertinet ad interiorem pœnitentiam, & quæ virtualiter tantùm pertinet ad exteriorem pœnitentiam, in quantum ſcilicet implicat propoſitum confitendi & ſatisfaciendi, eſt interior contritio, & illa ipſa, quâ fit actualis immutatio voluntatis in peccatore.

Atqui (ex prop. 6.) talis eſt contritio, quæ pars eſt materialis ſacramenti pœnitentiæ.

Ergo Contritio, quæ eſt pars materialis ſacramenti pœnitentiæ, eſt pœnitentia interior, & illa ipſa, quâ fit actualis immutatio voluntatis in peccatore, ſine quâ peccatum mortale deleri non poteſt, etiam in ſacramento.

VII. *Concluſio.*

REmiſſio culpæ, quæ eſt effectus ſacramenti pœnitentiæ, non eſt effectus ſolius abſolutionis, quæ eſt forma illius ſacramenti, ſed etiam pœnitentiæ, ſecundùm quod virtus eſt, cujus actus, contritio, confeſſio & ſatisfactio ſunt loco materiæ in hoc ſacramento.

Demonſtratio.

EX prop. 17. Pœnitentia eſt virtus, ſecundùm quod eſt principium actuum humanorum, qui cùm ſint ex parte peccatoris, ſunt loco materiæ in ſacramento pœnitentiæ.

Omne autem ſacramentum producit effectum ſuum non ſolùm virtute formæ, ſed etiam virtute materiæ.

Ergo remiſſio culpæ eſt effectus pœnitentiæ principaliùs quidem ex parte Clavium, quas habent Miniſtri, ex quorum parte accipitur id, quod eſt formale in hoc ſacramento: ſecundariò autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Eccleſiæ. Ut habetur in illa prop. 17.

Co-

Corollarium. I.

REmiſſio culpæ non eſt effectus ſolius abſolutionis, ſed etiam contritionis, quatenus includit actum fidei formatæ, & habet ordinem ad claves Eccleſiæ.

Corollarium. II.

COntritio, per quam fit actualis immutatio voluntatis, ſine qua peccatum mortale remitti non poteſt, dici nequit eſſe effectus ſacramentalis abſolutionis in eo, qui illam recipit non habens illam contritionem. Alioquin forma ſacramenti pœnitentiæ produceret materiam illius ſacramenti, cum quâ tamen debet producere ſuum effectum, ex 7. Concl. & ſic materia ſacramenti pœnitentiæ concurreret cum abſolutione ad productionem ſui ipſius.

VIII. *Concluſio.*

SAcramentum pœnitentiæ debet conſiderari, ut totum quoddam morale, quod per aliquod tempus, & ſæpe longiuſculum, neceſſariò durare debet.

Demonſtratio.

SAcramentum pœnitentiæ non eſt ſola abſolutio, ſed conſtat ex materiâ & formâ (per prop. 17.) & illius materiæ partes ſunt tres, contritio, confeſſio & ſatisfactio.

At (ut nihil dicam de ſatisfactione) confeſſio, quæ eſt peccatorum mortalium, & ſæpe totius vitæ, ſatis longum neceſſariò tempus requirit.

Ergo ſacramentum pœnitentiæ debet conſiderari, ut totum quoddam morale, quod per aliquod tempus, & ſæpe longiuſculum, durare debet.

Corollarium. I.

NOn debet id conſiderari tanquam factum ante ſuſceptionem ſacramenti; ſed in ipſa actuali ſuſceptione ſacramenti, quod fit, dum pœnitens confitetur peccata ſua, dum ſe ſubjicit arbitrio ſacerdotis, dum illum audit mo-

nentem, exhortantem ad pœnitentiam, ad vitæ emendationem, ad amorem Dei. Quia ſacramentum pœnitentiæ conſiderari debet ut totum quoddam morale, quod hæc omnia complectitur.

Corollarium. II.

HInc evaneſcit objectio illa vulgaris, quòd ſi contritio, per quam diſplicet peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum, neceſſaria eſſet peccatoribus ad hoc, ut juſtificarentur in ſacramento pœnitentiæ, nullus juſtificaretur in ipsâ ſuſceptione ſacramenti, ſed omnes ante illius ſuſceptionem per ſacramentum in voto. Hæc, inquam, objectio, evaneſcit: nam actus illi laudabiles, (de quibus loquitur S. Thomas in 11. prop.) qui tempore præcedere poſſunt actum & habitum pœnitentiæ, quales ſunt actus fidei & ſpei informium, & actus timoris ſervilis, ſufficere poſſunt peccatori, ut laudabiliter ſiſtat ſe ſacerdoti, ut ad illius arbitrium pœnitentiam agat. Unde poteſt accidere, ut nondum habeant pœnitentes veram contritionem, dum ad ſacerdotem accedunt, ut crimina ſua confiteantur gehennæ timore percuſſi, & quadam piâ motione affecti, qui tamen inter confitendum & pœnitendum, & dum ſeipſos horrent, dum ad Deum confugiunt, à quo veniam ſperant, dum ſalutiferis ſacerdotis admonitionibus tangi ſe ſinunt, à pœnarum metu ad amorem juſtitiæ ope divinæ gratiæ transferuntur, antequam illos ſacerdos abſolvat, qui omnes dici debent in ipſa receptione ſacramenti juſtificari, non ante receptionem ſacramenti per ſolum ſacramenti votum.

IX. *Concluſio.*

IN illâ doctrinâ culpa remittitur, & tollitur reatus æternæ pœnæ, atque etiam reatus pœnæ temporalis per miniſterium Clavium & quidem principaliùs, quàm per contritionem & ſatisfactionem, ſed non ſine contritione & ſatisfactione, quarum prima operatur etiam ſuo modo remiſſionem culpæ, cui connexa eſt ſublatio reatus æternæ pœnæ, ſed per ordinem ad Claves: altera verò ſolvit reatum pœ-

pœnæ temporalis, qui plerumque remanet ſublato reatu pœnæ æternæ, ſed per ordinem etiam ad Claves.

Demonſtratio.

PArs prima jam probata eſt in 7. Concl. cui addi poteſt, quod dicitur à S. Thomâ in prop. 16. quòd per primum actum pœnitentiæ, qui eſt contritio, remittitur culpa atque etiam reatus pœnæ æternæ, ſed non totius pœnæ, qui tum demum ſolvitur completis omnibus pœnitentiæ actibus. Et in 7. prop. ſatisfactio cauſat gratiam, prout eſt in propoſito, & auget eam, prout eſt in executione.

Altera verò pars ſic probatur:

Hæc omnia non fiunt ſive per contritionem, ſive per ſatisfactionem, niſi virtute paſſionis Chriſti (ex prop. 16. & 19.

At, dum Chriſtus inſtituit miniſterium Clavium, voluit, ut ordinariè virtus ſuæ paſſionis applicaretur pro reconciliatione baptizatorum in crimen lapſorum, per clavium miniſterium. Ibidem.

Ergo, quod operantur contritio & ſatisfactio in ſacramento pœnitentiæ, operari cenſendæ ſunt per ordinem ad Claves.

X. *Concluſio.*

NUllus habet, etiam extra ſacramentum pœnitentiæ, veram contritionem, per quam peccatum ei diſplicet, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum, cui non ſtatim culpa remittatur, ſimul cum reatu pœnæ æternæ, licet non niſi per ordinem ad Claves, & ſacramenti votum, quod in illa includitur.

Demonſtratio.

EX hoc ipſo dicitur culpa mortalis remitti, quòd per gratiam tollitur averſio mentis à Deo. (per prop. 15.

Sed in eo, qui habet veram contritionem, per quam ei peccatum diſplicet, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum, tollitur per gratiam averſio mentis à Deo.

Ergo non poteſt dici, quòd culpa mortalis non ſit ei remiſ-

miſ-

miſſa, ſi ex hoc ipſo dicitur remitti, quòd per gratiam tollitur averſio mentis à Deo. Quâ averſione ſublatâ tollitur etiam reatus pœnæ æternæ, nec remanere poteſt, niſi reatus pœnæ temporalis, ut patet ex 15. prop.

Corollarium.

EX his liquet nullum extare apud S. Thomam veſtigium duplicis generis contritionis, quarum altera utpotè perfectior peccatori neceſſaria ſit, ut juſtificetur extra ſacramentum cum ſacramenti voto, per alteram verò juſtificari non poſſit, niſi cùm ſacramentum actu ſuſcipit.

Demonſtratio.

NOn poteſt adulto remitti peccatum mortale, etiam in ſacramento, ſine actuali immutatione voluntatis, quâ tollitur averſio mentis à Deo (prop. 12.) per actum virtutis pœnitentiæ, quo fit, ut peccatum diſpliceat, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum, quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ. prop. 14.

Atqui ex hoc dicitur culpa mortalis remitti, quòd per gratiam tollitur averſio mentis à Deo, quâ ſublatâ tollitur etiam reatus pœnæ æternæ prop. 15.

Ergo eadem actualis voluntatis immutatio, ſine qua peccatum mortale remitti non poteſt, etiam in ſacramento, infert ſecum neceſſariò ſecundùm D. Thomam, etiam extra ſacramentum, remiſſionem peccati mortalis ſimul cum ſolutione reatûs æternæ pœnæ, non tamen ſine ordine ad Claves.

Concluſionum ſumma.

EX his itaque diſcimus, primò ſacramentum pœnitentiæ conſiderandum eſſe tanquam totum morale ex materiâ & formâ compoſitum, cujus totius partes, tametſi ſimul tempore exiſtere non poſſint, utpote conſtitutæ partim in actibus & verbis, quorum prima tranſire debent, ut ſequentia exiſtant, nihilominus tamen virtutem ſuam ſimul & conjunctim exerunt. Quamvis enim à ſe invicem

tempore ſeparatæ ſint, in intentione tamen Dei conjunctæ & connexæ ſunt, & per virtutem ab eo acceptam ſimul concurrunt ad applicandum pœnitenti meritum paſſionis Chriſti, quo peccatorum culpa & pœna tollitur.

Secundò, pœnitentiam ſive converſionem cordis & indulgentiam peccati conſiderari debere tanquam duo diſtincta beneficia. Diſtincta enim ſunt dolere, quòd aliquem offenderis, & indulgentiam ab eo accipere. Nam pœnitentia & converſio eſt in eo qui offendit; indulgentia verò procedit ab eo, qui offenſus eſt.

Tertiò, hæc duo, quamvis ſint diſtincta, & unum ſine altero eſſe poſſit, cùm homo in hominem peccat (quem enim peccati verè pœnitet, poteſt ab eo, quem offendit, veniam non impetrare) nunquam tamen à ſe invicem tempore ſejungi poſſe videntur in reconciliatione hominis cum Deo. Oſtenſum enim eſt, ex mente D. Thomæ miſericordiam divinam dedecere, ut peccator ad Deum converſus, illumque ſuper omnia diligens vel uno momento relinquatur in ſtatu illorum, qui ideo rei ſunt æternæ mortis, quia magis creaturam, quàm ſuum diligunt Creatorem.

Quartò, ſufficere, converſionem & indulgentiam eſſe diſtincta beneficia, quamvis habito ad miſericordiam Dei reſpectu ſint inſeparabilia, ut poſſit intelligi, quòd Deus potuerit remiſſionem peccatorum, quam Jeſus Chriſtus nobis ſuâ paſſione meruit, annectere miniſterio ſacerdotum, quibus data eſt poteſtas, eis, qui verè converſi ſunt, peccata remittendi.

Ex his itaque ſequitur, quod ait ſanctus Thomas, abſolutioni ſive miniſterio clavium, juxta ordinem à Chriſto inſtitutum, remiſſionem peccatorum principaliter attribuendam eſſe, & contritionem ad remiſſionem peccatorum eatenus concurrere, quatenus reſpicit claves Eccleſiæ; & nihilominus contritioni remiſſionem peccatorum ſemper junctam eſſe, etiam extra uſum ſacramenti, non tamen ſine virtute clavium, quas contritio ſemper reſpicit, quia ſe illis, ſimul ac poterit, ſubmittere deſiderat.

Hæc mihi certò videtur eſſe mens ſancti Thomæ, juxta

quam

quam non difficulter intelligitur, remiſſionem peccatorur miniſterio clavium præcipuè tribui debere, quamvis à con tritione per amorem Dei ſuper omnia dilecti non appa reat eam poſſe ſeparari.

Sed dices: Abſolutio poteſt fruſtrà à ſacerdotibus im pendi, contritio autem nunquam fruſtrà habetur; erg pluris facienda contritio, quàm abſolutio, magiſque ſata gendum de habendâ contritione, quàm de obtinendâ ab ſolutione.

Ad hoc repono, veriſſimum videri, contritionem nun quam fruſtrà haberi; quia nunquam illa ab indulgentià quæ intuitu abſolutionis aut præſentis aut deſideratæ datu ſeparata eſt, uti jam diximus; ſed inde non ſequitur, quò contritio plus conferat ad indulgentiam, quàm confer abſolutio: etenim contritio non obtinet remiſſionem pe catorum, niſi quatenus abſolutionem deſiderat, ut p illam tanquam inſtrumentum & canalem divinæ miſerico diæ pœnitens donetur indulgentiâ. Non poteſt itaque d ci, quòd contritio ſit potior cauſa indulgentiæ, quàm ſ forma abſolutionis. Verùm hoc non obſtat, quin veriſſi mè dicatur, nunquam à peccatore contrito indulgentia abeſſe, à formâ verò abſolutionis ſæpe indulgentiam ſejun ctam eſſe; quia ſæpe eam contingit non contritis & impœ nitentibus impendi. Dum autem iſtiuſmodi hominibus in penditur, tum fruſtra impenditur: quia tunc ſolus ag ſacerdos miniſter, qui eam pronunciat; non verò ag Deus, qui eſt cauſa principalis. Deus enim tunc dunt xat, quando peccator contritus eſt, abſolutione utitur ta quam inſtrumento, ut per eam in peccatorem indulgent derivetur.

Ante omnia itaque ſatagendum peccatori, ut habe cor contritum & humiliatum, quod Deus nunquam d ſpicit, & cui indulgentia ſemper eſt connexa; verùm nc priùs conandum, ut actu donetur abſolutio ſacramentali quàm dum meritò exiſtimabitur, quòd rectè diſpoſito a miniſtrabitur.

Hîc licet divinam providentiam & miſericordiam ad

rare, quæ juſtificationem noſtram, ſuamque erga nos amicitiam ità diſpoſuit, ut eas conſequamur, ſimulac eas plenè & fortiter volumus, non verò ex illis ſuſpendit, quæ invitis nobis deeſſe poſſunt. Gaudere ergo debemus quod ſola charitas diſtinguat inter filios Dei & filios diaboli, quodque ad omnia ſufficiat, valeatque in Chriſto fides, quæ per charitatem operatur, dum aut miniſtrorum ſocordiâ, aut tyrannorum malitiâ, aliâve ex causâ à divinæ indulgentiæ inſtrumentis inviti ſeparamur.

F I N I S.

Pag.	*Lin.*	*Errata.*	*Corrige.*
In præfat. §.6.	11	voluerit	voluerint.
42	antepen.	ſi fide	ſi fides
48	5	æterna ,	æterna juſtitia ,
57	8 à fine	Quod ut &	§. 3. Quod ut &
67	14	amicis	amatoribus
69	4	Porrò &	§. 6. Porrò &
73	17	ſinceré	*adde* & fortiter
81	5 à fine	De peccato &	*ad lineam*. §. 2. De peccato
100	22	Dei negligentia	in Dei rebus negligentia
144	20	hanc libertatis perſeverantiam	hanc perſeverantiam
157	3 à fine	& quæ , veræ	& quæ nonnunquam , veræ
217	13	diſcipuloſque Auguſtini	*adde* nonnullos
229	15	traditæ à nobis doctrinæ	*adde* , de neceſſitate amoris divini ad abſolutionem cum fructu percipiendam
398	29	partâ loquuntur	partâ maximè loquuntur
438	14	notoreitate	notorietate
504	14	hi autem	ſi autem
517	antepen.	etiam in terrâ	etiam juſtos in terrâ.

Ng-C